



8.A.322



ANTONII DE HAEN,

QUONDAM

S. C. R. APOSTOL. MAJESTATI A CONSILIIS ET ARCHIA-
TRI, MEDICINÆ IN ALMA ET ANTIQUISSIMA UNIVERSI-
TATE VINDOBONENSI PROFESSORIS PRIMARI &C.

PRAELECTIONES

IN


HERMANNI BOERHAAVE

INSTITUTIONES PATHOLOGICAS.

COLLEGIT, RECENSUIT, ADDITAMENTIS AUXIT, EDIDIT

FR. AUGUST. DE WASSERBERG.

TOMUS V.




V I E N N Æ,

APUD RUDOLPHUM GRÆFFER. 1782.

8. A. 322

Experientia in rebus medicis debet animari ratiociniis, sine quibus hæc non est, nisi res mortua, ac veluti rudis indigestaque moles: Rationes experientia destituta nihil juvant, utpote quæ ingeniorum, opera sua abutentium, mera sunt somnia, mera phantasmata, ac meteora.

LINNÆUS Orat. de peregrinatione,
intra patriam.



DIÆTA

AD

LONGÆVITATEM.



§. 1053.



Corpus &c. Egregia senilis fati descriptio :
oculi planiores, quia non potest aqueus
humor corneam extendere. Omnia stricta,
breviora; cartilaginee fere evanescent inter vertebrae.

§. 1054. *Quæ igitur, &c.* merito SANCTORIUS
I—83. „ Senectus revera est ægritudo; sed diu pro-
trahitur, si corpus reddatur perspirabile. “

§. 1055. Otio obstructions generantur; motu & labore callosa solida fiunt; medio tutissimus ibis. Videmus idem in equis; si juniores nimio labore obprimimus, utique ante tempus senescunt: si nimis otiose in stabulo nutriantur, inepti fiunt ad labores, anhelant, ægrotant.

Unde labor; &c. sed tunc quiescendum, ut vires primo parumper refocillentur: jam omne perspirabile exivit, quando lassitudo sentitur; immo tunc perspiratio major debilitaret: sed studio opus, nam

In pueritia levior &c.; si puero vel seni pondus 50. librarum inponam, subcumbet; si adulto robusto, feret illud, quo jubetur, alacriter. Ita omnes labores sunt moderandi ad vires hominis. Rusticorum pueri a tenera ætate laboribus adsueti, si placeat ipsis rusticanus labor, ut cum voluptate illum peragant, ad 40. 50. annum ætatis fere callosi sunt. Senes, si quid virium habeant, si cogantur multum laborare, obcallescentiam spontaneam nervorum potenter augent, & fatuum senile sibi accelerant,

Vita interim varia &c.; ut non semper eadem partes laborent, sed per vices: sic dum aliæ agunt, aliæ vires recuperant.

Præprimis in agricultura; quam in sacris & profanis colere homines solebant, quos inter tot senes maxime longævos reperire est: occupatio Dictatorum romanorum, quos ab aratro ad ducendos in hostem exercitus vocatos apud LIVIUM aliosque legimus. Unde VIRGILIUS *Georg. 2. sub finem*:

„ Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,
Hanc REMUS & frater: sic fortis Hetruria crevit.
Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma. . . .
Aureus hanc vitam in terris SATURNUS agebat.“

AT-

ATTILIUS ex agro cogitur Imperator romani exercitus esse; fuis hostibus triumphum agit: peracto triumpho ad agrum revertitur; Attilius Regulus, primi belli punici gloria, similiter. LUCIO QUINTO CINCINATO, quatuor jugera aranti Dictatura populi romani adlata est.

BACCO VERULAMIUS, librorum helluo, ex omnigenis historiis concludebat, quod „ odor terræ recentis & puræ spiritus optime conpescat, sive aratrum sequendo, sive fodiendo, sive herbas inutiles evellendo..... Quin & novimus virum nobilem, longævum, qui statim a somno glebam terræ recentis sub nares adponi quotidie fecit, ut ejus odorem exciperet.“

Sed agricultura non ita juvat eos, qui ante tempus toti callosi redduntur, nimiis laboribus, sed queis id operis licet pro lubitu facere, de quibus HORATIUS in *Epodon libro, Epode secunda*:

„ Beatus ille qui procul negotiis,
 Ut prisca gens mortalium,
 Paterna rura bobus exercet suis
 Solutus omni fœnore.“

§. 1056. *Animæ operationes* &c.; est sæpe adolescentum depravatum judicium in eligenda arte, qua victus per omnem vitam quæretur: verum inclinationes eorum non sunt omnino subprimendæ. Sunt homines, qui coacti aliquam artem amplexi vera bruta sunt, qui inclinationem sequuti, laude ingenii inclaruissent. Habemus multa hanc in rem observata. POLYDORUS DE CARAVAGGIO victum quæritare coactus opere cæmentario; in quo opere tantum famulus operariorum &, homo obscurus fuit. Amor pingendi in eo subfocabatur. Tamen data occasione quum in Vaticano

ſturæ multæ fierent, ille id inter labores ſuos ſæpe in-
tuens, amore pingendi incendebatur & a paupere ope-
rario Pictoris, per vespertinas & nocturnas horas artis
pingendi regulas addiscens in celebrem Pictorem evaſit,
& egregiis picturis Romam, maxime Vaticanum, orna-
vit; mortuus 1543. — QUINTINUS MESSIS antverpien-
ſis, pauper faber lignarius, amorem discendi artem pi-
ctoriam ſubprimere coactus eamdem tamen poſthac,
relicta arte lignaria, ita coluit, ut inter Belgii admo-
dum bonos Pictores adnumeratus fuerit.

Crediderim miro divinæ providentiæ ordine hoc
ita diſponi, ut cuique quid præ cæteris placeat: hinc
enim fit, ut habeamus ſemper bonos Sutores, Pictores,
Cæmentarios, Architectos, Jurisconſultos, Medicos,
Theologos: Sane turpius & infelicius ſæpe nihil, quam
quod quis cogatur eſſe Medicus, Theologus eſſe qui
vellet, aut Theologus eſſe cogatur, qui aliam adamaſ-
ſet profeſſionem. Hinc tot homines mali & ſubfocato
fere ſpiritu, nulliusque uſus in variis vitæ humanæ con-
ditionibus. Moeror, quod exercere id, quo maxime
delectantur, non poſſint, & quod id, quod non amant,
ſemper debeant exercere, reddit melancholicos.

In pueritia animi contentio &c.; perdunt infan-
tes, qui nimios ab iisdem petunt labores. Si ingenia
bona ſint, ſat cito per ætatem apta ſient; ſi ſint inepta,
quo plus ab iis petitur, eo minus accipitur. Monſtrum
ingenii BLASIUS PASCHALIUS 40. annos nondum con-
pleverat. Anno 16. vitæ admirabilem illum Tracta-
tum edidit *de Sectionibus conicis*: mathematica plurima
edidit, & primus detexit, ac demonſtravit, id, quod
horrorem vacui Antiquitas vocaverat, preſſioni aëris
deberi. — JANUS DOUZA, curis eruditiffimi ſimul ac
nobiliffimi ſui patris JANI DOUZÆ, Toparchæ in Noort-
wyk in Hollandia, in humanioribus, philoſophicis,

mathematicis consummatissimus in adolescentia, sexdecim annos natus dedit eruditionis & iudicii plenissimum *Commentarium in PLAUTUM*: IO. vitæ anno scripsit *librum de rebus cælestibus & dissertationem de umbra*, eodemque anno *lucubrationes suas in CATULLUM, TIBULLUM, PROPERTIUM*. Juvenem litteratiorem ignorare se scribebat *CASAUBONUS*: *Josephus SCALIGER* testatur, quod mundi verum ornamentum fuerit, quodque in juventute ad talem sapientiæ & virtutis gradum conscendisset, ad quem plurimo labore vix senes pauci conscendunt. *Hugo GROTIUS* etiam ipsum magni fecit. Sed hæc ipsa causa, cur viginti quinque annos natus, patre adhuc vivo, moreretur.

Narratur exemplum decennis pueri in Italia, qui varias linguas loqueretur, multos Poëtas, *VIRGILIUM, HORATIUM*, memoriter recitaret: cujus fama permotus Legatus Hispaniæ apud Ducem mantuanum, petiit a Duce, ut vellêt jubere, coram sisti puerum. Dux vocari illum iussit, sed stupens ad audita Legatus: superant puerile ingenium & vires, inquit; ante tempus stupidus & fatuus erit. Vera agebat Legatus, sed puer mox ingeniosissime ad Legatum: nunquid ergo Tu in Tua juventute multa didicisti? Notate, quod Legatus ex eruditissimis saltem non erat, id quod puer mox detegebat.

Occupationes sæpe variatæ; hæc Vobis omnibus probe inculcanda. Varietas delectat. Si serio studio occupati aliquando ingenium nimis vexaretis, sequamini hoc consilium. Ad secundam quamque horam præter propter studia interpolate leni corporis agitatione; lectione aliquot versuum ex *HOMERO, PLAUTO, TERENCE, HORATIO* aut *VIRGILIO*, vel alicujus historiæ ex *LIVIO, TACITO, SUTTONIO*, aut historia ecclesiastica: vel sumite librum aliquem pium, moralem, inmoramini per semiquadrantem horæ huic lecturæ, vel

lecturæ loco sumite aliquod Musices instrumentum, & recreate animum: eritis ad studia prosequenda aptiores, sine detrimento sanitatis, aut ingenii.

§. 1057. *Cibi simplices &c.*; capitis facile, diætæ hic non præscribi Mathematico, solutionem problematis, aut logarithmum quærenti, sed diætam ad longævitatem. Qui multum studiis debet inpalescere, sumat jura carniû, leves carnes, & olera mollia: est diætata ad ejus sanitatem; sed non blandiatur sibi de longævitate. Solo jure carniû sustinuit se & amanuenses suos famosissimus cujusdam Reipublicæ primus Minister: his sani manebant, aliis nutrimentis ægroti futuri; verum diætata ad sanitatem in peculiari homine, non est semper diætata ad longævitatem. Plerisque maxime senibus examinatis, durioribus delectatos fuisse deprehenduntur.

Sed est modus in rebus. Infanti AUCTOR NATURÆ lac concessit, quia dutiora non fert, & quia lac matris ipsi convenientissimum. Postea panis convenit, ubi jam dentes aliquot habet; tarde caro. Sic adscendendum & in perfecta ætate duriora danda: adpropinquante senio sensim ad minus dura descendendum, quia dentes deficiunt: & ut perspiratio in pueris optime peragitur, si parum, sed sæpius, nutriantur, ita senes sensim minus, sed crebrius, debent adsumere, ne desit in illis perspiratio.

§. 1058. *Potus aquæ bonæ &c.*; de aqua & ejus usu jam antea actum. Tres quartæ orbis terrarum partes ea pro potu utuntur. Si legamus Itineratores, Brasiliiani erant olim homines maxime proceri, viventes ad centum, centum & decem annos; victu duro & aqua nutriti: verum, ubi Lusitani,
dein

dein Batavi, postea Hispani, denique iterum Lusitani vastissimum hoc regnum occupârunt & spiritum ardentium fortiumque vinorum abusum ibidem introducere, Brasiliiani haud ultra tam provecti sunt senii, quam olim aquâ solum utentes.

Cerevisia & *vinum* - - - *moderato usu*; ut enim verum fateamur, post NOACHUM, qui vires vini primus expertus est inscius, involuntaria ebrietate, videmus vini usum apud omnes nationes adhibitum.

Nimia valde nocent; ut dictum sæpius: certe obrigescunt homines ante tempus; si non citius sibi provocent alios morbos.

In pueritia lac; sapienti CREATORIS instituto; deinde aqua in robore ætatis, ut exemplo totius fere orbis patet: sed ubi infans jam ab lactatus, non illico ad aquam puram, ea enim foret nimis magna mutatio, sed ad aquam cum lacte est adducendus, sicque per ætatem ad aquam: omnis cita consuetudinis mutatio semper nocet, etsi ex prava in optimam fiat.

In senectute vinum molle, edentulum; *edentulus* dicitur, cui excidère dentes; sed PLAUTUS in *Poenulo*, Act. 3. Scen. 3. dixit: „vinum ætate edentulum:“ vinum hoc est mollissimum, sine acredine. Sic habetur roborans, non exsiccans. Vinâ harum regionum non satis novi, sed tale edentulum vinum est vinum gallicum, vina plura hispanica, canariensia, de Palma, huc referuntur. (*)

A 5

Ita

(*) Sed tale molle vinum *parcâ copiâ*, sæpe repetitâ, ingerendum. Imbres, aiebat SOCRATES Pincernæ, nimium vini sibi propinanti, imbres recentem herbam submergunt, reficiunt rores blandi. de H.

Ita narraui Vobis olim vixisse illum delphen-
sem virum, centenariò majorem, qui ad BOERHAA-
VIUM veniebat, non ut peteret consilium, sed ut
ostenderet, prout aiebat, quousque quis sine ullo Me-
dico pervenire posset. Potus per totam vitam fuerat
eo ordine ab illo adhibitus, ut nunc est dictum; nisi
quod post centesimum annum spiritum vini biberet,
qui forte nimis exsiccans.

§. 1059. *Interim abstinentia summa; ut sunt lon-
ga jejunia, quibus carnem suam castigabant Eremiticæ:
diætæ adcuratissimæ; quas iidem quoque observa-
bant; & cum CORNARO observabant omnes, qui in
juventute corpora exhaustaverant. Diætæ exsiccantes,
emaciantes, rarissime interpositæ, mirifici usus; ob-
servata à 2. 3. retro sæculis docent, longævos fuisse,
qui curam sudatoriam per decocta lignorum, vel quod
luosi essent, vel maxime, quod suspicarentur, a ve-
teri labe quid superesse, subierint.*

§. * 1059. *Increscente senio introductio nutri-
menti per adposita externa, I) Halitú; v. HIP-
POCRATEM lib. de alimento sub finem; & ARBÆ-
UM CAPPADOCEM, lib. 2. de curat. acut. c. 3. —
DIOGENES LAERTIUS in vita DEMOCRITI narrat,
DEMOCRITUM, animam agentem, rogatum a sorore,
ne morte suâ CERERIS sacra interpellaret, jussisse
calentes continuo panes ex furno sibi adferri, quo-
rum continuo odore & olfactu animam per quadri-
dium suo retinisset domicilio. — ATHENÆUS vero,
paullo aliter id tradens, ait, eum id dolore fragran-
tis mellis effecisse.*

Hinc spiritus, quacunq; arte parati. grati, ner-
vos excitantes, perperam adhibentur ab illis, quo-
rum

rum nervi eo incitamento non egeant: efficiunt per omnes suos odores, quibus caput, crines, cubiculum, strophia, lectos &c. inbuunt, ut nervi olfactus citius obcallēscant, & in provecta ætate ab auxiliis hisce senectutis ultra non adficiantur.

2) *Fotu*; *lib. 3. Regum, c. I.* sic habetur: „Rex DAVID senuerat, habebatque ætatis plurimos dies; quumque operiretur vestibus, non calefiebat. Dixerunt ergo ei servi sui: quæramus Domino nostro Regi adolescentulam virginem, & stet coram Rege, & foveat eum, dormiatque in sinu suo, & calefaciat Dominum nostrum Regem. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam, in omnibus finibus Israël, & invenerunt ABISAG, funamitidem, & adduxerunt eam ad Regem. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum Rege, & ministrabat ei; Rex vero non cognovit eam.“

BACO VERULAMIUS *pag. 554. No. 25.*, „neque negligenda sunt, inquit, fomenta ex corporibus vivis. FICINUS ait, (neque id per jocum) DAVIDEM contubernio puellæ, alias salubriter, sed nimis fero, usum fuisse. Debuerat autem addere, quod puellam illam, more virginum Persiæ oportuisset inungi myrrha & similibus; non ad delicias, sed augendam virtutem fomenti ex corpore vivo. — BARBAROSSA ætate extrema, ex consilio Medici Judæi, puerulos continuo stomacho & ileis adplicabat ad fomenta.,,

[Fuit hic BARBAROSSA II. succedens fratri suo BARBAROSSÆ I.: ambo christiani græci ex insula Lesbo, nunc Metilina. Ut ex paupertate emergerent, fidem christianam ejurantes Mahometani facti sunt, dein Piratæ: tandem Piratarum regnum algerinum, omnium christianorum horrorem, fundaverunt

verunt. Homo bellicosus, crudelis, a juventute semper terra marique bello occupatus, non videtur ad ætatem extremam pervenisse, ut innuit VERULAMIUS, & ut PAULUS JOVIUS & THUANUS scribunt. Angelus Auctor MORGAN, in *Historia Barbariæ*, dat ipsi tantum 63. annos. In diarrhæam incidens consilio Judæi Medici ventri continuo puerulos nudos applicabat; unde per aliquod tempus vitam prolongavit; sed feбри dein accedente mortuus est Constantino-poli anno 1548.

3) *Balneo*, 4) *Clysmate*, 5) *Unguento* &c.

(Reliquorum 7 paragraphorum, quum aliunde patere videantur, expositionem hic omisi.)

THE RAPEVTIKE.



§. 1067—1068.

Ultima hæc pars &c. Hæc nunc pars totius Medicinæ est compendium. Revocat hæc in memoriam omnia huc usque dicta de morbis ejusque symptomatibus, & docet applicationem bonam veramque medicamentorum & auxiliorum artis ad dictos casus.

Res adtentionem meretur, Hæc enim *quinta pars INSTITUTIONUM MEDICARUM* illa est, quam candidati plures, licet aptos in cæteris se præbeant, minus apte solent intelligere. Hoc ita esse, BOERHAAVIUS olim in Lugdunensi Academia conquerebatur.

Ut.

Ut ergo quatuor illa, Medico incumbentia, officia expleantur; nempe, ut vita conservetur, ut causa morbi tollatur, ut morbus auferatur ipse, ut morbi abigantur effectus, corpus ægri arte mutandum est; si enim non mutetur, manebit idem: ergo & illa quatuor manebunt adversa.

Ut autem Medicus præfixum in finem corpus mutet, oportet nosse, quibus id efficiat, instrumenta.

Hæc vocantur *auxilia, remedia juvantia, medicamenta.*

§. 1069. *Hæc autem &c.* Nam non curamus hominem universalem, sed singularem, ab alio homine ægrotante inmensum differentem. Hinc debeo nosse 1) quid in illo peculiari homine ægrotante mutare debeam; 2) quibus instrumentis id efficiam; 3) quinam sequantur effectus, ubi talia instrumenta ad casum peculiarem, mihi ut mutem datum, adplicata, sunt.

Ergo adprime mihi & morbus & homo ægrotus est cognoscendus; ut primo cernam bene ea, quæ sensus adtenti detegere in illo possunt, quæquæ adcurato ratiocinio rescire circa ejus statum possim. Sic video demum, quid in eo, ut convalescat, mutandum sit, videoque, quænam, id ut obtineam, instrumenta adhibenda sint. Si ignorem hæc, casu meus æger convalescet, si tamen convalescat; & in mortis periculum a me conjicitur. Si enim male adplicata remedia semel gulam transiverint, non sunt ultra in mea potestate, sed agunt, quod a natura sua iussa sunt.

§. 1070. *Ipsum illud quidcunque demum sit, quod sic deprehensum in ægro mentem Medici ita instruit (§. 1069.) vocatur indicans, &c.* Sumam exemplum, ut intelligatis. Vocor ad pleuriticum hominem. *Indicans*

cans est dolor, inspiratione & tussi auctus, intolerabilis, in subpurationem, aut gangrænam, abiturus. *Indicatio* est ablatio illius doloris, si velim hominem servare. *Indicatum* est v. f., emollientia lateri dolenti applicanda, diluentia, solventia, nitrosa, saponacea, titulo medicamenti & alimenti ingerenda per os & anum, ut phlogistica dispositio inmutetur.

Quomodo inveniuntur hæc tria in angina? In angina inflammatoria est *indicans* dolor & angustatio inflammatarum faucium, aut laryngis, tanta, ut homo vel ægre respiret, vel ægre deglutiat, vel utroque simul vitio laboret. *Indicatio* est periculum maximum vitæ in eo ægro, quum nutrirî nequeat, aut laboret nobilissima functio respirationis, vel adsit utrumque; adeoque ablatio ejus doloris. *Indicatum* est v. f. in pede, enema, remedium laxans, emolliens, cataplasma gutturi circumdandum, linctus emollientes saponacei, familia gargarismata, potus diluens, quatenus possibilis est deglutitio.

§. 1071. *Indicans* proinde poterit esse omne id, quod cognoscitur in ægro, vel circa eum. In ægro, quatenus morbus in eo progressus plures, minoresve, fecit: circa ægrum, varia sunt adtendenda. Habet v. c. in morbo suo continuo coram se difficilia objecta, quibus visis irascatur & ad jurgia incitetur. *Indicans* hoc est, æque ac morbus. *Indicatio* est, quod, etsi morbus adhuc per se videatur curabilis, prava & difficilis uxor, aut inmorigeræ proles, hominem, in iram facilem, pejorem reddent, quam ipse morbus; immo effectum turbabunt remediorum. *Indicatum* hic est, actu aut auferre tales homines ex conspectu ægri, si fieri quæat; aut monere, ut velint sapienter & placide cum ægro agere.

Aliud

Aliud exemplum. Pleuriticus idem ægrotat tempore calidissimo, æstuantissimo: ille æstus est æque, ac ipsa pleuritis, indicans. Indicatio est jam periculum morbi majus, quia calor parum differens ab eo, qui est hominis, corpus ambit, pulmonem intrat; ita, ut interno externoque calore exuratur: etiam jacet in cubiculo & parvo, & a solis radiis fere tota die inradiato. Indicatum est, hominem ex illo cubiculo deferre in aliud, tum majus, tum frigidius; quod, si factu impossibile, per omnem artem illi cubiculo aër renovatus est conciliandus, corpus leviter tegendum, plantæ staticæ in cubiculo ponendæ, ut aër humescat & refrigeretur, maxime si aqua, in qua plantæ, sæpius renovetur. Hæc sufficient, ut indicans, indicatio, ipsum indicatum, cognoscantur ex ægro ipso, & ex iis quæ circa eum sunt

§. 1072. *Tamen omne id revocari potest I) ad vitam in ægro superstitem; ejus causas, naturam, sequelas, gradus. Vita semper in ægro superstes est; sed ea differre potest inmensum: ut queam de vita illa superstite judicare, debeo nosse*

a) *vitæ causas*; causæ vitæ sunt, cor agens sanguinem in arterias, arteriæ pellentes eum per venas iterum in cor: causæ vitæ sunt, robur cordis & boni nervi ab eorum origine &c.

b) *naturam*; ut se ipsam destruat, nisi alatur bono nutrimento; adeoque debent superesse saltem aliquæ functiones naturales, ut alimenta possint ita mutari, quo alere corpus queant.

c) *sequelas*; si vita illa ali, sustineri possit, morbus forte erit curabilis; si vero non possit bonis nutrimentis, incassum erit, quodcunque ars in morbum agat.

Mor-

Morbus vinci non potest, nisi viribus vitæ; his subcumbentibus, ars medica inanis & vacua.

d) *gradus*; a vita maxima ad vitam minimam debeo nosse hanc vitam, ut possim judicare, utrum a morte vel prope, vel procul, æger absit. Hos gradus Pathologia inito docuit.

2) *Ad morbum, in eo præsentem*; duo enim in ægro mihi consideranda; & *vita* ejus, & *morbus*. Si morbus non esset, homo vel foret sanus vel mortuus. Jam vero, quum vivat, est mihi morbus ejus cognoscendus: sed, ut in *vita* cognoscenda varia simul erant notanda; ita & in cognoscendo *morbo*.

1) Ergo ad *causas morbi* attendendum, an ille ortus sit ex proegumenis causis, plethoræ; an ex idiosyncrasia, cacochymia? An causa procatarctica fuerit vel aër, vel cibus potusve, aut medicamen, aut motus quiesve, aut somnus vel vigiliæ, an passio animi, aut applicata externa? Ex his enim causis indicans petit, si fieri queat, ejus ablationem.

2) *Indolem*; a causa proegumena plethoræ cum causa procatarctica iræ, potest phrenitis oriri, aut apoplexia, aut ardens febris. Homo ex idiosyncrasia ita est dispositus, ut ab applicato emplastro tumeat toto corpore erysipelate. Indoles morbi ex quibusdam causis est acuta, ex aliis chronica. Est in nonnullis cum signis vitæ pro tempore auctæ, in aliis cum signis vitæ pro tempore inminutæ. Indoles in uno calida, in alio frigida, est.

3) *Sequelas*; novi, apoplexiam in plethorico illo fortem solutu impossibilem esse, debilem non facile, ut in *Aph.* 2—42. monuit HIPPOCRATES; & præterea, si inde vitam adhuc servet, in paralytin facile incidere, incurabilem sæpe per omnem vitam; vel in fatuitatem infantilem. Novi, hominem ex ira
phre-

phreniticum summe periclitari, ne vel moriatur, vel reddatur maniacus.

4) *Symptomata*: pro indole morbi sunt ejus symptomata. In homine phrenitico symptoma est furor inmanis in omnes, notos, ignotos: in morbo nato ex nimia humorum mucositate, v. g. apoplexia, lethargo, est motus animi & corporis ablatu fere. In priori casu symptomata curantur refrænando, mitigando; in secundo casu incitando.

§. 1073. *Etenim ex omnibus his (§. 1072.) discit Medicus 1) quid sit agendum, ut servetur vita præsens: si bona sit adhuc, ut saltem non diminuat ita, ut causa morbi sit causa vitæ valentior.*

Ut reficiatur labefactata; per idonea alimenta; ut, quæ fuerat causæ morbi inferior, eidem jam superior reddatur, saltem æqualis.

Ut illa tollantur, quæ vitam destruere, vel imminere, possunt: ut est morbus ejusque symptomata: quæ, si effræno motu pergant agere, vitam 1) minuunt, 2) destruunt.

2) *Quænam sint eligenda huic operi instrumenta; An cardiaca, cujusnamque generis? an ex refrigerantium, aut calefacientium, classe? An ex stimulantibus, aut demulcentibus?*


Quomodo hæc adaptari; an coquendo, an infundendo, an triturando, an liquefaciendo?

Adplicari; intrinsicus, extrinsicus; ad ipsum locum, vel ad locum remotiorem obpositumque? Certo ordine; ut sciam, quid primo, quid secundo, adhibendum. Ut primo per mitiora incipiam, antequam drasticis utar. Ut, si emeticum & v. s. simul indicentur, præmittam hanc, ne vi emetici caput obruatur.

Et tempore, debeant, si ad ægrum accedam tempore cruditatis morbi, si circa statum, aut in perturbatione critica, &c. differentiã insignis est in adplicando.

§. 1074. Id sponte patebit ex sequentibus. **THERAPEVTIKE** versatur circa tria; *indicans, indicationem, indicatum*, hinc debet habere & tradere regulas, hæc tria formandi. Ars, regulas has formandi, vocatur **METHODUS MEDENDI**, quæ jam sequitur.

METHODUS MEDENDI.



§. 1075.

In omni ægro vita superest; id scilicet, quo a cadavere hic homo distinguitur,

Tum causæ vitæ: circulus humorum, & facultas nervorum, quædam saltem, ut vita, licet minima, adhuc continuetur.

Ejusque effectus; ut saltem aliquis motus, calorque superint.

Vocantur hæc res naturales &c. Quia sunt ipsa natura. Res non naturales constituuntur alimentis &c.; quod non juvat, nisi per naturæ vires ita mutetur, ut transeat in naturam humorum. Res contra naturam est morbus.

§. 1076.

§. 1076. *Quum vero vita semper agat, erant in ægro superflites aliquæ actiones, quæ & sanitatem prius concomitabantur.* Non loquimur hic de vita occulta illa, quæ in suspensis laqueo, in submersis aqua, in syncope perfecta, superest, sine ullis suæ præsentis signis; sed loquimur de vita, ut in ægris est. In ægro, quamvis vita sit minima, aliquis saltem pulsus, motus, calor, supererit, quibus vita adhuc in corpore illo præfens intelligatur. Id ergo proprie est, quod *vires* vocamus: reliquæ prioris sanitatis.

§. 1077. *Quæ [vires] rite examinatæ ----- per vasa; non tantum in vasis, sed & per vasa. In vasis debet adesse motus humorum, arteriarum, & nervorum, ut agere possint. Per vasa debet esse transfluxus humorum, ut a corde dextro ad sinistrum, ab hoc ad illud vitalis humor ferri queat.*

§. 1078. *Ille autem &c. ut initio PATHOLOGICÆ docui.*

§. 1079. *Patet quidem ---- sui conservationem; nam quid alimenta medicamentaque efficient, si scintillas has vitæ sinatis exstingui? Atque restitutionem in integrum; non tantum adlaborandum, ut parva, quæ adest, vita conservetur; sed, ut morbus coquatur & maturescat, oportet curare, ut vita minima fiat major: quamdiu enim vis morbi superior est vi vitæ, tandiu mors timenda; si vero vitam ita auxeritis, ut superior sit vi morbi, jam spes est fore, ut vincat vita morbum, coquat, expellat.*

Quæ cognitio etiam adpellatur indicatio vitalis, vel conservatoria: hinc origo hujus nominis. Hæc de causa & vi vitæ: sequitur nunc causa & vis morbi quo-

que examinanda; sunt enim perpetua nobis hæc duo in morbis objecta.

§. 1080. *Causa cognita morbi indicat curationem, vel ablationem, sui.* Plethora, idiosyncrasia, cacochymia; causæ proëgumenæ, quæ rarius auferuntur, quam corriguntur, alterutrum *Textus* requirit; nam *censetur causa prior effectu.* caret effectu plethora, donec vel ita per se aucta, ut obprimat & suffocet hominem, citra ullam causam procatarcticam; vel a causa procatartica, ex classe rerum non naturalium petita, in actum ducatur.

Ideoque - - prævertens &c.; Si enim plethoram ita diminuerim, ut pro tempore ultra vix plethora sit nominanda & homini talem diætam ac vitæ regimen præscripserim, ut plethora non renascatur, non poterit aut per se corpus suffocare, aut cum causa procatartica combinata morbum facere.

§. 1081. Alia res est, si morbus revera jam natus adsit. *Morbus vero ipse perspectus indicat sublacionem sui, quæ indicatio vocatur curatoria vel therapeutica.* Nunc passim agendum habeo cum re, non futura, ut §pho præced., sed jam producta, ex causa proëgumena & procatartica.

§. 1082. Symptomata morborum, dolores, anxietates, evacuationes symptomaticæ narium, renum, intestinorum, cutis, ventriculi, quandoque inseparabilia a natura morbi, sibi relinquuntur, si tolerari possint; si vero sint violentiora, quam ut tuto sibi dimittantur, moderanda mitigandaque erunt. Vidimus v. g. in virgine Larissæa, aliisque ægris apud HIPPOCRATEM, alvum a principio morbi copiosam, nec criticam, nec symptomaticam. Ferebat illam alvum virgo inpune, reli-

reliquit eam HIPPOCRATES. Quodsi ex obposito videamus, alvo nimia perire vires, torminibus inde natis ægrum frustra defatigari, debemus hanc alvum moderari. Ergo symptoma hoc peculiare, non ipsum morbum, palliamus.

Pleuriticus tam inmaniter tussit, ut pectus sibi findi videatur: curamus per expectorantia & oleosa mista sedare illam; nil juvant: est gangræna metuenda. Palliamus tunc tussim clam expectorantibus, admisto pauco syrupo diacodii, est hoc, curare symptoma, non morbum. Vidistis in nosocomio stimulantibus & paregoricis mistis, alternatim sumendis, feliciter tussim moderari.

In variolis homo spuit sanguinem debeo omni arte hoc symptoma curare, aut in tali inpetuoso morbo æger animam cum sanguine fundet.

Dicitur indicatio hæc *urgens*, quia plus urget, quam totus morbus quandoque; *mitigatoria*, aut *palliativa*, quia causam morbi, aut symptomatis hujus, non aufert.

Hic nunc iterum habetis objectum totius hujus, qui superest, tractatus:

1) Enim indicationi vitali satisfacit cardiacis; hinc caput de diæta & cardiacis.

2) Causas morbi tollere conatur, incipiendo a venenis & deinde ab iis omnibus causis, qui tum in solidis, tum in fluidis, hærent.

3) Morbum auferre conatur præsentem pertractatio indicationis curatorix in morbis fluida 1) corrigen-
tis, 2) evacuantis; ubi tum agetur de emeticis, purgantibus, sudatoriis &c.

4) Opus totum claudet curatio palliativa.

§. 1083. Unde jam constat &c.; ut dixi ad §. 1072. & 1073.

§. 1084. Utinam hoc bene omnes perpendere! Audito nomine morbi jam seriem medicamentorum animo formant; quia audiverant, legerant alicubi, vel a Medico seniori adplicari viderant, talia remedia, in tali morbo.

Si curetis v. c. hominem pleuriticum & adhibeatis omnia selectissima externa internaque remedia, poteritis eum facile trucidare, si ignoretis, an morbus sit in adscensu; an in akme; an in nisu ad resolutionem, aut ad criticos motus & evacuationes; an ad subpurationem; an ad gangrænam. Ergo primo noscenda est vita, ejusque gradus; 2) morbus, ejusque gradus omnes.

Si hoc pateat Vobis, novistis, quid sit agendum; an vi res minuendæ, an augendæ; an resolutioni cooperandum, an evacuationi; an promovenda, quæ jam fit, subpuratio. Instrumenta omnia varia agendi quum Vobis nota sint, mox percipitis, an, & quomodo, & quando, & quibus, agatis.

§. 1085. Sæpius Vobis dixi, qui judicio non pollet, non est aptus ad Medicinam. Vultisne exemplum ejus, quod *Textus*, dicit? Pleuriticus crudo morbo diarrhæa periturus est: ergo est illa mihi moderanda. Si adstringentibus id faciam, nocebo pleuritidi, quæ eget adtenuantibus; nam experientia docet, etiam vim adstringentium per lactea furtim subire in sanguinem. Si velim adhibere opiata, sopietur tussis, quæ mihi ad expulsionem materiæ erat necessaria. Femina angina, aut phrenitide, laborans, eget v. f. in pede; sed simul est

est gravida: ergo, quæ indicata v. s. ex pede fuerat, contraindicatur a graviditate.

Juvenis noster (qui decumbebat in nosocomio 1758.) doloribus capitis intolerabilibus vexatus, indigebat v. s. ex pede: sed simul enormes in abdomine patiebatur cruciatus: indicabant postremi hi dolores v. s. ex brachio.

Hinc itaque nata est utilis illa & celebris doctrina indicantis, contraindicantis, ut mox exposui; repugnantis, permittentis. Repugnans est idem, quod contraindicans. Missio sanguinis indicatur; sed, quacunque arte unquam res tentata fuerit, cadit homo semper in animi deliquium enorme. — Rheum indicatur; sed nunquam homo ille rheum, vel inscius & deceptus a Medico, sumsit, quin vomuerit ad animi deliquium. — Emplastrum resolvens indicatur; sed homo inde semper totus fit erysipelatosus. — Indicarentur in hoc vel illo moschus, ambarum, succinum, spiritus salis ammoniaci, castoreum &c.; sed constanti lege inde spasmi, aut animi deliquia, oriuntur: (quales recessus in feminis sæpe adeo observantur, methodum medendi, aliunde adeo operosam ac difficilem, sane reddentes difficillimam. Prætervisi autem illi recessus frequentius fuerunt causæ, cur morbus, adhibito licet multo molimine Medentis, aut non fuerit curatus vel minimum; aut reditus longe pejor, quam ex indole propria fors unquam evasisset; aut æger, ocyus seriusve, stygias transmissus in umbras.)

Permittens, quod contraindicat quidem, sed tam parum, ut indicans vinceret hoc contraindicans. Homo indiget emetico; sed ab emeticis genus nervosum ejus ita agitur, ut sit infinitis dein spasmodibus obnoxius: ergo contraindicat quidem hæc ægri diathesis; sed mox a perfecta emetici actione dabo misturam cum nervoticis

& opiatibus; sic sedabo, vel averruncabo, qui inde orientur, spasmi. Ergo diathesis ægri contraindicans fit *permittens*, hac lege.

Coindicantis; plethora, & inflammatio, & dolor, & febris, simul omnes indicant v. f.

Correpugnantis; animi deliquium a v. f. solitum; spasmi & debilitates, a v. f. semper observatæ; graviditas; abortus, semper a v. f. observatus; & horror incredibilis, & nullo ratiocinio vincendus, contra v. f., contraindicant (correpugnant) adversus v. f.

§ 1086. *Quando itaque* --- *axiomata*. Jurisconsulti possunt diem petere, quo res differatur, si non sint parati; Medicos oportet semper paratos esse, aut differendo sero veniunt. Hinc necesse est, habere regulas fixas, axiomata menti præsentia sint, quæ consulat Medicus in rebus dubiis: sic firmum semper dabit responsum in consultationibus, & quamvis res non bene cesserit, viris doctis & honestis semper probabitur.

1) *Quidquid indicat in ægro, id petit conservationem, vel ablationem, sui*. Res duæ in ægro tantum indicant; vita, & morbus, ut vidimus ad §. 1072. 1073.; causæ, sequelæ, effectus, gradus, utriusque. Vita nunc sui conservationem si satis bona; sui augmentum, si nimis debilis sit, petit. Sine vita nil fit. Morbus aliena res vitæ insidians, ejus interitum minitans, necessario abigendus.

2) *Quidquid in ægro deprehenditur secundum naturam, id conservationem sui semper requirit*. In homine perfecte sano quidquid adest, secundum naturam est: si vel minimum hinc dematur, ægrotat parumper: si multum, ægrotat valide. Æger Tuus jam habet minus de conditionibus hominis sani, ideoque ægrotat: quo plus illis conditionibus caret, eo major est ejus ægritudo,

Patet hinc facile, id quod de his conditionibus bonis superest, summe esse conservandum: quo enim plus demitur inde, eo pejus homo ægrotabit.

3) *Quidquid in ægro deprehenditur contra naturam, id ablationem sui requirit.* Morbus cum omnibus suis symptomatibus est contra naturam, ergo est auferendus.

4) *Constat iis, quibus nutritur, corpus:* nam omne corpus, quod non nutritur, perit. Aër, cibus, potus impediunt, ne pereat: ergo alimenta, per vires corporis ex non naturalibus naturalia facta, reparant ea, quæ actione vitæ a fluidis solidisque erant deperdita.

5) *Similibus conservanda similia.* Deficit in homine bilis; languet chylopoësis; Medici est, ut inquirat in causam: sanguinis inertia est causa: dat igitur homini huic medicamenta saponacea, amara; saponem venetum, aloën, myrrham, gentianam &c. ut 1) chylus melius subigatur, dividatur, præparetur: 2) ut sanguini adsit materies, quæ vice fungatur bilis, ut debito stimulo illo gaudens, minus iners sit; 3) ut reddito sanguini vigore, secretio bilis denuo fiat. Verum, quum talis sanguinis inertia sæpe sine solidorum laxitate non fiat, simul frictions, motum corporis, medicamenta restituentia (corrigentia) hanc laxitatem, ut martem, corticem peruvianum, simarubæ &c. adhibeat, ut omnia restituantur in integrum, renata bile.

Mucus intestinorum est deperditus in dysenteria: mucosa adplicata ore, ano, ipsum locum defendunt. Diæta mollis, subpinguis ex rad. sisari, scorzonæræ, pastinacæ; ex leguminibus farinosis, & cerealium farinis; ex gelatinis animalibus, hunc deperditum mucum restitunt. &c. &c.

6) *Causa curans per remedia morbos est vita superstes;* remedia, nutrimenta, in vita languente non

præparantur, non adplicantur. Solæ actiones vitæ fuscipiunt, mutant, præparant, adplicant.

Et propria cuique temperies: remedia enim generalia non sunt semper, sed sæpe, propria cuique: instantiæ copiosæ apud HIPPOCRATEM, v. c. *Epid.* 4. p. 1123., p. 1138.; 6. p. 1165. p. 1193. &c. & in praxi quotidiana, occurrunt.

Ergo causa curans per remedia morbos, est vita superstes, & propria cuique temperies. Temperies, diathesis, hominis efficit, ut vita superstes curans & eliminans morbum, potius illam partem, quam aliam, petat.

7) *Ergo, ubi æque urget indicatio vitalis & simul alia quælibet, erit tum semper satisfaciendum priori.* Cholera, morbus omnia sursum deorsumque ejiciens, indiget leni emetico: SYDENHAMUS. provocabat eo in casu vomitum fatuo jure pulli, tepide adsumto: hæc indicatio est verissima naturalis. Sed simul dejectionibus & vomitu jam ita corpus est exhaustum, ut brevi timenda mors sit: pulsus est parvus omnino, sudor adest frigidus, pallet homo totus: ergo etiam indicatio vitalis indicat sui & conservationem & augmentum. Eo in casu indicatio vitalis, ex binis æque urgentibus petit, ut sibi fiat satis, præ alia. Hoc exemplum indicationis vitalis comparatæ cum naturali: videamus exemplum indicationis vitalis comparatæ cum animali.

Homo ardente feбри decumbens delirat: urget hæc indicatio animalis, ut fiat v. s. ex pede, quò alvus fiat laxa, & systema mesentericum simul plus capiat cruoris: at vero febris eadem intra 3. 4. dies hominem ita debilitavit, ut cor totum langueat, & ut pulsus sit parvus, calor inæqualis. Indicatio vitalis urget magis hic; unde v. s. non faciendæ, sed vires prius, si fieri queat, reparandæ.

8) *Sed, ubi indicatio inpar simul urget, tunc semper erit satisfaciendum maximæ.* Homo est phreniticus & furibundus, estque jam per quatuor dies, ut vita opus habeat viribus ad coctionem. Verum phrenitidis vehementia spem coctionis mihi nullam facit & vires ægri videntur adhuc v. s. fere posse: hic postponitur indicatio vitalis, ut satisfiat animali. Si in cholera vires vitæ non detritæ, postponitur vitalis indicatio indicationi naturali.

9) *Juvantia & nocentia præcipue indicant.* Æger feбри acuta laborans & summe debilitatus, accipit a suo Medico jura carniū, emulsiones, ut viribus crescat, sed incassum: dolet Medicus, quod ad vires conlapsas nulla nutrimenta juvent; unde familiam periculi monet. Sequenti visitatione videt naturam erectiorem, immo materiæ molientem coctionem. Gaudet summopere; sed interim fatetur æger, se, quum vino carens semper sit debilis, parum vini adsumsisse, naturamque inde penitus recreatam esse. Morosus Medicus mortem minatur, si ita pergat, immo se non rediturum, nisi promittat religiose, se fore obedientiorem. Homo territus torvi Medici minis abstinet a vino, relabatur in antiquam debilitatem & vel perit, vel metastases malas patitur, aliosve morbos. — Prudens Medicus notat, a vino adsumto naturam coctioni paratiorem: petit modo, velit æger abstinere a puro vino, sed cum decocto hordei, vel panis, subinde tantillum sumere. Sic pergit natura roborari & homo recuperat sanitatem.

Ex obposito in casu SYDENHAMI mutatio constitutionis epidemicæ efficiebat, ut qui in priore constitutione vomitus juverat, jam mortem inferret: a nocentibus hic indicatio sumenda.

Regulam hanc dictator HIPPOCRATES optime semper commendavit. Hinc nescius sæpe, an sudores, alvos, vomitus, conpesceret tempore cruditatis, vidit modo, qua ratione id ferret natura: si bene ferebat, sibi dimittebat; sin minus, auferebat. In *libro de prisca medicina* docet, ex hac unica regula natam artem medicam totam.

IO) *Contraria tolluntur contrariis*; nimix vigilix sopientibus, sopor nimius irritantibus; plenitudo nimia evacuantibus, *ανεπαγγελεια* replentibus; acida diluentibus, absorbentibus, inmutantibus, alkalina, oleosa empyreumatica acidis saponaceis; calida refrigérantibus, frigida calefacientibus.

II) *Natura gaudet consuetis, ægre fert insolita quæque*; ita, ut stricta diæta sæpe noceat iis, qui voraces olim fuerunt, si in morbis primæ viæ multum adfectæ non sint. Homines in nosocomiis a vulneribus aliquando non bene curantur, diætâ strictâ; reduces ad familiam curantur cito, diætâ solitâ. — Homo semper farinosus delectabatur; si in morbis magno feratur in ea desiderio, concedatur aliquid, inprimis, ubi incipit paullulum convalescere.

12) *In maximis malis cito, & semel, tentanda summa remedia*. Sit ileus, hernia incarceratâ, ischuria &c.; sunt mala, quæ dilationem non ferant, ita enim mors sequitur: ergo omnia, quæ ars habet, simul & semel adhibenda.


13) *In mitiori malo sensim, & repetendo, danda remedia leniora*. In colica consueta flatulenta non illico mercurius potandus datur, nec fumus ta-
ba-

baci inmittitur intestino recto: sunt mitiora hic propria; enemata, lenia purgantia, epithemata &c. levis nausea forte ab inhibita perspiratione, aut crapula, nata, non est illico vomitoriis obpugnanda: quiete, abstinencia, diluentibus, restituta perspiratione, sæpe curatur: si malum crescat, ad fortiora deveniendum.

Juniores Medici sæpe peccant adversus hæc ultima duo axiomata: vel enim segnius maxima mala, vel nimis strenue mitiora adgrediuntur. Bonorum principiorum usus hunc errorem corrigit.

Axiomata nunc enumerata 13., quamvis simplicia, magnam in se doctrinam continent, & sunt res per se verissimæ, quas unusquisque, quamvis non sit Medicus, ita se habere, percipit.

INDICATIO VITALIS.



§. 1087.

Quum jam toties dictum fuerit, indicationem hanc prævalere cæteris, ideo totum *caput de CARDIACIS* dicatur illi; sed hac *Institutionum* pagina AUCTOR pauca præfatur *de viribus vitæ*.

§. 1088. *Vita* noscitur ex suis viribus: si vires omnino integræ, vita adest *maxima*: quot gradibus de-

declinant vires ab illa perfecta integritate, tot gradibus vita a maxima recedit versus *minimam*.

Vires illæ aliter nobis non innotescunt, nisi per effecta sua: in sano magna, perfecta; in ægro minora; quo autem minora, eo morbus periculosior; acutusne morbus fuerit, an chronicus.

§. 1090. Porro *functiones vitales* quid proprie sunt? sunt propulsiones humorum per vasa omnia, tum, qua decurrunt per varia cava & partes corporis; tum, quæ per viscera; tum, quæ per ipsorum vasorum feruntur parietes.

§. 1091. Ut fiant hæc nunc dictæ propulsiones, requiruntur humores, & vasa: in humoribus & vasis illis requiruntur conditiones aptæ singulorum. Humores oportet esse non spissiores, quam ut queant fluere per vasorum extremitates; nam ibi stagnarent; non fluidiores, aut undique transprimerentur: oportet, eosdem non esse pauciores, quam ut rite possint propelli; non oportet esse copiâ plures, quam ut comprehendi a corde & vasis possint.

In solidis opus est, ut habeant vim talem, qualis requiritur, ut massam fluidorum continuata actione propellant; liquida enim ipsa id non faciunt, quietura in æternum, nisi moveantur a solidis.

§. 1092. Hæc autem, nunc dicta, solidorum actio pendet a contractione fibrarum; (omitto ab HÆNIO hic adlatam actionem solidorum, fibris compositorum, harumque contractionem, in fluida; ex Physiologicis aliunde cognitam.)

CARDIACA ET DIÆTA ÆGROTI.



Vita gradus habet suos ; in sanitate perfecta, maxima est ; in morbo minori minor ; in morbo maximo, ad mortem nunc tendente, parva, dein minima, tandem nulla : a frigore quidem aliquid adhuc post mortem fibræ agunt, sed id ad vitam aliquam constituendam non sufficit. Cor ergo, arteriæ, ac cerebellum hic concurrunt ad hanc vitam constituendam. *Indicatio* itaque *vitalis* maxime indicat conservationem virium cordis, arteriarum, & cerebelli. Quomodo id fiat, præsentî capite nunc examinandum.



§. 1095. *Quum vero cor &c.* ex pulsu enim vires maxime metiuntur Medici ; unde de statu cordis primo judicant, eandemque ob causam vocant remedia, vitam languentem restaurantia, *cardiaca*, barbæ *cordialia* ; qua voce nemo bonus Latinus unquam utitur.

Proprie tamen *cardiacum remedium* significat id, quod vires cordis excitat, eoque sensu hoc capite sumitur. Notandum vero, quod usu sic receptum sit, ut *vitalia* proprie remedia, in restrictiori sensu, sint dicta

dicta *cardiaca*; quia cor præcipuum instrumentum, quo vita continuatur.

§. 1096. *Varia quidem &c.*; nam debet ex indicatione patescere, quodnam genus cardiacorum in dato quovis casu adhibendum.

(Omisi hic denuo §§. 1097—1116 expositionem, nullis difficultatibus septam; ne inmensum excrescat sermo.)

PROPHYLAXIS THERAPEUTIKE.

Methodus medendi, divisione antea facta, primo adnitebatur vitam conservare, qua sine reliqua medela nihil; 2) morbos prævertere, eosque veluti in semine subfocare; 3) morbos jam natos tollere; 4) symptomata nimia morborum peculiari cura mitigare, & morbis incurabilibus saltem aliquod adferre medicamen; id est *palliare*.

Primam partem methodi medendi absolvi; alteram nunc explicandam adgredior.

§. 1116: Morborum causas nunc delere, antequam per ætatem in morbos adolescant, jam est animus.

mus. Sunt, ut scitis, variæ, de quibus in tota Pathologia (Ætiologia Pathologiæ) actum. Sed considerantur hic potissimum causæ morbi, qui sine causa procatarctica accedente morbos faciunt.

Mala conformatio corporis hic primo consideranda venit: nata hæc vel a gravidæ Matris imaginatione (de qua vero multa sane dicenda forent; ut in universum adsumi plane nequeat —) vel inprudencia obstetricis, vel neglectu Nutricis, aut Custodis, de quibus omnibus, quomodo emendanda, dictum partim in Ætiologia, partim in *morbis parturientium ac puerperarum*. (*) Sunt & tales a rachitide, a casu, a præva consuetudine; quibus fit, ut corpus difforme fiat in structura sua: unde intus locata viscera, vasa, nervi, glandulæ, turbantur in situ, actione. Si maneant hæc, asthmata, epilepsias, fatuitates, alios morbos, temporis lapsu producent.

2) Considerantur hic causæ cavitatis vitiatæ, & quidem primo cavitatis auctæ; ut est anastomosis, diapedesis, diairesis, diabrosis: deinde cavitatis inminutæ, per emphraxin, itenochoriam, thlipsin, symphyisin, synizesin.

Hæc porro classis altera causarum morborum est exposita *cap. de morbis organicis*. Quoad curam, si externe pateant, chirurgicam manum, si internæ, medicam opem postulant. Porro quomodo interna illa vitia emendanda, tota SYMPTOMATOLOGIA, & SEMEIOTICE docuit. Obstructiones, inflammationes, hæmorrhagias varias, quomodo curemus, ibidem vidimus.

3)

(*) Quos in peculiari Tractatu edam. De WAS-
SERBERG.

3) Classis talium causarum per se morbum facientium sunt omnia, quæ premant, distrahant, laxent, dissolvant ligamenta, aut coërcentes membranas: unde luxationes, contorsiones, herniæ, prolapsus: de his quoque actum *cap. de morbis organicis*.

4) Classis comprehendit omnia, quæ urant, secant, ictum inferant, pungant, rodant, distendant, contundant: de his autem longe lateque egi *cap. de vulneribus & contusionibus*.

§. III7. Tales igitur causæ hærentes in partibus firmis majoribus, sensui patentibus, aut saltem detegendis, requirunt sui ablationem per artem chirurgicam: quo & scirrhi, canceri mammarum, &c. referendi; sunt quidem morbi per se; sed hominibus cætera sanis fiunt tandem causæ morbi universi corporis, & mortis.

Auctores chirurgici, qui hic nominantur post tempora, quo BÖERHAAVE hunc librum scripsit, habere egregios discipulos, qui tradita a suis magistris fideliter coluerunt, inventis auxere novis, apud omnes fere nationes, ac maxime, quod fatendum est, Gallos. Collectiones publice editæ hoc testatum faciunt. (Facile patet, impossibile plane esse, ut hic vel minima pars virorum celeberrimorum, qui circa Chirurgiam, sensu latissimo consideratam, artem obstetriciam, ac doctrinam ophthalmiatricam bene meruerunt, hasque artes saluberrimæ partes inventis auxerunt novis, hic nominatenus solum adducatur: suadeo itaque omnibus, qui horum cognitionem quærunt, amplio rem, plus, quam vulgo creditur, utilem ac necessariam, legant relegantque *Bibliothecas chirurgicas*, magno labore congestas, *Cel. HALLERI*, & quæ nuper
Vin-

Vindobonæ ex officina Trattneriana prodiit, Cl. DE VIGILIIS.)

§. IIII8 *Si vero in interioribus hæserunt eadem, aliis remediis, licet in operatione ultima similibus, sunt obpugnanda, in operatione ultima omnia similia sunt, intera, externa; nempe sive per artem chirurgicam externa, sive per artem medicam interna, petunt sui ablationem: ergo remedia interna externaque, auferendo causas, sunt similia.*

Hic nunc solventia concretum, solutum auferentia, remedia, conveniunt, si malum sit curabile. Scirrhus, scrophulas, aliosque glandularum tumores, ars per interna remedia aliquando (frequentius) (*) feliciter curat. Anastomoses, rexin, diapedesin sanat per lenia adstringentia, roborantia. Obstructa vasa per emphraxin, stenochoriam, thlipsin, curat per evacuationem humorum, per remedia deobstruentia. Humores solida lædentes, & ad morbos disponentes, pro vario genere acrimoniæ, spissitudinis, tenuitatis, ars medica per interna curare novit specificis obpositis; ut toties in *ÆTIOLOGIA* visum, & ut mox patebit in *indicatione curatoria corrigente fluida* ad finem hujus Tractatus.

Inter quæ quum venena sint primaria, primo de his agendum erit. Venenorum historia, necessario in Medicina tradenda, huc refertur. Est venenum causa infinitorum & lethalium morborum; quæ causa

C 2

fi

(*) Ingratus sane ac injurius forem erga tanta merita *Inl. L. B. de STÖRCK*, nisi hoc addidissem.
De W.

si illico queat auferri, corpus a morbo & morte præservatur; si minus, violenter ægrotat & passim moritur: ergo de his agendum.

A N T I D O T A .



§. IIII9.

Caput hoc vocatur de *Antidotis*; sive de *remediis agentibus contra venenum illudque enervantibus*.

Venenum vocatur omne id, quod vel ingestum, vel adplicatum corpori, præsertim humano, (rationem non video, cur ad corpus humanum restringi deberet;) illud adeo mutat, ut vita eidem superando inpar, morti subcumbat, (aut vita maximum incurrat periculum.)

Venena velocia ingesta vel adplicata: ingesta, v. g. dum napellus, dum arsenicum &c. ore adsumtum fuit; *adplicata*, dum saliva canis rabidi, venenum viperæ, cuti externæ, vulneratæ adplicatum est, vel dum halitu tantum inspirantur, v. g. vapores caustici, ut in grotta del cane Neapoli, ut in vapore, aut fumo cespitum (Torff) aut carbonum, inclusus homo subfocatur; ut per spiraculum dolii odor vini actu fermentantis hominem occidit. (Etsi HÆBNIUS hæc

hæc omnia exempla ad unam communem classẽm reduxerit, hodiernæ Chemiæ luce instructus ignorare tamen nequit, quantum inter varios vaporum species intercedat diversitas: legendus hic imprimis, præter multos alios, qui hac super re bene meruerunt, Viros celeberrimos, *Inl. MACQUER, Dictionnaire de Chymie, Art. GAS.*)

Venena hæc vel velociter occidunt, vel lente: velociter v. c. arsenicum, Mercurius sublimatus corrosivus; (dosi sufficienti data) lente v. c. plumbum, stannum &c.

Notus fuit sæculo præcedenti *pulvis* dictus *successionis, poudre de succession*, qui diabolica arte ideo excogitatus, ut in tempus præfinitum homines interimerent, pro varia ejus præparatione & dosi, quique a femina Principe, quam ob familiæ gloriam nominare non licet, datus eum in finem fuit; sed, severa inquisitione a LUDOVICO XIV. instituta, penitus extinctus & oblivioni traditus est. Occasione hujus nefandæ historiæ impulsus fuit BOERHAAVE, ut examinaret omnia venena, & conderet hoc caput, quod posthac his Institutionibus inseruit.

SYLVIUS in vita HEURNII, primi leydenfis in Medicina Professoris, narrat similia. Nobilissimus Dominus de NOORTCARNES, ab Hispanis quibusdam veneno potionatus in virulentum tædiosissimumque icterum inciderat: ipse & causam morbi sui noverat, & inmedicabile malum esse sciebat: ut tamen lenimen haberet, convocavit multos Medicos famosiores; sed, ne irritus esset effectus consultationis, singulos seorsim audivit, & consilium notavit. *Joannes* autem HEURNIUS, ut junior, postremus ingressus est. Symptomatibus ille intellectis, certisque indicis captis, deprehendit, ictero ipsum laborare, patriæ nostræ info-

lenti, sed Italiæ frequenti; nam plures similes casus ibi viderat; nimirum virulento a veneno hausto; unde gubernator mirabatur, solum juniorem omnium veram causam divinasse. Lenta vi veneni tandem nobilis vir cessit fati.

Sunt vero venena eadem vel velocia, vel tarda, prout dantur. Arsenicum magnâ copiâ occidit brevi: sed pauca copia non quidem tunc occidit, sed corpus miserum reddit, crura aliquando resoluta &c. FORESTUS l. 18. c. 28. in *scholio* exempla habet hominum, qui per annum, qui per duos, qui per plures supervixerunt annos, Habet etiam historiam familiæ, ubi trium nobilium divitumque fratrum is, qui natu minimus, arsenicum in vini dolium conjecerat; unde, quum longo tempore bibissent, demum cœpere doloribus ventriculi & intestinorum adfici. Videtur tunc arsenicalis labes plus soluta fuisse: qui apud ipsos pransi, cœnative, similiter. Tandem dolorem pungentem ad ventriculum & sitim inexplebilem experiebantur, demum febres putridas: horum tres mortui sunt. Inventum arsenicum crustas formasse ad fundum cadi.

Igitur venena vel velocia ingesta, adplicata, causæ morborum facta vi propria, vel corruptione prius inducta partibus infectis, indicant

1) *Causæ venenatæ ablationem*: hæc quinque seq. §§. explicabunt.

§. 1120. *Igitur primum horum quinque sic fit.*

Causa venenum spargens atque communicans corpori, vel atmosphæræ immiscens miasmata, vel corpori jem adplicata illi miasmata inspirans, si sensibilibus est & cognita, facile auferitur I.)

α) Tol-

α) *Tollendo rem venenatam & quidem inprimis eam flammis vivis, magnisque conburendo;* est sæpe res invisibilis, effectu modo cognoscenda. Erat apud Batavos puteus ingens, latus, profundus, in quem a longa annorum serie omnes adjacentis urbis & pagorum omnis generis sordes injiciebantur. Nascitur per certos ventos contagiosa febris ardens cum maculis purpureis. Post multam in vanum adhibita incipiunt causam pestis detegere, & obplent voraginem: pestis sistebatur, nec redivit.

VIRGILIUS in peste animalium *Georg.* 3. narrat, pestem jam omne genus animalium adficere, ipsasque aves, contra remedia data, morbum fieri ferociorem; **MELAMPUM** cæterosque Medicos jam spem deponere omnem, immo ab animalibus pestis speciem in homines transire.

„ Balatu pecorum & crebris mugitibus, amnes
Arentesque sonant ripæ, collesque supini.

Jamque catervatim dat stragem atque adgerit
ipsis

In stabulis turpi dilapsa cadavera tabo:

Donec humo tegere, ac foveis abscondere
discunt.

Nam neque erat carnis usus, nec viscera quisquam

Aut undis abolere potest, aut vincere flamma:

Nec tondere quidem morbo illuvieque peresa

Vellera; nec telas possunt adtingere putres.

Verum etiam invisas si quis tentaret amictus,

Ardentes papulæ atque immundus olentia sudor

Membra sequebatur: nec longo deinde morante

Tempore contactus artus facer ignis edebat.”

Ita tempore pestis conburendæ sunt vestes peste mortuorum; quod tamen avaritia detestanda prohibens malum propagat.

Est præterea aliud hic notandum; bonus BOERHAAVIUS acriter semper invehebatur in morem Batavorum, qui cadaveribus templorum profunda replent, laudabatque V. V. & multarum gentium adhuc vigentem morem, cadavera conburendi. (*) Certe pestis tempore foret utilissimum: jam vero spirat per pavimenta templorum cadaverosus fœtor, vivos inficiens, & tempore pestis tetro halitu pestim communicans.

(*) Unde non sat laudanda mandata Principum, sepulturam intra ambitum urbium, templorumque prohibentium, Legenda hic imprimis bene elaborata Diatribe Cl. HABERMANN, ante paucos annos *Vindobonæ* edita, de *salubri sepultura.*)

β) *Aërem corrigendo, qui miasmata desert: quod fit optime vaporibus optimis rerum accensarum, vel calefactarum, quæ obpositam habent vim veneno cognito. Ut in peste, deinde in causticis alkalificis halitibus putridis conducunt fumi aceti.* Ait SORANUS in *vita HIPPOCRATIS.* „Quin etiam quum in Illyrios, Pæonas, & Barbarorum regionem pestis ingrueret, earum gentium Regibus rogantibus, uti sese ad illos conferret, a Legatis edoctus, quinam illic venturi ut plurimum perflarent, illos, re infecta, dimisit. Quum vero recta conjectura judicasset, morbum in Atticam perventurum, id quod futurum erat prævidens, tum urbium, tum discipulorum curam suscepit.“ — PLINIUS vero *l. 7. c. 37.* describit eandem

dem historiam, & ait, ideo Legatos Illyriorum Pæonarumque re infecta dimisisse, quum, qua parte venti illas regiones intrarent, ab illa nulli montes essent, quorum inter angiportum ventus ad civitates ferretur. Regionem vero atticam, quum per montium angiportum ventus ab illa parte, peste adfecta, adflaret, duo erant remedia: cogere 1) ventum, ut non posset intrare regionem atticam, nisi supra ingentes ignes, diu noctuque accensos, ad partem illam regionis, quæ erat ante angiportum. Ignis quum infectiones aëris alias lustrat, sic etiam potest lustrare aërem pestiferum. 2) Obplendo illam inter duos montes angustiam, per quam ventus intrat. Quum enim miasmata juga montium non transirent, sed depressius in atmosphæra hærent, æquum erat hoc consilium, pestem averruncandi, quo aditus aëris pestiferi per angiportum inter montes penitus obcluderetur: ut aër nullus posset ultra adflare, nisi supra montium cacumina, ad quæ nunquam adscendunt miasmata.

Verum, animadvertit SYDENHAMUS, *Secl. 2. c. 2.*, aëra pestiferum per se non solere pestim generare, nisi 1) aër in ea regione antea existens, aptus sit ab aëre pestifero adflante miasmatibus adflatis suscipiendis; 2) nisi adsit commercium aliquod aut hominum peste adfectorum, aut mercium, aliarumve rerum in aliis pestiferis locis infectarum. Alias enim non adsequor, SYDENHAMUS ait, quæ fiat, ut in eodem cœli tractu, dum unum aliquod oppidum peste gravissime adfligitur, aliud, non longe distitum, omnem commercii necessitudinem cum loco contagioso caute inhibendo, prorsus immune se præstiterit. Quemadmodum non ante multos annos pesti, per universam fere Italiam inmaniter grassanti, Magni Ducis cura, atque prudentia, aditum in Hetruriæ fines penitus interclusit.

Ergo & aër emendandus, & ipsæ res peste affectæ.

Egregius Physicus HALES dedit anno præcedente Tractatum de optima methodo lustrandi res, naves, homines, Smyrna cum peste in Europam venientes; ubi præcipua intentio est, sulphuris fumo omnia perlustrare.

Contra HALESIUM scripsit Dale INGRAM, Chirurgus & Embryulcus, experientia se nosse, mercaturis, navibus, & hominibus, pestem ex loco in locum non differri, sed aëre austrino, humido; pestem iterum pelli aëre sicco, frigido: aërem porro illum humidum australem eo aptiorem esse ad pestem generandam, quo sordidiores sint civitates & regiones; eo ineptiorem, quo regio nitidior; hinc, ex quo post ultimam pestem londinensem urbs multum renovata & copiosiori aqua irrigata fuerit, pestem, olim tam frequenter reducem, hactenus nondum comparuisse.

Tamen contra hanc sententiam est 1) experientia omnium sæculorum, ubi pestis visa est tali navium contagio inrepisse, & ubi bonæ cautelæ habitæ, seclusam esse: 2) aliud argumentum petitur contra hanc sententiam, quod gens batava, nitidissima a sæculis fuerit, aquis ubique irrigata, & quod tamen medio elapso sæculo pestis dirissima ibi loci grassata sit: 3) ipsa Hetruria, ideo a peste libera, quod nullum cum Vicinis commercium habuerit, abunde confirmat, minus adhuc ab aëre, quam a commercio hominum & mercium pestem cum aliis regionibus communicari.

Sulphur, Antiquis dictum τὸ Θεῖον, lustrandis rebus infectis optime conducit. Pulvis pyrius accensus commendatur maxime, constans sulphure, nitro, carbonibus. DIEMERBRÆKIUS laudat etiam fumum tabaci; immo tabaci Mercatores, ob atmosphæram vapo-

re tabaci in ædibus semper repletam, pesti minus obnoxios hæsisse, addidit; quæ tamen experientia non omnino probata in Belgio fuit. Pestis HIPPOCRATI merito τὸ Θεῖον est, quasi aliquid divinum & incomprehensibile. An ideo sulphur sic etiam vocatum, quod adeo proficuum in peste?

Acetum exspirans, ubi calefit, acidum suum, egregius quoque aeris lustrator, ubi in aere aliquid quod in putredinem vergit, unde copiosus sit ejusdem usus. Spiritus salis quoque. Sal marinum in sartagine positum crepat & spiritum salis diffundit. (Inconcinna satis hæc foret methodus, acidum salis a basi alkalina sejungendi. —)

Optimum est, ut Medici eo tempore indusia vestesque omnes quotidie lustrent tali vapore; sed ille sulphuris adhuc præstantior est; ut aceto madefaciant pulvis ægrorum, antequam explorent; ut muccinia eo tempore aceto madentia sub naribus ponant; ut aceto & aqua sæpe os colluant; utque adsuescant exspuere salivam, aliter deglutendam, dum sunt in ædibus infectis. SYLVIVS, qui ter pesti interfuerat incolumis, mane sumebat unciam unam aceti pane intincto: sic diutius manebat in viis primis. Si mane esset oblitus, vesperi capite dolebat. Vide ejus *Traçtatum de peste*, sub *finem operum*.

Si vero alicubi vapores acidi caustici dispersi per atmosphæram morbos faciunt, vapor alkalinus est conciliandus. BOERHAAVE semel methodo helmontiana spiritum sulphuris parans & utcunq; minus sibi cavens, fuit ejus vapore fere subfocatus, contracto pulmone: præsto mox erat spiritus salis ammoniaci, quem naribus inspirans brevi a constrictione liber fuit.

Diabolico consilio ars inventa est, qua pulvis inspalpabilis & præ paucitate invisibilis in libro, in epistola

tola ponitur; ut, qui aperiat, mox moriatur: unde publica lege semper cautum, ut litteræ omnes primo sulphureo fumo bene inprægnentur.

γ) *Aërem mutando, dissipando, renovando, per ventum arte factum, inprimis si simul per ignes magnos accensos transmitti queat, arte hippocratica; si cogatur aër, qui per latam aperturam inter montes flabat, nunc parte obpleta per angustiam adflare, & lufretur magnis ignibus, dum per illam viam celerius ire cogitur; dissipat priorem, ipseque purior illi substituitur. (*)*

(*) *Aërem pestiferum producant multa:*

1) *Aër inclusus, non renovatus, multorum hominum in nosocomiis, in carceribus &c.; in locis, ubi milites sunt in Cantonirungsquatieren tempore hyemali, ubi aër non potest apertis fenestris renovari, & tamen 50—100. in parvo loco simul decumbunt.*

2) *Ubi post magnum prælium corpora non sepulta in campo diu jacent.*

3) *In Noordhollandia a balæna in littore putrescente: ita Venetiis a pisciculis in littore maris adriatici putrescentibus.*

4) *In urbibus diu obsessis, ad quas ex agro confugere innumeri homines, & pecora, & in quibus duplo, triplo numerosiora præsidia, quam alias esse solent. Locantur ibi multi in parvo spatio, & desunt demum herbæ recentes, immo & omnia necessaria, ut noxia quæque adhibeantur ad alimenta: accedit numerus mortuorum, quia jam omnes in urbe sepeliendi, ubi vix spatium bene illos sub terram defodiendi &c.*

5) *Ab aquis corruptis, stagnantibus.*

δ) *Eum fugiendo, vel ad alteram partem montium altorum transeundo*; fugere longe inde consultum est; nisi montes adsint, qui alti satis retinent aëra infectum, qui in magna altitudine nunquam infectus est; & tunc juvat modo transire post illos montes.

2)

6) A frumento corrupto.

7) Ab animalibus mortuis, & lanionum foribus copiosis in cloaca putrescentibus, & diu retentis.

8) A putrefactione etiam vegetabilium exempla sunt: pestilentiales febres adscriptæ putrefactioni brassicæ copiosissimæ.

9) Apud PRINGLE, *de morb. castrens. Part. 3. c. 7.*, ultra 40. Judicum, Adfessorum, & aliorum, qui ad Judices pertinent, moriebantur, dum anno 1750. post dictam rebellionem carceres essent obpletissimi & hi homines misere detenti tunc coram Judicibus deberent comparere.

BACO VERULAMIUS narrat plurimos mortuos, dum occasione rebellionis sub ELISABETHA dies judiciales Oxonii habebantur anno 1577. Incarcerati hi producti aërem ita inquinabant, ut Oxonii ultra 300 morerentur, & ultra 200 ægroti inde deportati extra civitatem moriebantur.

10) Sordities nimia urbium & ædium: unde ajunt, pestem nunc minus sævire, quod mundities major. *De H.*

(Latius hæc omnia persequutus fui in dissertatione germanica circa varias infectionis aëris

spe-

2) *Tollendo, vel corrigendo, id materiæ venenatæ, quod corpore jam ingestum, vel & adplicatum est; VIRGILIUS Georg. 3., ubi enarrasset remedia, quæ locis contagio adfectis, ovium in peste, pastores adplicabant, ait:*

„ Non tamen ulla magis præsens fortuna laborum est,
 Quam si quis ferro potuit rescindere summum
 Ulceris os: alitur vitium, vivitque tegendo,
 Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor
 Abnegat; & meliora Deos sedet omnia poscens.“

Vel, si id non potest, curcubita scarificata, & muria salis marini, aut ammoniaci, aut aceto; aut cantharidibus adplicatis locum tenere manantem: si vero ingestum sit venenum, agendum, ut postea dicetur.

§. 1121. *Venenum ipsum præsens cognitum corrigitur adplicatione talium, quæ valent inertes reddere illas ejus qualitates, quibus nocet corpori; sed venenorum historia imperfectior ignota nobis multa venenâ reliquit, & mirum non est, venenorum imperfectam obscuramque historiam esse, quum tam miræ naturæ sint. Venenum pestis adficit millenos in civitate homines; equi, boves, oves, canes, optime valent. In peste boum miserrima homines bene valent cæteraque animalia. In ultima illa dirissima peste bovilla in Hollandia decies vidi cum 20, 30, adfectis bobus rusticos ponere etiam suos equos: vidi porcos comedentes in stabu-*

species, diario erudito Vindobonensi *Realzeitung* ante paucos annos partim inserta; seorsim auctius edenda.)

bulo omnes quisquillas, vidi oves eodem in stabulo cum bobus adfectis & morientibus, & tamen omnia illa animalia sana manebant. — Sunt venena, quæ semper ignota manent; licet inde plurimi pereant: & ut inter bruta, sic & inter homines sunt. Immo sunt venena, quæ nationes quædam norunt, sed non detegunt. Dixit mihi Gubernator insulæ surinamensis, quæ, in India occidentali sita, ad Batavos pertinet, se centena exempla vidisse talia; Negros dictos, seu angolitanos servos, quorum millenis indigent, tum ut ipsis Europæis ministrant, tum ut saccharum & coffeam colant, unde præcipui reditus coloniæ exsurgunt, habere mira venena. Gubernator fuerat cum familia tota in horto. Servi angolitani noverant ipsius filiæ venenum dare, unde domum redux ad limina paternæ arcis efflaviv animam. Capti servi sunt, sed nullis tormentis naturam veneni indicare voluerunt. Habet illa angolitana natio hoc in arcanis, quo semper vindicent se a Christianis europæis. Id modo scitur, quod habeant venena subtilissimâ, quæ inter ungues recondunt; adeo parum requiritur ad necem, & interea dum pocula aqua mundant, vitro adfigunt; qui ex illo vitro bibit, certo moritur: hinc ait *Textus*

§. 1122. Quæ I) in multis venenis hætenus vix noscuntur, nisi deleteria tantum facultate, vix patente, nisi per solam mortem *infecti*; ita venenum pestis est; nemo novit, quid sit, in quo ejus constet natura. KIRCHERUS, HARTSOEKERUS, conati sunt, infectis hoc tribuere, quæ certis temporibus in aëre generata, essent hominibus deleteria. Verum, hæc gratis dicuntur, non demonstrantur. Ex cita putredine hoc deducunt, ex virtute sulphuris & tabaci in peste & contra nota quævis infecta; verum, una res

res potest esse utilis contra plures res alias; quæ res aliæ non sunt idem, sed diversæ.

2) *In aliis deprehenduntur per mirabilia, & vix explicanda, effecta*; seps mordens hominem mox in putrilaginem vertit ejus membranam adiposam totam: diptas mordet hominem & homo perit siti: anguis est africanus, dictus hæmorrhous, quo hominem mordente sanguis per intestina, per nares, per ductus salivales de corpore effluit. Quis talia explicabit?

3) *In nonnullis per effecta in aliis morbis occurrentia*; ubi nempe venenum facit inflammationes, subpurationes, gangrænas, sphacelos: ita vitrum antimonii, mercurius sublimatus corrosivus; vel ut ignis omnia crispando & destruendo, vel coagulando humores, ut spiritus vini, oleum vitrioli, vasis infusa &c.

4) *Denique in quibusdam intelliguntur a priori, quod ajunt, dum, cognita veneni natura, facillime providentur*; sic nosco, v. g. a priori, quod pulvis adamantinus, non nimis tritus, semper spicula gerens indomabilia, datus homini, sese ubique infigat, insinuet, & millena parva vulnuscula faciat.

Angolitani deprehenfi fuere etiam hoc veneno in surinamensi colonia Batavos interemisse: sumserant barbam animalis tygridis, eamque in minutal tenuissimum verterunt, ut fere invisibilis esset. Hoc experti minus agere, quando ventriculus bene repletus, quam ubi vacuus, dant cum primis cibis. Est rigidus ille pilus & quantumvis parvus & minutus, insinuat se in tunica villosa & magis magisque per motum horum viscerum infigitur altius, nullis remediis resolvi potest, & multis cum anxietatibus mortem facit. Scelesti hi homines etiam sumunt pilos humanos, quando in quibusdam, maxime ad barbam, vel aliis locis, sat rigidi sunt.

Certe talia novi a priori, quid sint effectura; ad hæc porro quatuor possunt omnia genera venenorum referri.

§. 1123. *Priora §. 1122. No. 1. dicta nocere toti substantiæ hætenus indicant accurate obposita remedia, æque parum intellecta, ac illa venena quoad scientiam effectus; terminus scholæ galenicæ, nocens toti substantiæ, cujus natura ignoratur: ignoratur specifici antidoti ejus natura quoque passim. Narrant, viperæ venenum punctu, vel morfu inflictum curari, inposita carne contusa viperina: venenum scorpionis inposito oleo scorpionum; omne fere genus veneni domari a bufone in pastillos redacto & amuleti instar ad corpus gesto. Si hæc vera essent, tunc actionem antidoti æque parum intelligeremus, quam eam veneni.*

Quæ, sola experientia cognita ex historia venenorum peti debent; ut dixi, nam multa sunt æque venena, quam priora.

§. 1124. *Secunda §. 1122. No. 2. dicta obesse qualitate occulta, similiter exigunt remedia mira, specifica dicta; vix nisi mero casu invenienda, in historiam venenorum referenda, inde petenda; in priori classe v. g. pestis affligit; ignoramus & naturam veneni & modum agendi, dum primo inficit & illico occidit. In hac secunda classe ignoramus quidem veneni naturam, unde V.V. ajebant, occulta qualitate agere, verum scio, quid primo fiat. Mordet dipsas hominem, perit morsus fiti; anguis hæmorrhous mordet ac homini sanguis per omnia loca corporis exsudat: novi saltem plus, quam in peste noveram, nempe venenum hoc morfu inprimi corpori: sed æque parum, quam*

in peste, novi naturam veneni: antidotus, si inveniat-
tur, forte æque ignotæ naturæ nobis erit.

§. 1126. *Tertia* §. 1122. No. 3., *antequam interimant, dum effectus prius morbosos producunt, quibus ita corrumpitur fabrica corporis, ut in certis morbis cognitis, requirunt, ut &c.*; si venenum nempe producit primo morbum aliquem notum, & eo morbo tandem perimit, remedia adhibenda sunt illi morbo propria. Vidimus v. g. in No. 2., quomodo dipsas mordens hominem eum siti inexplebili perimat: ponam hominem illum in balneum tepidum aquæ & lactis, ut vasa inbibentia absorbeant tantum humidi, quantum possint: etiam dabo ipsi aquam cum aceto, roob sambuci, ribesiorum, oxymelle, spiritu salis, vitrioli, bibendam omni momento; enemata similia, dosi unciarum octo, omni quadrihorio adplicabo.

Si hæmorrhous hominem vulneret, ut undique sanguis perpluat, video, dua hic fieri, 1) illico resolvi sanguinem a spissitudine debita in tenuem ichorem; 2) laxari forte, ut circa mortem in aliis morbis, ultimos vasorum sphincterulos. Inplebo corpus aqua, in qua tantum spiritus vitrioli, quantum sine læsione ferri possit, methodo SYDENHAM, ut sanguinem dissolutum conpingam, ne diffluere undique pergat: immo & conabor, cortice peruviano nimiam humorum tenuitatem emendare.

Si seps, hominem mordens, putredinem conciliet panniculo adiposo, inplebo eum, ut priorem; at vero in balneum simile totum inmittam, & extra balneum fomenta similia toti circumdabo corpori; quum pariter cortex peruvianus ad gangrænam adeo bonus, dabo illico.

Dixi,

Dixi, No. 2., ignorare nos naturam veneni dipsæ, hæmorrhoi, sepi, adeoque, si inveniretur specificum antidotum, ejus forte naturam nos quoque ignoraturos. Sed hic No. 3. ostendit *Textus*, quando non adsunt antidota nota, artem tamen aliquid valere, ubi venenum, naturâ nobis ignotum, edat morbum aliquem, cujus in symptomata agere quidquam possumus.

Ignotum venenum agit per dysenteriam: in squillis marinis, hac lege multos occidentibus, cura erat felix per ingentem copiam aquæ, lactis, olei, interpolato nonnunquam opio. In veneno mytilorum, si quandoque violentum sit, eadem adhibeatur cura.

Si venenum maculas rubras, aut petechias faciat, dant sudorifera, ut expellatur foras: si videam v. g. in peste maculari homines hac methodo passim perire, imitabor SYDENHAMUM: extra lectos ducam ægros liberum in aërem, inpleboque aquosis & spiritu vitrioli; vel, quod usu probatum vidistis in vere malignis morbis, cortice peruviano.

Si venenum faciat carbunculos, anthraces, bubones, agam maturando & materiem foras eliciendo.

§. 1126. *Si cognoscuntur venena adplicata, vel adplicanda &c.*; novi v. g. hominem adsumsisse unciam unam olei vitrioli; dabo illico huic uncias duas, tres, olei tartari per deliquium, aqua mistum; nascetur sal tertium, neutrum, tartarus vitriolatus; quod mox tunc ingenti aquæ copia diluam, ut continuo aquæ potu tartarus vitriolatus de corpore exeat, & in sanguinem intrans non noceat.

Sumsit homo drachm. sem. merc. subl. corros., dabo drachm. sem. aut drachm. un. sal. pur. tart. cum pauca aqua: acidum sublimati (muriaticum) jungetur

cum sale alkalino in tertium sal (digestivum SYLVII,) & mercurius fiet innocuus.

Verum in his casibus deberem esse certus, quod homo adsumsisset tale venenum; si enim suspicor tantum & non ita est, tunc erit meum oleum tartari per deliquium, sal tartari meum, venenum per se ipsum in visceribus ejus.

Talia antidota cito adhibenda sunt; nam si prius venenum jam destruxit partes, sero venimus.

§. 1127. *Unde cernimus &c.*

§. 1128. *Atque ex illa habita indicatione (1127.) scitur remedii correcturi materies, an debeat esse acida, vel alkalina &c.*

Præparatio; ut pauca primum aqua diluatur, non multa; ne antidoti vis debilior fiat.

Dosis; si grana pauca veneni adsumta, etiam antidoti sit dosis pauca; si enim plus dedero antidoti, erit id plus venenum per se: si minus dedero, mutabitur veneni, prius dati, pars; pars non mutata perget ut venenum agere. (Cur non adduxit hic HAENIUS effectum redundantem ex binorum venenorum conflictu? adtendendum autem, imprimis dum debilia sunt, aut adfecta viscera, esse & ad hunc satis patet vel ex salutaris illa in sedando vomitu luctantis cum sale alkalino acidi efficacia.)

Adplicatio; si in ventriculo hæreat venenum, ore; si in ventriculo & intestinis, ore & ano remedium adplicabo. Contigit in turri londinensi, ubi captivi politici detinentur, ut captivo nobili enema injiciendum esset. Injiciunt ex odio, ut illum perderent, clysmata aquæ fortis. Cogitate, quot illico dolores, quot ille expertus sit spasmos. Medicus turris accitus & causæ igna-

ignarus theriaca & opio conatur mala sopire; sed moritur captivus. Si ille scivisset causam, applicatio facienda fuisset enemate liquoris alkalini, ut acidum vitrioli & nitri (ergo aqua fortis componi debet acido vitrioli & nitri? —) ex aqua forti in alkali traheretur; seu potius enematibus pluribus oleosis, & potu copiosissimo continuo olei.

Moderamen; si postea, nimis sero intelligeremus multo minus veneni esse adsumtum, quam in principio dicebatur, & videremus jam nostram nimiam dosin instar veneni agere; esset prioris veneni addendum aliquid, ut veneni secundi, pro medicamento dati, vim enervaremus.

§ 1129. *Primaria autem, & fere communia contra omnia ferme venena, Antidota, quæ ideoque summi sunt usus, ubi cognoscitur venenum datum, sed ignoratur singularis ejus natura, sunt hæc præcipue; dicit AUCTOR ferme; nam pili minutim conscissi, infixi solidis, generalibus diluentibus & involventibus non videntur, vinci posse, quum hæc præterlabantur, illi solidis infixi hæreant: hinc, quia casus quidam excipiuntur, dixit ferme. Ecquidem lixivium calcis vivæ cum sale alkalino in liquamen vertit veteres pannos laneos, pilosque, sed longo tempore indiget hoc lixivium, id ut præstet; ut forte corpus citius sit destructum, quam illud id perficere posset; neque posset adeo potens lixivium ferri, neque maneret semper applicatum his pilis, ut panni veteres, & pili, qui liquescunt in eo.*

Cæterum cognoscimus venenum, v. g. arsenicum; nec, qua ratione agat in corpore humano, bene novimus, quia non bene veneni hujus cogniti naturam novimus, tunc conveniunt

1) *Aqua sincera calidior paullulum sanguine nostro, adfatim, subito, diu ingesta, injecta, adplicata*; aqua omnes impuritates aufert secum, emollit, spasmos tollit; sed oportet esse

1) *Sinceram* nam impuritatibus scatens posset forte excitare vim veneni: metallicæ particulæ, aut calcareæ, si insint, forte nocerent.

2) *Calidior* sano nostro sanguine sit oportet, calens ad 98 vel 100 gr., ut laxet omnia, & solvat spasmos veneni: frigida enim humores jam calentes posset coagulare, & excitaret spasmos.

3) *Affatim*; ut brevi spatio libras 20 & ultra adsumat; copia enim sola hoc facit, si quid faciat.

4) *Subito*; si enim expectaveritis, donec venenum solida fluidaque jam corripuerit, sero venitis.

5) *Diu*; nam licet pars veneni abluatur aqua, pars remanens agere pergit; neque omne tam cito ex omnibus rugis ventriculi & intestinorum aufertur: unde copiose, subito & diu.

Aqua hæc 1) debet esse *ingesta* ore, in quantum possit.

2) *Injecta*; per anum, in vaginam, in vesicam urinariam, ut corpori undique adplicetur: possunt tamen venena esse, quæ in vesica urinaria omnia in gangrænam vertant; quare in omnes locos, per quos injectiones fieri queunt, adplicanda.

3) *Adplicata*; hominem ponendo in tali balneo; ut, dum aqua ingeritur ac injicitur, quoque per omnia bibula corporis vasa inbibatur.

SYDENHAMUS in *epistola responsoria prima* ad finem narrat historiam servi vicini sui, qui ex amore melancholicus vitæ finem sibi quærebat bona dosi mercurii sublimati corrosivi. Accessit SYDENHAM hora fere ab adiuncto veneno, dum os & labia illi vehementer

ter jam inde tumerent, dolor adesset ventriculi ardens & intolerabilis calor. Dedit celerrime aquæ tepidæ congios tres. [Congius continet libras civiles octo, ergo plusquam $2\frac{1}{2}$ mensuras; discamus hic, quid sit, quod BOERHAAVE jubeat *adfatim* ingerendam aquam] jussitque nova talis copia ab integro abliguriretur, quoties ventriculus epotam rejecisset; & ubi indicia erant veneni jam intestina petentis, jussit & tepidam copiosam enematibus injici. Narrat SYDENHAM, quod miser homo, pœnitens facti, plures aquæ libras exhausserit, quam jussus esset. Hinc intra paucas horas convaluit & exulcerationes in ore diæta lactea intra quatrimum evanuerunt.

2) Tum *lixivium leve ex aqua communi & sapone veneto, simili copia, modo, tempore, usurpata*; nam est tunc aqua magis detergens & auferens; tum & ratione olei plus involvens; & ubi de natura acidi esset venenum, esset simul ratione saponis antidotum. Verum, quum ignoremus sæpe naturam veneni, & si illud alkali dives esset, sapone forte veneto augesceret putredo; hinc

3) *aut aqua simplex Japonacea cum oxymelle, simili usu adhibita*; est summum abstergens; sed iterum ea lege, ut quantitas parvi dolii per corpus transfluat & inbibatur; eo prorsum modo, quo de aqua dictum. (*)

D 4

4)

(*) Sæpenumero ratio, vel unica, vel plurima, cur remedium quoddam, contra omnem expectationem, contra omnia a plurimis fide dignis Viris adlata illius encomia non producat effectum, inde deduci debet, quod vel non sufficienti copia fuerit adhibitum, vel in usum vocata substantia alia,

4) *Olea blanda, recentia, pressa ex lenibus, pinguibus & farinaceis seminibus; olivarum, raparum, lini, amygdalarum; sed blanda & recentia esse oportet. Vidi hominem fere enectum dirissima colica, a rancidi olei amygdalini haustu. Ex lenibus, id est, ut oleum modo lene sit; nam oleum raparum ex acri semine sal volatile habente, est tamen blandissimum. — Amygda-*

eodem quidem nomine passim donata, re tamen, seu natura interna, diversa. Liceat hac occasione inferere locum sequentem ex opere meo: *Medizinisch-physische Sammlungen*, alio fors etiam sub respectu notatu non profum indignum: in latinum versum. — Subjuxit *Cl. Ladislaus BRUZ*, quem cum voluptate inter amicos nomino, Dissertationi bene elaboratæ inaugurali *de gramine mannae, sive festuca fluitante*, casus practicos circa remedium antepilepticum, quod malo hoc adfectis egregiam tulisse opem adfeverare ipse queo. Quam libellus, apud Exteros saltem, non sat cognitus sit, nec experimenta cum remedio illo capta hactenus resciam; inferendum hic ratus fui historiam, qualem *Cl. Auctor* proposuit.

„ Varia, ait, in morbo sacro celebres in arte
 „ medica Viri laudant remedia. Quædam ho-
 „ rum, ablata causa, malum integre curant: alia
 „ insultus epilepticos ita conpescunt, ut causa
 „ procatarctica ablata, proëgumenam sopitam quasi
 „ teneant. Sæpissime morbus pertinacissimus om-
 „ nem artis eludit operam. Pulverem *foliorum*
 „ *aurantiorum* in morbis convulsivis adeo extol-
 „ lit Vir tot nominibus Medicinæ carus *Magnif.*

dalarum oleum quoque bonum est, sed quum tam ingenti copia indigeamus olei, facilius ex oleo olivarum, raparum, lini, medelam parabimus.

D 5

Sta-

„ de HAEN, ut, si quos non juvet, causam in
 „ ægro, non in remedio, quærendam judicet (*) —
 „ *Radice[m] Valerianæ*, majori tamen dosi, ad ʒ.
 „ ij. iij. iv., ut efficacissimum in hoc malo reme-
 „ dium celebrat felici medendi methodo celebra-
 „ rimus *D. Jos. QUARIN.* (**)

Flo-

(*) Nimium nonnihil HAENIUM remedio huic tribuisse, adserere possum, edoctus experimentis, cura, quæ possibilis ulla ratione fuerat, omni institutis; nec ægro successum remedii frustrante. A pulvere foliorum aurantiorum nullum plane experti levamen ægri, medicamento alio exhibito morbi vim fractam demum senserunt; longo satis post pulverem illum in usum vocatum elapso temporis intervallo; ut eventus huic adtribui non omnino posset: quemadmodum aliis in morbis, aliis cum remediis, idem obtinet. Verumtamen, si, quod res est, fateri velimus candidè, nullum in omni supellecile Materiæ medicæ subpetit medicamentum antepilepticum panchrestum, catholicum, in omni prorsum casu satisfaciens expectationi; etsi quidem multi Auctores talia, sæpe absurda sane, ac ridicula, (si v. c. vel ad solam unguam

al-

Statim, multum, diu, hausta injecta, adplicata; ut de aqua dictum.

5) *Vel similia ex oleo animalium recentium cum multa aqua subito decocta; ovis, vituli, caponum, carnes*

„ *Florum Buglossi vires antepilepticas adnotasse reperio neminem, laudatos tamen a doctissimo V. D. M. fidelissimo pulcre adhucdum memini, & iisdem quosdam curatos, docebunt casus adpositi. - - - Flores exhiberi possunt in infuso aquoso, vinoso, spirituoso. Usi sunt in utroque casu infuso spirituoso, sequenti forma præparato:*

„ *℞. Flor. bugloss. recenter collect. M. iij.*
 „ *infunde spirit. de fæce vini parat. lib. j.*
 „ *Vi-*

alcis, aut cranium humanum, sed, quod bene notandum dixerant, hominis violentâ morte peremti, respicias) proposuerint; uti nullum universale datur anthelminticum, antipyreticum e. s. p. Nec, quod remedium hoc illudve, morbum quemdam fugans in ægro A. aliisque decem, eundem non fuget in ægro B. & decem denuo aliis, tutissime, omni sub respectu, concluditur, in prioribus omnibus morbum deberi causæ, aut dispositioni, in posterioribus corpori non inhærenti, sed plane diversæ; uti quidem attendenti patere autumo; etsi præcipiti nimium sententia circa hæc pronuntiasse videam alios. — *de W.*

nes pingues subito possunt coqui, verum interea transit inreparabile tempus: unde, si ex hac classe velimus, misceamus cum illa aqua multum butyri insulsi,

6)

„ Vitro probe clauso macerentur per triduum,
 „ s. sumat, vase inclinato, omni mane cochl. j.
 „ *Casus I.* Vir humanioribus litteris exco-
 „ lendis deditus, statura inter longam & depres-
 „ sam media, temperamenti sanguineo-cholerici,
 „ natus annos 35., nullis unquam obnoxius mor-
 „ bis, præter epilepsiam, cujus paroxysmos, ab
 in-

(**) *Valeriana*, FABII COLUMNÆ, quem ab epilepsia immunem reddiderat, nomini famam suam multum debens, egregium omnino hoc in morbo est remedium; unde pariter pro *infallibili* quibusdam deprædicata, conclusione denuo nimia. — Cur vero *Valeriana* votis nonnunquam minus respondeat in hoc illo ægro, in quo tamen, quatenus exactius saltem indicare videtur examen, omnia eadem obtinent, uti in aliis, queis inde nata salus; sæpius ratio est, quod vel dosis non subficiens fuerit adsumta; vel formam ægro *illi* exhibendum foret medicamentum aliam, quam exhibitum fuerat eodem malo adfectis, queis profuerat; vel in usum vocata, sub nomine *Valerianæ offic. floribus triandris, foliis omnibus pinnatis*, alia quædam plantæ species; v. g. *Valeriana dioica, flor. triandris dioicis, fol. pinnatis in-*

6) Tum plerumque in multis celeribus acetum; uti jam patuit ante, si diluatur aqua, & si ingenti copia detur. Verum prudenter agendum, si enim daretur post adsumtum sublimatum corrosivum, malum augetur:

„ ineunte ætate ignota ex causa, fere quolibet
 „ anno semel, bis, expertus est; aliquando ta-
 „ men toto anno morbo liber fuit. Anno 1760.
 „ gravi, mea in vicinia, defunctus paroxysmo, in-
 „ cœpit remedio spirituoso uti; omni mane, per du-
 „ os menses, cochleare unum commune sumens. Ab
 „ illo

tegerimis, vel *Valeriana phu*, flor. trian-
 dris, fol. caulinis, pinnatis, radicalibus, in-
 divisis; quæ denuo virtute inferior *Valerianæ*
officinali; vel *Valeriana celtica*, flor.
 triandris, fol. ovato-oblongis, obtusis, inte-
 gerrimis, e. s. p.: etsi forsan postrema hæc,
 odore ditissima, sapore penetrans, V. V. in-
 ter Antidota multum laudata, minori cum
 discrimine adhiberetur aliis, odore saporeque
 remissiori, subin vix non evanido, præditis.

Haud raro etiam ægri medicamine utuntur,
 exiguum, aut nullum, inde percipientes le-
 vamen; percepturi majus, aut morbi ex in-
 tegro ablationem, si usi forent illo non so-
 lum majori dosi, sed & frequentius.

Prodest his remedium formâ pulveris;
 actuosius in aliis, sese exhibet forma infusi,
 aquosi, vinosi, spirituosi. — Vidi, ab usu

ret: ergo in veneno acidum non habente, si id antea sciamus. Cæterum, si sit venenum putredinem generans, est acetum certe egregium antiloimicum.

Si

„ illo tempore paroxysmo liber valet (1775.)

„ athleticæ, quinquenarius feniculus. “

„ *Casus II.* Juvenis 17. annorum, temperamenti sanguinei, famulus, ex terrore epilepti-

Valerianæ, methodo vulgari, forma pulveris ingestæ, morbi epileptici vim fractam haudquaquam fuisse; quum æger vix non omnibus hoc in morbo celebratis remediis usus jam fuisset, suasi, ut pulvere Valerianæ uteretur demum mane ac vesperi eodem modo, uti alias uti solemus nicotiana: percepit hinc, etsi dosis esset minima, optimos effectus; quum tamen antea plures scrupulî edidissent nullos. Patet vel ex his, ad quot attendendum sit momenta, dum de viribus medicamentorum determinandis, extollendis, aut negandis agitur; ut hic taceam, remedia plura multum deprædicata fuisse ab Inventoribus, horumque sequacibus; etsi viri alii, docti æque ac integerrimi, rem abs omni præconcepto iudicio disquirentes, multum satis abesse didicerint, quin panchrestæ illæ ac eminentes vires de remediis illis tuto adsumi, ac ad Posterios encomia illorum prægrandia transmitti possent. *De W.*

Si legatis **Dioscoridem**, convicti eritis de universalibus laudibus aceti in pestilenti morbo & venenis.

Denique & *opium*; sistens spasmos & contractiones nervorum a venenis natos, & demens sensibilitatem nervorum: unde & hac ratione juvant quandoque

„ pticus factus (*) posteaquam per plures annos
 „ paroxysmos epilepticos expertus fuisset, quum
 „ duodecimum ætatis annum ageret, 1769. mense
 „ Augusto sumsit mane infusi spirituosi cochl. j.;
 „ paroxysmus ab eo tempore nunquam rediit.“

„ De

(*) Quanta terror corpori inferre queat detrimenta, nervoso inprimis adfecto systemate, vix non innumeris constat observatis, dum gravissimas, ac haud raro inmedicabiles omnino epilepsias, convulsiones, aphonias, abortus, mensium arhythmias; aut stases, apoplexias, quin & mortem subitanam, aut celerem, & quod vix non magis mirum est, canitiem momentaneam, vel capillorum omnium defluvium, inde producta legimus apud **Observatores**, & quædam saltem horum phænomenorum sat frequenter ipsi cernere possumus; ut superfluum quidem foret, si latius circa hæc excurreret oratio. — Liceat autem hic adnectere casum rariorem, in opere periodico, *la Nature considérée* &c., nuper (1780. No V. p. 193.) relatam, quo demonstratur, ob ipsam, quam terror in nervis

ex-

que *Theriaca ANDROMACHI*, *Mithridatium DAMOCRATIS* & similia, ratione opii. In pulvere antilyſſo, ſive ad canis rabidi venenum, tunquinenſi, Angli incredibilem copiam opii auſi ſunt adjungere, in deſperato caſu, ſummis cum effectibus. Opio ſiſtebat
 Sy-

„ De caſu hocce ut eo certior fierem, rogavi
 „ ab *expertiff. Phyſico, D. Samuele WA'SARHE-*
 „ *LYI* juvenis noſtri anamneſin. Miſit optimus
 „ amicus ſequentem: A. S. puer adhuc in patria
 „ bubalos, quos cuſtodixæ ſuæ commiſſos habebat,
 „ in prata illicita evadere ſinens, a cuſtode hujus
 „ loci adeo territus eſt, ut brevi, domum ſuam
 „ repetens, paroxyſmo epileptico conriperetur,
 qui

excitat mutationem validam, & vi cujus gravia adeo frequenter producit ſymptomata, corporis malam conditionem in meliorem verti tamen nonnunquam poſſe; eſt quidem facile ſimul admitti queat, id rarâ ſane contingere fortunâ. — *Henricus AXFORD*, a juventute tenera convulſionibus adfectus, octavo ætatis anno loquelæ uſum deperdidit. Annô duodecimô, itinere equeſtri peractô, primâ in vita vice inebriatus fuit; ſomno tum obpreſſus rebatur, ſeſe incidiſſe in cadum cereviſiâ fermentante repletum: vî ſummâ, enormitate mali percuſſus, exclamavit, atque ab eo temporis puncto vocem recuperavit. *De W.*

SYDENHAMUS malignitatem variolarum, dando quavis octavâ horâ syrûpi diacodii unciam.

Generale autem antitoxicon, prophylacticum, nullum omnino cognoscitur hæctenus; quin & repugnat tale esse; quum unum venenum sit acidum, alterum alkalinum, alterum mechanica vi agens, alterum modis diversis incognitis; hinc non videtur posse dari ex æquo omnibus adversum antitoxicon. Ut desperamus v. g. invenire remedium specificum, quod dolores ventriculi ex acido, ex bile corrupta, ex falso glutine, ex spasmiss, pari ratione curet; ita & de veneni cujusque uno universali antidoto. Si dicas, opium dolores cujusunque naturæ curat; dico, sopit, non curat; evanida vi opii recrudescunt dolores.

§. 1130. *Hoc antea explicui.*

§. 1131. *Antidota autem &c. Explicui ad §. 1128.*

Vapor - - - ad pulmones; si enim inspiratu venenum ad pulmonem venerit, etiam antidotum est pulmone hauriendum, ut exemplo BOERHAAVII ipsius antea patuit.

Fauces; si quandoque homo ultra deglutire non possit, & vellemus ipsi exhibere vomitorium, tubus ex corio per fauces esset intrudendus prudenter, & altera ejus parte, in infundibulum formata, tunc injiciendum remedium.

§. 1132.

„ qui subinde dein etiam rediit: sed tuo re-
 „ medio ita ex morbo curatus est, ut paroxys-
 „ mos per integrum quinquennium expertus non
 „ sit. Nunc etiam vivit sanissimus.“ Hæctenus
 Cl. BRUZ.

§. 1132. *Venenum susceptum expellitur ex corpore* 1) minuendo resistantiam eo loco, per quem tutissime expediri queat, ubi minus nocet, ubi exitui proximum habetur, ubi viscera vitalia minus lædit. Id fiebat olim mirabili tum habito, jam industriâ *REDI* facile intellecto, succu *Marsorum* & *Pfyllorum*.

Pfylli, ignotæ originis gens famosa in antiquitate. Ex multis inter se discrepantibus Auctoribus forte non procul a locis cyrenaicis & lybicus sedem habuit. Hi dicebantur id habere a natura privilegium, ut a nullis serpentibus lædi possent, utque venenum ex aliis possent pellere.

PLINIUS Historicus, qui multa narrat fide Veterum, l. 28. c. 3. refert: „A Consulibus Romæ in dolium serpentum coniectus [*EVAGON*, *Pfyllorum* legatus ad Senatum romanum] experimenti causâ, circumlambentibus linguis miraculum præbuit.“

Pfylli ipsi hoc divulgaverunt, quod solâ sua salivâ morsos a serpentibus curarent. Famosi sane hanc ob rem fuerunt. *CATO*, narrante *PLUTARCHO* in *vita CATONIS*, victum *POMPEJI* exercitum reducturus in Mauritaniam ad *SCIPIONEM*, *Pfyllos* secum duxit, quod oporteret transire regiones serpentum numero infames.

SUETONIUS in *vita AUGUSTI*, §. 17. ait: „Obsessaque Alexandria, quo *ANTONIUS* cum *CLEOPATRA* confugerat, brevi potitus est, & *ANTONIUM* quidem, seras condiciones pacis tentantem, ad mortem adegit, viditque mortuum. *CLEOPATRÆ*, quam servatam Triumpho magnopere cupiebat, etiam *Pfyllos* admovit, qui venenum ac virus exfugerent; quod periisse morfu aspidis putabatur: sed sero venerunt, *CLEOPATRA* jam enecta veneno.“

LUCANUS l. 9. miras eorum contra serpentes vires cecinit, quod veneno intacti sint a natura, quodque illud in aliis salivâ sanent. PLUTARCHUS etiam dixerat in *vita CATONIS*, eos nosse carminibus serpentes incantare, ne nocerent.

Revera talem artem exilitisse notum est, etiam ex *sacra Scriptura*: dicit DAVID *Pfalm. 57.* „Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa. Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudit vocem incantantium & venefici, incantantis sapienter.“ Unde & DEUS per Prophetam JEREMIAM sic conminatur, JEREM. 8. 17. „Quia ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos, ait Dominus.“ — Omnes Itineratores viderunt, posse serpentes mitigari & edoceri: NIEUWHOF, *Itin. Orient. p. 159.*, describit saltum serpentum ad incantamenta Malabarensum, & KÆMPFERUS in *Amœnitatibus exoticis.* (Sub incantamentis hisce Malabarensum minime intelligendæ conjurationes sic dictæ magicæ, (*Beschwörungen*); sed edocti serpentes, referentibus Autoptis, ut ad concentum musicum, rythmosque decantatos ab Agyrtis in caudam sese adtollant rigente corpore, variisque tum capitis, tum trunci corporis inflexionibus saltare videantur; quod quidem abs insigni adeo miraculo fieri posse, non nimis credulis facile patet.)

Fuere antiquitus in Italiæ ea parte, quæ vocatur *Ducato di Marfi*, homines *Marfi*, a loco natali dicti, qui virtute *Pfyllorum* pollere se dicerent, & quoque incantationes serpentum callerent; quos tamen GALENUS negat ullam vim veneni curandi posse.

possidere. Serpentes quidem innocue tractabant, sed callide primo venenum ex gingivis anterioribus exemerant, ut fieri posse, *rediana* experimenta docent. (*)

E 2

Apud

(*) Quæ hic sequuntur omnia HAENIUS posterioribus curis in *marginè codicis* adnotavit.

Franciscus REDI, nobilis Aretinus, in Tractatu, cui nomen *observationes de Viperis*, observaverat, pullos gallinaceos, & columbinos, a vipera morsos, ab hominibus coctos fuisse & inculcate comestos.

Observaverat, canem, & civettam, quibus viperinas carnes comedendas dederat, innocuos (inlæsos) mansisse.

Certo quodam die Eruditorum congregatio habebatur, in qua de venenis, & maxime viperarum, agebant, & argumenta multa incerta proferebant. Interea, inquit REDI, auscultandi gratia stabat in angulo quodam *Jacobus Sozzi*, viperarum captor, homo comparandus antiquis *Marsis* & *Psyllis*, qui risum vix tenens subridendoprehendit fel viperæ (in quo venenum situm suspicabantur) mistumque dimidio cyatho frigidæ, illud gulæ infudit, vultu intrepido.

REDI dein, suspicatus, hominem illum Antidoton præsumsisse, dedit fel istud pullis canibusque, nulla insequente noxa: fel istud crudo animalium vulnèri instillarunt; nil inde mali. Sed, quum *BALDUS ANGELUS ABBATIUS*, & *SCHRÖDERUS* in sua *Pharmacopoea* statuissent, morsos a viperis sanari, bile viperæ vulneribus

in-

Apud STRABONEM tales homines & inter Indos describuntur: immo KÆMPFERUS, *fascic. 3. Obs. 9. amœnitat. exoticar.*, tales adhuc in India orientali reperire esse, ait. Viperam maxime noxiam circumducunt,

infillata, & hoc experimentum ceperunt videruntque, nullius usus esse.

Tunc *Jacobus* ille *Sozzi* rem totam detexit. In fundo duarum illarum vaginalium, seu cavitatum, intra quas repositos dentes suos viperæ habent, humor quidam stagnat, colore & sapore simillimus oleo amygdalarum dulcium. Viperæ morsuræ evaginant dentes & exprimunt hunc liquorem. Hoc liquore venenum lethale continetur; sed est venenum non omni modo. Id ut demonstraret, bibit hunc humorem totum, una cum spuma, quam animal virgulis irritatum circum rictum fundebat, (*) mistum cum aqua. Dederunt aliam ejus portionem hœdo, aliam anati; sed neque *Jacobo*, neque animalibus illis quid mali contigit.

Sed

(*) BOSMANN in *Descript. Guineæ Epist. 17.*, narrat, unum ex cæmentariis a serpente, lapidibus obruto, adeoque dentibus illum lædere non valente, tamen ejus spuma & veneno immisso in faciem & oculos, per 3, 4. dies cœcum fuisse, sed deinceps iterum egregie vidisse.

cunt, quæ saltat ad instrumenta & voces illorum exactâ mensurâ: vidit KÆMPFERUS coram, quod docerent viperam, & quod morfi a vipera nil mali haberent, quum venenum ex gingivis expresserint, antequam

E 3

illam

Sed vulnerarunt gallos, gallinas & plusquam centum animalia parva, vasta, & indiderunt vel millefimam partem guttæ, saltem paucum; intra 4 horas pleraque moriebantur, ipseque taurus: unde credidit, DIONEM (CASSIUM) Historicum cæteris melius descripsisse mortem CLEOPATRÆ; ut se Victori AUGUSTO eriperet, nempe illam se vulnerasse, & venenum vulneri instillasse: unde putat REDI, *Jacobi* arcanum olim aliquos V. V. non latuisse.

Eodem modo se habent serpentes in Indiis: in *Tom. IV. Itinerarii* P. LABAT videmus serpentem, cujus morsus lethales, novem pedes longum, captum, occisum, & carnes ejus magno gaudio ab Americanis fuisse coctas, assas, elixas, comestas.

DAMPIER, *Itinerar. P. 2. c. 2.*, idem narrat; gustavit inde, sed non inveniebat adeo deliciosas, ut Americani illi ajebant.

Videmus ergo, tota illa animalia non esse venenata, sed tantum liquorem illum circum dentes, quem inter mordendum exprimunt.

Ut autem fel vulneri inpositum non curabat demorfos; ita experimenta *rediana* evincunt de carne inposita. Videmus hinc inanitatem *theriacæ*, in qua ANDROMACHUS carnes viperarum, veluti summum antidoton, vanâ pom-
pâ

illam publice proferrent. — Fuerunt, teste ANDREA LAURENTIO, & tales suo tempore in Italia, ante 200 annos.

CBL-

pà admiscuit: si ergo quid valeat theriaca, id est ratione opii ad vires domandas veneni; vel, si sudandum post venenum; quod rarius necesse est.

Et cur hoc miraremur magis in his, quam in vegetabilibus? Tabacum in infuso sanat, & aliquando nimis cito, scabiem hominum, animalium, pruritus cutis. Folia cocta dant decoctum pro enemate in morbis soporosis, & melius in anum injectus fumus. In hominibus, qui ejus usui adfuescunt, fumus tabaci est inter præcipua vitæ delectamenta: pulvis ejus ita nares recreat, ut nollemus quovis pretio eodem vel per diem carere (quanta copia nicotianæ, tum pulveris tum fumi forma abliguriatur, vel ex hoc conjici valet, quod anno 1780. ex Hungaria per Tergestum eductæ fuerint in extraneas terras libræ 100795 pulveris & libræ 3278137 foliorum.) Scirrhis tumoribus folia inponunt: attamen experimentis *redianis* constitit, quod tantilla particula hujus tabaci olei, destillando parati, vulnerato animali cuicumque in vulnere adplicata mortem præsentaneam excitet. Immo REDI viperam vulneravit, eique hoc oleum in vulnus levissime insillabat. Vipera æque, atque alia animalia, cito interibat. Ante 60 an-

nos

CELSUS autem dixit, l. 5. c. 27. §. 3. „Neque, Hercule, scientiam præcipuam habent hi, qui *Psylli* nominantur; sed audaciam usu ipso confirmatam. Nam venenum serpentis, ut quædam etiam ve-

E 4

na-

nos *Theod. Schoon*, Medicus Belga, idem demonstravit in sua *Tabacologia*, p. 400.

Simile venenum habent tela Bantamensium, populi asiatici, quibus Europæos, hostes suos, certissime occidunt veneno celerrimo. *REDI* per Magnum Hetruriæ Ducem a Batavis, qui ex his mortuis illa tela extraxerant, ea sibi comparavit: vulnerata animalia omnia per illa certo citoque moriebantur. Sed tela hæc per multum tempus vino infudit, dedit infusum animalibus, quæ nil inde mali passi. (Legenda hic inprimis egregia dissertatio circa usum telorum venenatorum in *Cel. PAAW Recherches philosophiques sur les Americains*, l. 5. f. 3.)

Verum advertit *REDI*, non mori nonnulla animalia, quibus esset in vulnus venenum infiltratum, quando vulnus ingentem profundebat sanguinis copiam; unde suadet, semper per cucurbitas, per hirudines, per suctionem multum sanguinis educere.

Ait *FREIND*, *Hist. med.* p. 285. agens de libro dicto *schola salernitana*, circa annum 1100. composito, ac a tota societate salernitanorum Medicorum inscripto nomini *ROBERTI* Normanici Ducis, a sacro contra Saracenos bello reducis, qui idem ab illa schola consilium petebat in vulnere brachii venenatâ sagittâ inflicto,

&

natoria venena, quibûs Galli præcipue utuntur, non gustu, sed in vulnere, nocent. Ideoque colubra ipsa tuto estur, ictus ejus occidit, & si stupente ea, (quod per quædam medicamenta circulatores faciunt) in os digitum quis indidit, neque percussus est, nulla in ejus saliva noxa est. Ergo quisquis exemplum *Psylli* sequutus, id vulnus exfluxerit, & ipse tutus erit, & tutum hominem præstabit. Illud interea ante debet attendere, ne quod in gingivis, palatove, aliave parte oris, ulcus habeat. "

GALENUS in eadem sententia est, eratque CATONI jam notum, serpentes non coinquinare aquas, sed nocere tantum morfu: unde ipse bibendo primus exemplo suo animavit milites suos, ut biberent eodem ex fonte, in quo serpentes copiosi.

(Morfu virus habent & fatum dente minantur;
Pocula morte carent. — LUCAN.)

Psyl-

& jam in ulcus converso; „ex historia pariter discimus, Medicos in ea fuisse opinione, ut vulnus eo modo factum, haud aliter quam suctione curari posse censerent: quod in se tentari Dux ipse recusavit, ne is, qui id faceret, veneno periret. Uxor autem ejus occasione noctu adrepta dormientis vulnus suxit, quoad illud ad sanitatem pervenerit. Femina hæc SYBILLA nomine erat, filia GALFRIDI, comitis Conversanæ, eo tempore forma ac virtute perinlustis; digna certe feliciori fato, quam ut veneno haud ita multo post interiret ipsa, quæ maritum, eo infectum, tam memorabili exempló eripuerat. "

De H.

Pfylli igitur, ex vulnere morfu inflicto exfugebant venenum, nec lædebantur; quum virus hoc, præfente REDI, ab homine innocue effet adfumtum, quumque nocere deprehendatur tantum, ubi, vulneratis vasis, cum fanguine communicatur.

2) *Hodie per cucurbitas magnas, validas, cum multa flamma adplicatas, sæpe renovatas*; antiqua iterum methodus: CELSUS denuo, l. 5. c. 27. §. 3. ait: „ Igitur inprimis fupra vulnus id membrum deligandum eft, non tamen nimium vehementer; ne torpeat. Dein venenum extrahendum eft: id cucurbitula optime facit. Neque alienum eft, ante fcalpello circa vulnus incidere, quo plus vitiati jam fanguinis extrahatur. Si cucurbita non eft, (quod tamen vix incidere potest) tum quodlidet fimile vas, quod idem poffit. Si ne id quidem eft, homo adhibendus eft, qui vulnus exfugat.“

3) *Per fomenta tepida & valde emollientia*; ut laxentur omnia, quæ aliter vi veneni crispantur.

4) *Per hirudines, fcarificationes*; ut fanguis omnis, quantum poffibile, exftillet, qui infectus eft: VIRGILIUS, *Georg.* 3.

„ Non tamen ulla magis præfens fortuna laborum eft,
Quam fi quis ferro potuit refcindere fumum
Ulceris os: alitur vitium, vivitque tegendo.“

Fricciones; ut venenum ducatur cum fanguine verfus aperturam vulneris: ut venæ evacuentur, ne ducant in fanguinem.

Calores; ut eo magis omnia tumeant fota calore, & ut hominis pulfus augeatur, quo transpiret, & fi quid forte jam intra fanguinem duci cœpit, id poffit transpiratione eliminari.

Emplastra ; satis acria , immo cum cantharidibus ; ut vidistis me egisse cum homine venatore , a cane demorso.

2) *Adtractione magnetica* , qua corpus vi singulari trahens venenum ægrum liberat ; de hac re plus forte scribitur , quam verum est : immo ipse BOERHAAVIUS fidem multam hisce adhibere non videtur , nam ait : *ut de carne venenatæ bestię* [rediana experimenta hoc irritum fecere] *de lapide cerastis* , *calculo serpentum* , & *similibus narratur* ; talia ab Athanasio KIRCHERO , (Credulorum omnium antesignano) & multis aliis Missionariis (in Historia naturali , re medica , saniorique Physica parum expertis) scribuntur , adfirmantur. Magnus autem Hetruriæ Dux , precibus REDII , ab iisdem Missionariis tales lapides pretio sibi comparavit , & REDII experimenta fecit ; sed nihil minus , quam vera sunt , quæ deprædicarant Missionarii : videte REDII , *librum experimentorum circa res naturales* , maxime *indicas* , ubi omnia illa experimenta decantata explosit.

3) *Omni medicamento validissime diluente & movente* ; qualia sunt , vomitoria cita ; si opium , si nappellus , si oenanthe , si mercurius sublimatus &c. in ventriculo sint ; ut in casu antea ex SYDENHAMO relato. Talia sunt , aqua copiosissima , calida , vel tepida ; posterior potius , si velimus mox vomitum ciere : si opus sit illico vomitorio , damus gyllam THEOPHRASTI , vel grana 25 — 30. vitrioli albi , gr. v. vj. tartari emetici & ingenti copia tepidæ aquæ hunc vomitum promovemus.

Purgantia celeria ; rad. resin. jalapæ , scammon. , colocynthis ; maxime si eorum actio mox juvetur enematis acrioribus.

Fortissima sudorifera ; quorum omnium est optimum acetum dilutum , calide epotum ; & promte agit

& fortissime. Hic nunc diascordium, Mithridatium, Theriaca, Phylonium, Orvietanum bona esse possunt, si indicatio sudores poscat; quia 1) opio conpescunt nervos, & 2) sudores eliciunt calidis adjunctis; sed quo calida aqua cum oxymelle copiosiori sociatur, eo certius tutiusque sudores promovet.

Et fortissima diuretica; ut sunt insecta plura, millepedes, formicæ, cochinellæ; omnia parata ex junipero, additis sale volatili oleoso, tinctura cochinellæ, salibus neutris; acetum, vina rhenana, mosellana, non vetusta; ea lege, ut corpus stragulis non sit tectum, sed ita dirigatur, ut sudor multus, aut magna perspiratio, non possit accedere; renibus interim intrinsecus & extrinsecus calide fotis.

Unde diascordia &c.; profunt, ut mox dixi.

Quibus tamen minus tuto fides adhibetur ut universalibus, vel therapeuticis, vel prophylacticis, antidotis &c.; duas ob causas, 1) quia calidis suis ingredientibus sæpe plus nocent, quam profunt, maxime ubi corpus veneno sæpe jam exurit; 2) quia omnis medica scientia hic subsistit; ita fidunt his confectionibus, ut despiciant omnia alia, quæ tutius & fortius & citius venenum domassent: per generalia illa ad §. 1129. dicta passim plus proficitur.

4) Partem toxico adfectam quam ocyssime auferendo &c.; si nempe sit in loco non nimis tendinoso nervosoque; sed in molli, carnosio: ut consilium est VIRGILII 3. Georgicor. antea jam adductum.

§. 1133. *Symptomata sæva &c.; si symptoma sit vomitus, regula data in PATHOLOGIA, repetenda in fine METHODI MEDENDI, jubet examinare, utrum sit vomitus vomitu curandus, an sopiendus: ita*
al-

alvus, diuresis, sudor, hæmorrhagia quæcunque, stupor, dolor, horror &c.

§. 1134. Si quis esset in metu, ne sibi venenum daretur, iter v. g. faciens per Americam, aut si homo sit in loco pestilentia adfecto, vel si fossiores debent laborare in fodinis, unde vis venenata nota est, *corpus munitur contra venena adplicanda, inprimis*

1) *usurpando largiter generalia*; si natura veneni incognita; aquam, aquam saponaceam, oleum;

& *singularia*; quæ modo tuta sunt &c.; ut prius patuit: si enim acidum esset venenum, acetum noceret; tunc antidotum debet esse ex alkalicis &c.; talia in occasionem omnem debent tunc esse parata. Sed tutiora semper sunt generalia; nam illa singularia sæpe per se sunt venena: hinc, si quis vellet se munire talibus, & non acciperet tale venenum, quale cogitasset, necaret se suo prævio antidoto. Nota historia Circulatoris, probaturi bonitatem sui orvietani. Arsenicum sumturus corpus prius oleo probe repleverat, ut venenum in oleum cadens vix noceret; tum sumsit suum orvietanum in læsus. Alter, qui id viderat, volebatque imitari, sumsit venenum idem, eandemque dosin orvietani, & moritur miserrime, ignarus secreti alterius, copiosum oleum primo bibentis.

2) *Partem corporis &c.*; ut ågyrta oleo suum ventriculum & intestina muniebat.

3) *Omnes partes corporis &c.*; potu theæ, coffeæ, calida aqua, calido sero lactis; ut in æquabili perspiratione magna, vel levi sudore partes sint.

Novem classes jam sequuntur venenorum, quorum explicatio in MATERIA MEDICA traditur. Opus modo est, ut quæritis in his novem capitulis boerhaavianis singularem veneni dati classem; videbitis ex sym-

ptomatibus enarratis, an revera ad illam classem pertineat, simulque ad quamvis classem remedia, tum generalia, tum singularia, si dentur, invenietis adscripta; ut falli Vos in hisce sit impossibile.

§. 1146. *Causæ autem remotiores morborum*, ut v. g. aër pestiferus, usus carbonum &c., ars vasa argentea mercurii (& auri) amalgamate in igne deaurandi, & similia, sunt vitanda, si quis velit omnes causas remotiores abscindere.

§. 1147. *Si autem &c.*, si v. g. quis habeat omnia signa adsumti veneni, & tamen ignorem unde; tunc observo, quæ urgent eum, symptomata; ago secundum ea, quæ dicta sunt, in illa: tollo sic ignotæ mihi causæ effectus.

§. 1148. Nam symptomata bene considerata docent, an in ventriculo hæreat, an in intestinis, an jam per sanguinem dispersa vis veneni sit. Unde patet, qua ratione agam in causam illam, in ventriculo, vel alibi hærentem: v. g. causa proxima est in ventriculo, ergo vomitorium subitum requiritur ut expellatur; est in intestinis, validum purgans & enemata fortia; in vesica, injectio olei in illam. Sed venio, quando homo jam est penitus viribus dejectus, & fere moriturus: conabor intus extus omnia aquâ, oleo &c. emollire & dolores dato opio prudentissime sopire.

A cholera vidi homines tam subito dejectos viribus omnibus, ut intra diem morerentur; tunc est acutissimus morbus: intra paucas horas violentia morbi tanta est, totque eduxit humores, tot in convulsiones rapuit nervos, tot dissipavit spiritus, ita corrumpit sanguinem, ut Medicus accedens videat emeticò certo moriturum

hominem, roborantibus & sopientibus vix ultra esse reparandum: tamen viam tutissimam iniens experitur, an sopiens & reficiens methodus aliquid valeat. Si homo moriatur, Medicus quidem tutam conscientiam habet, quod mortem incertam certæ prætulerit; verum certamina multa tunc ipsi sustinenda sunt ab illis Medicis, qui nunquam choleras sine emetico prævio adgrediuntur.

Hanc doctrinam applicemus venenis datis, & intelligemus, quomodo vel expellere illico, vel diluere venenum, symptomata mitigare viresque reparare debeamus; simulque intelligimus, quod quacunque prudentia egerimus, eos tamen, quos venenum jam nimis destruxerit, servare nos non possumus.

§. 1149. 50. 51. Est venenum, quod hominem in summum torporem ac frigus conjicit; est mihi hic torpor & frigus calefacientibus ac stimulantibus excitandus, & vice versa. Homo alius in ardentissimam febrem, delirium, furores, actus est; vita hæc mihi moderanda est, ut in omni motu nimio: optime hoc faciunt generalia antidota, quum causam ipsam enervent.

Verum præterea a venenis homo jacet ut mortuus, dum mox ante nostrum adventum signa vitæ adfuissent. Forte manebit mortuus, si nil fiat; forte incitamentis posset resuscitari. Laudandi semper Medici sunt, qui eò modò, ut alia occasione in *morbis infantum* (seorsim pariter edendis) dicitur, agunt; mira fiunt, quæ non expectaveramus. Classarius batavus miles de navi cadens mergitur aquis: scapham sumens alius classarius cum sociis hominem mortuum trahit in scapham: vident omnes, esse mortuum. Ille vero, meliora edoctus, sumit magnum suum cultrum, & apicem vaginæ abscindit, intrudit in demersi anum, & ab altera parte inflat.

tantum aëris, quantum posset, eoque facto mortuum illum Capitaneo vivum restituit. — Vita potest adparere deleta tota, & tamen ita manere, ut refuscitari queat: maxime id suspicari quandoque possumus, dum ab ignota causa, a veneno, cito visus sit mortuus homo.

§. §. 1152. 1153. 1154. Methodica curatio, & ea prorsum, quam ex HIPPOCRATE, SYDENHAMO, BOERHAAVIO didicistis; ea explet quatuor hæc capita. Nihil aliud agimus, si bene agimus: specifica plane empirica est; audito nomine morbi, novimus medelam: ita cortex peruvianus in feбри, ita opium in doloribus. Optandum foret, pluribus specificis ditesceremus; sed interea dum paucis his gaudemus, methodicam curam eo acrius, eo adtentius colamus.

INDICATIO CURATORIA IN MORBIS SOLIDI.



§. §. 1155. 1156.

Habetis hic divisionem totius artis chirurgicæ. Ut in morbis internis sola natura facit, quod fieri oportet, arte medica tantum impedimenta auferren-

rente, & juvantia adplicante; ita in morbis externis Chirurgus aufert impedimenta, adplicat bona medicamenta huic scopo apta; sed natura, ablatis impedimentis, & adpositis rebus aptis, intrinsecus, extrinsecus omnia perficit. Omnia illa balsama arcent aëra, molles servant partes, putredinem impediunt: sed, si non cooperetur natura, ut in ulceribus cacoëticis, nil juvant adplicata.

§. 1157. Dictum.

§. 1158. Morbi *solidi*, seorsim spectati, consistunt aut in solutione continui, quæ mox dicta, aut in mala cohæsione.

Mala cohæsiō est aut nimia, aut nimis parva. Cohæsiō nimia est *rigiditas*, quæ tum est laxanda; hinc 1) *aquæ fotu, balneo*; 2) *emollientibus decoctis*; 3) *oleo*; 4) *moderato & sæpe renovato motu*; aliter videretur quies commendanda, quum observe-
mus homines in quiete mollescere & laxos fieri. Verum & flexilissimus fit arcus, si modo tendatur, modo laxetur, iterum tendatur & laxetur &c. (*) Est tamen hoc in genere verum, quod molle otium reddat fibras flexiles, laxas, *Inl. PRÆSES in comment. ad Aph. 35. n. 4.* bene advertit hoc: „motus, inquit, muscularis præcipuum, remedium habetur ad curandam fibram nimis debilem; non mirum ergo, si quies contrarium faciat. Qui citissime volunt saginare

re

(*) V. g. in incipiente anchylosi motu tali redit flacciditas, & fit dissipatio ejus, quod morbose hic collectum. De H.

re animalia, illa semper ab omni motu prohibent, largo dato simul pabulo. Hinc in morbis acutis, ubi omnia adeo exsiccantur, quietem summam, inprimis in aëre frigidiusculo & humido, inperaverunt veteres Medici: frigidus enim & siccus aër roborat fibras. Nihil autem magis laxat corpora, quam tepor lecti, dum somno largiori indulgent ægri; hærent enim sic in proprio vaporum, de corpore exhalantium, balneo. Hinc omnia animalia a somno tument. Dixit ideo HIPPOCRATES: „ Longiores vero somni calefacientes conliquant carnem & corpus diffundendo resolvunt, & inbecille reddunt: *de victûs ratione sanorum l. 2. c. 10.*; & *lib. de adfectionibus, c. 12.* In quibuscunque morbis siccitas confert, conducit quam minimum dormire. Quibus vero humiditas confert, non debent inediam pati, nec cibo, aut potu indigere, neque laborare, & dormire quantum volunt.“

Friktiones explicabuntur ad §. 1166.

§. 1159. *Flacciditas nimia partium solidarum cognita indicat roborationem earundem, quæ obtinetur; cardiacis &c.; reliqua hujus capitis sponte patent. Ultra de his non ago; nam scitis hæc ex cap. de fibra laxa & rigida ex principio Aphorismorum BOERHAAVII, & Comment. Inl. Lib. Baronis VAN SWIETEN.*

INDICATIO IN MORBIS CORRIGENS FLUIDA.

§. 1163.

Supereſt nobis una tantum indicatio explicanda, quæ ad *fluida* mutanda ſpectat: mutantur fluida morboſa 1) emendando eadem; ita, ut in corpore maneat ſiantque emendatione tali iterum ſana: vel 2) mutantur humores morboſi, demendo ex iis morboſas partes, ut ſani humores dein, ex bonis alimentis & bonis naturæ viribus comparati, expulſorum repleant vacuitatem.

Hæc duo nunc explicanda reſtant; ac primo quidem *indicatio corrigens fluida*.

§. 1164. Nam oportet tunc adefſe in illa parte ſingulari vitium in liquido, quod ibi nimis craſſum, aut tenax fit; vel quod vas quocunque modo fit anguſtatum, licet liquidum bonum fit; vel quod & ſpiſſus humor, & vas ipſum inpeditum fit: adeoque indicat mutationem in meabilitatem tam viæ quam materiæ.

§. 1165. *Materies &c.*; hic habetis ex MATERIE MEDICA infinitam copiam reſolventium, deobſtruentium, tam in diatheſi phlogiſtica, quam in pituitoſa. — Huc adhuc refertur *embroche*, aquæ vel

vel frigidæ, vel calidæ, puræ, vel medicatæ. Sæpe profunt hæc inpluvia in anchylosibus & tumoribus albis genuum, aliorumque articulorum. — Addi hic etiam *gramen* posset: si recentis graminis succus pareretur & detur magnâ copiâ quotidie, liquefacit totum hominem, solvitque calculosas in officina bilis concretiones. Apud Magnates hæc cælanda, quum irascerentur, se ut armenta in pratis tractari, nec fumere talia remedia vellent. Immo in genere puto, homines oportere ignorare, quæ medicamenta sumant: ignota melius, quam nota sumunt. Medici sunt passim liberaliores in hac re: cognita vilescunt.

Per illa, quæ causæ singulari, coagulum facienti, contraria sunt, ut in coagulo per acida factò, usu alkalium leniorum; sapo venetus lacti incoctus & pannis laneis, vel spongiâ latâ calide semper applicatus, huic scopo aptissimus. Si sapo venetus admisceatur lacti recens multò, nunquam coagulabitur.

2) *In coagulo glutinoso & pingui &c. id est, quando glutinosum in vasis hærens facit tumorem pulposum, tenacem, phlegmaticum, vel quando pinguis materies facit atheroma, tunc certe saponacea conveniunt ex eodem sapone veneto; nam calida stimulantia hic profunt, ut tumorem dividant crassum, stimulentque solida, quo divisum illud propellant. Emplastrâ hic profunt talia, diabotanon, RUSTINGII, de labdano, diachylon cum gummi, de cumino, oxycroceum &c.*

3) *In coagulo a quiete usu salium & saponaceorum; humores boni torpore stagnant: effectus enim nimix quietis, uti jam dictum ad §. 769. Ætiologiæ. In tali casu fomenta ex sale ammoniaco, diluto aquâ, immo aliquando cum aqua calcis (oriente*

inde decompositione) ut mox in albo tumore genū vidimus, potenter juvant. Sapo quidam paratur, si spiritus salis ammoniaci uncia una cum unciis sex oxymellis, & pinta vini misceatur, sæpe potenter resolvens talia concreta.

4) *In coagulo phlogistico, nitrosi & saponaceis herbis*; hic jam omnia priora nocerent; excepto sapone veneto, qui lacti incoctus alkalino sale vix nocere posse videtur. Decocta malvæ, parietariæ, endiviæ, lactucæ, portulacæ, mista melli & nitro, aut oxymelli, epota hic profunt: cataplasmata parata ex similibus herbis, addito melle & nitro; decocta avenæ decorticatæ cum floribus chamomillæ, meliloti, sambuci, hederæ terrestris &c.

In his tamen omnibus iudicio opus: hæc mutanda sunt pro natura tumoris & coaguli, & copia stimulantis augenda minuendæ, prout plus minusve juvant. Etiam oportet Medicum esse divitem in hac Materia medica, quia plura sæpe adhibentur, quæ omnes homines ferre non possunt. Multi ab emplastris habent erysipelas; multi, maxime feminæ, abjiciunt mox multa, quod certos odores ferre non possint: tum & hyeme præstat fotu minus uti, quam cataplasmate, aut emplastro, quod hyeme tam cito frigescant.

5) *Per cardiaca &c.*; si quies sit in humoribus a debilitate cordis & vasorum, stimulantia nutrimenta, ut §. IIII. descripta, profunt, vires vitæ & augendo & incitando. Etenim humores velocius a corde projiciuntur in arterias, & arteriæ stimulantur 1) a velociori fortiorique adpulsu sanguinis; 2) a stimulo cardiacorum: quum nunc per talia cardiaca vires omnium solidorum augeantur, cor & arteriæ ab hac etiam causa in fortiorem atque frequentiore contractionem prorumpunt.

Hac igitur ratione præcipue quidem humorum nimiam tenacitatem a quibuscunque causis natam emendare studuimus: sed simul egimus, hoc faciendo, in ipsa solida; omnia enim illa interna externaque agere æque in solida debuerunt, quam in fluida. Quia tamen vasa sola esse in causa possunt, bonis humoribus, ideo AUCTOR nunc ad *solida* unice se convertit.

§. II66. *Via impedita redditur meabilis* 1) *aperiendo meatus, potu aquæ calidæ, emollientibus & salinis temperatis medicatæ*; exemplo sint potatoes nimiorum potuum asiaticorum: fluida quidem ipsis tandem aquosa fiunt, sed & solida quævis laxa flaccescunt. Hæc iterum agendi methodus, in sola solida destinata, agit simul in fluida, æque ac in solida; ut *priori Spho* contenta, in sola fluida destinata, non in fluida modo, sed & in solida agebant. Ita, ut quamvis indicationes alterutrius tantum sequamur, semper tamen in utrumque agamus.

Si *aqua calida* sui potatoes penitus in solidis laxet, *aqua medicata emollientibus* eo magis hoc faciet: nam particulæ hæ emollientes, interponentes sese inter laterales fibrarum cohæsiones, diapedesin quasi faciunt, & in illa sese interponunt, ut membrana sic fiat multo latior, adeoque vas totum fiat amplius. (*)

F 3

Si

(*) Lac quamvis suis nutrientissimis particulis sit cardiacum, bonos faciens humores, tamen ratione suæ aquæ (& particularum oleosarum ac subspanacearum) emollit quoque. Hinc in ulcere pulmonali cum rigiditate vasorum lac alimentum

Si vero aqua illa *medicata sit salinis temperatis*, oportet salinum istud dividere massam humoris loco obstructo hærentis, & simul stimulare solida, ut agant in contentum fluidum: ergo iterum hac ratione aquæ medicatæ salinæ æque humores mutant, quam vasa.

Patet hoc in *aquis mineralibus* potandis. Si homini sint vasa laxa, & humores mucosi, aquæ selteranæ, vel illis similes, incidunt suo subtili sale, in alkalinam naturam vergente, hos humores, & etiam stimulo suo tunc agitant inertia vasa. Rarius tamen in similibus totum scopum obtinemus; sed si sanguine adtenuato facto tunc spadana potantur, robur majus conciliatur vasis, ut brevi tunc æquilibrium bonum vasa inter humoresque restituantur.

Ænigmatis instar varia actio aquæ spadana videbatur BAGLIVIO esse, quod aqua illa videatur tam opposite agere. *Henricus ab HÆERS* in sua *Spadacrene* observandum dederat, feminas, mensibus carentes, harum aquarum potu menses recuperare amissos, & pro pallido flavoque colore jam reddi iterum facie colore amæno pulcras; feminas autem alias, sanguine exhaustas, nimis uteri hæmorrhagiis, perpetuo adhuc fluentibus, ideoque pallidam mortem vultu referentes,

potu

tum, lac medicamentum est. Curat quosdam integre, tota die cum melle potatum; reliquis incurabilibus curam facit palliativam. (Est tamen, ubi lac ipsum integrum minus conveniat, quam serum inde paratum; sale, seu saccharo sic dicto lactis, quod solutum gerit, magis medicamento-sum, solvens; dum parte caseosa, viscida, pri-vatum, vitibus digestivis, sæpenumero sat debilibus minus inpedimento est.)

potu spadanarum liberari a fluore uterino, & retinere deinceps sanguinem intra vasa restituique sanitati.

Effectus adeo contrarii ab eodem remedio habere quid paradoxo Eruditis videbantur. Verum est eorum simplex admodum intellectus, si consideremus, in prioribus, menses nullos habentibus, causam fuisse vel inopiam boni sanguinis, vel vasa obstructa: vasa autem obstructa vel humoribus glutinosis crassis, vel nimia vasorum obstructione per stenochoriam, aut thlipsin. In aliis, quibus fluor uterinus nimius, vel vasa laxiora sunt; vel humores nimis tenues; vel etiam cum bonis vasis uterinis, bonoque sanguine, fluor uterinus nascitur, si per aliorum viscerum obstructiones sanguis impediatur per eadem fluere: unde sanguini hinc nata resistentia cogit illum per uterum, ut viam naturaliter apertam, nunc copiosius transire.

Quæcunque nunc harum diversarum causarum obtineat, aquæ spadanæ videntur in diversas illas vim suam exserere posse. In aquis his est mirum illud restaurans martiale, verum cardiacum debiliū a causa non plethorica: est in aquis his inconprehensibili modo solutum alkali, solutum & acidum: utrumque enim principium tale ars inde deduxit. Diluere ergo ratione aquæ potest, adtenuare ratione salium, conpingere adtenuatos humores in debitam crassitiem ratione Martis, sed & eandem ob causam, quia adtenuat crassa, obstructa resolvit: quia vero restaurans illud martiale se interponit inter laxas elementorum cohæsiones, reddit laxas fibras robustiores, agit easdem suo stimulo salino, ut in contenta liquida vim suam exserant eademque propellant. Unde tam varia obpositaque eadem illa aqua producere apta nata est. Obest quandoque vel penuria boni humoris, vel vasorum debita rigiditas, quæ si augeatur,

morbos faciet: lac cum spadanis junctum utrique huic indicationi satisfacit.

Quum vero & aquæ pyrmontanæ, & alii multi fontes medicati, in plurimis cum spadanis conveniant, poterit Medicus ea, quæ de his dicta sunt, illis adplicare.

Imitari naturam sæpe conati sunt Medici pulchrò successu, quando fontes medicatos adire ægri non possunt; vel aquas illas ex fonte in omnem terrarum plagam adlatas bibere recusant. Ferri crudi, minime mutati, limaturam dant, solam, vel cortici peruviano junctam, cum copioso lactis potu: unde tunc sæpe desperati fere morbi curantur.

Prodiit Parisiis anno 1738. Tractatus de podagra aliisque chronicis morbis radicitus curandis, Auctore *Petro DESSAULT*, burdigalensi Professore; in quo multa nimis universaliter deprædicata; sed tamen exempla curarum mirificarum, quæ Marte, cortice peruviano & lacte factæ sunt, & quarum plures in mea praxi imitatus obstupui, in eodem opere continentur. Qui hunc librum legit, licet, ut dixi, multa nimis universaliter adserta, multaque, bene gesta, male explicata sint; tamen, qui legit illum cum prudentia, sui eum temporis lectioni inpeni haud pœnitebit.

Qui ultra de variis aquis medicatis, tam martialibus, quam salinis, legere amat, adeat *HOFFMANNI* in hanc materiem lucubrationes; (uti &, præter plures alios *Cl. ZÜCKERT* historiam aquarum mineralium.)

Hucusque de potu aquarum illarum; sed *Textus* dicit & *potu*. Si aquæ calidæ inponantur vasa rigidiora, certe emollescunt. Crura nostra, in aqua calida aliquantisper posita, turgent interposito aquæ; turgent etiam, quia laxatis vasis major in illis retinetur copia cruoris. Hinc ad vasa rigida balnea aquæ calidæ, to-

ti corpori adhibita, infiniti ufus. Sed bono liquido debent inpleta corpora effe, vel faltem inpleri debent, quia alioqui oriuntur debilitates, immo, quod sæpe contingit, animi deliquia.

Ratio eft, quod in toto corpore in tali balneo venæ maxime dilatantur & fic retinetur copia ingens fanguinis venofi, quo tardius ad cor redeat; unde tandem defectus fanguinis venofi ad cor, ad cerebrum & cerebellum.

Remedium primum eft, ut dixi, corpora replere eodem tempore bono & cito parabili nutrimento; tum fecundò frictiones lenes fubinde in balneo facere, ut flagnatio fanguinis parumper promoveatur.

Si pars corporis una tantum fit, v. g. pes, manus, brachium, quæ nimia rigiditate fibrarum arefceret, poteft pars illa in calida aqua tantum poni; vel aqua calida, laboriofa renovatione, poteft mappis laneis parti adfiduo circumponi; & hoc proprie eft, quod AUCTOR de *fotu* velit; quia tamen mox & de *balneo* agit, conjunxi fimul & fotum & balneum.

Laudat & AUCTOR *vaporem* calidæ aquæ, five fimplicis, five medicatæ. Vapor certe aquæ calidæ eft emollientiffimus, videmusque vel duriffima coria, dum tali vapori exponuntur, infiar mucii contabescere. Hinc balnea crurum profunt mirifice in utero ftriçtiori, quia vapores aquæ ex femicupio fub vefimentis ad uterum afcendunt. Habentur apud Aquisgranenfes vaporum balnea. Iterum huc refero *Embroschas*, de quibus actum ad §. II64.

Calore moderato, id eft, calore naturali, vel artificiali, aëris. In AETIOLOGIA, de vario aëris calore agentes, vidimus, aere calido moderato hoc fieri, & demonftrari per æstatem. Si æftas fit bona, non nimis durans, veftes in hyeme & vere ad corpus aptæ, jam

nimis nobis arctæ fiunt, corpore a calore in omni dimensione laxato. Coria hyeme dura jam fiunt paullo molliora, ac reperimus nosmet ipsos minus agiles, minus fortes, magis laxos. Si idem aër fiat humidus, laxamur adhuc magis & perspiratio impeditur, ut fibræ corporis ad peripheriam retineantur, & eo magis fibræ ea humidi copia laxa fiant. Hinc oriuntur denique stagnationes, putredines a stagnatione, febresque maxime putridæ.

Moderatus igitur calor laxat rigida vasa, & hinc prodest pro aliquo tempore in rigiditate nimia.

Friktione sicca, vel humida, calida; hic nunc de *frictione* differendi aptus locus. Dignus est Textus quidam HIPPOCRATIS, qui huc referatur, ex *libro de officina Medici, Tom. I.* apud FŒS. p. 746.: „Frictio vim habet solvendi, adstringendi, carnem augendi, minuendi,“ & quid sibi HIPPOCRATES velit, mox explicat: „dura frictio vim habet adstringendi; mollis frictio vim habet solvendi: multa frictio vim habet minuendi; medicris frictio vim habet implendi.“

Videbitis ad calcem hujus Textus notam FŒSII, qui hic laudat & GALENI *text. l. 2. de sanitate tuenda*: verum, potius esset legendus totus hic liber GALENI, a *cap. I—8.*; ubi multa bona de frictione GALENUS habet, maxime dum invehitur in THEONEM alexandrinum, Gymnastam, qui, ut & ASCLEPIADES, honorem hujus doctrinæ sibi adscribebat, quum constaret, HIPPOCRATEM, loco citato, totum frictionis mysterium patefecisse.

Videamus vim Textus hippocratici: δέω, ἴσω, passim significat *ligo, vincio, vinculis constringo*; sed CHARTERIUS reddit: *adstringo*, & sic videtur verus sensus esse HIPPOCRATIS, ita quoque a GALENO *l. c.* intellectus. Gradus in ea varios agnovit & dis-

distinxit HIPPOCRATES & dedit his paucis verbis omnes omnino regulas fricandi, quibus VV. celebres fuere: prout enim indicatio erat, frictiones aut siccas, aut humidas, aut cum aqua frigida calidave, aut cum oleosis faciebant: aut brevem, aut continuam; aut mollem, aut fortem; aut manu molli, aut callosa; aut linteis laneisque mappis. Inter liquores erant: aqua, oleum, vinum, spiritus, balsama penetrantia &c.; prout ferebat indicatio.

Sic videmur intelligere, quomodo una frictio varia, eaque obposita, efficere videatur.

1) „Frictio vim habet solvendi obstructum, si mollis est:“ — hic præcise casus noster. Mollis frictio movendo molliter hinc inde obstructum locum, comprimit vas in materiem, hanc dividit, uno in loco manere non finit, propellit ex uno loco in alium & leni hac agitatione excitat vim solidi in liquidum.

2) „Frictio habet vim adstringendi, roborandi“ — & laxa pendula quasi vinculo ligandi, si ita fiat, ut omne humidum glutinosum inter fibras earumque elementa nimis interpositum, prorsum inde expellatur, extrudatur; ut, expulsis iis, tum omnia elementa fibræ, tum omnes fibræ, olim separatæ, arcte ad se invicem accedant, si elaterem nondum amiserunt. Habeo tunc ex laxitate rigiditatem.

3) „Multa frictio habet vim minuendi;“ — certe vasa minuuntur insigniter: exemplum sumimus ex homine toto; vix nisi vasa & humores est in prima infantia, sed ita, ut humores vasa extendant in omnem dimensionem, usque ad perfectam ætatis ἀκμὴν: tunc est perfectum æquilibrium solida inter fluidaque. Dum nunc actiones vitæ continuant semper, adtritûsque actio ac reactio partium perennis fit, est frictio perpetua humida inter solidaque. Effectus hujus frictionis na-

turalis est, ut multa vasa pereant, ut majora vasa ex pereuntibus minoribus obrigescant. Hinc multa frictio, inquit HIPPOCRATES, inminuit vasa; immo inminuit corpus totum, quum corpus senile jam sit omni dimensione minus; brevius enim & angustius fit.

Immo frictio multa in corpore sano reddit partes rigidas & callosas, ut patet in opificum pedibus & in plantis pedum (volisque manuum) multorum hominum. Ergo frictio multa minuit tibi vasa; minuit totam partem, præ duritie se contrahentem, nisi posthac callus vehementer excrescat.

4) „Mediocris frictio vim habet implendi“ — hoc patet in macie non desperanda; panniculus adiposus compressus, contractus in iis jacet hominibus, ut oleum sanguinis nequeat in illis secerni, si cæterum adesset. Frictio mutat hanc compressionem, varieque omnes has conplanatas cellulas movet, oscula vasorum in has cellulas patentia & compressa mutantur, aperiuntur, & sensim oleum sanguinis in illas cellulas denuo fecernitur, maxime si bona nutrimenta interea corpus replent. — Hæc moderata frictio facit.

Frictiones in genere quoque id habent, ut promoveant liquidorum motus per vasa, & augeant circulationem. Hinc nunquam faciendæ fortes, ubi vis humorum auctior nocere posset: unde in acutis morbis minus instituendæ.

Differunt ratione materiæ. Vidimus jam antea, quod, quum aqua calida primo laxaverit omnia solida, ita, ut venæ jam sanguine turgeant; frictio facta in aqua illum sanguinem promoveat & augeat circulationem per expedita vasa.

Frictiones cum aqua frigida, quæ jam frequens est Anglorum methodus, promovet humores per vasa, interea dum aquæ frigus vasa laxa constringit, & humores con-

condensat. (*) Damnosa ergo, ubi vasa nimis jam stric-
ta sunt, & spissi humores.

(*) (Legendus hic Tractatus, anno elapso hinc edi-
tus, *Cl. FERRO*; balneorum frigidorum pulcras
vires & uberrime, & convincenti imprimis ratione
demonstrans.)

Frictiones cum rebus aromaticis ficcis, ut masty-
che, olibano, sarcocola, baccis juniperi, myrrha, styrace,
labdano, benzoë, rad. iridis florentinæ &c. faciunt 1) omne id, quod faciunt frictiones siccæ; 2) vi frictionis tenuissimæ particulæ applicantur & promoventur per vasa bibula, ut stimulo suo possint concreta movere, & fibras incitare ad motum. Hæ conveniunt, ubi laxa & inertia solida, tardique ac lenti humores.

Frictiones humidæ oleosæ conveniunt, si rigiditas vasorum retineat humores, ne satis circulare possint. Oleosa, aromatibus mista, possunt laxare frictione solida, & concreta fluida illo stimulo dividere.

Quæ *HIPPOCRATES* tam clare enuntiaverat, quæ *GALENUS*, *VV.* plurimi, tantô studiô docuerant, laudaverant, ea galénica Schola demum oblivioni fere tradidit, ita, ut altum de his obtineret silentium, totaque cura internis potius remediis, aut externis balneis, at minime frictionibus (*) perageretur. Posterioribus temporibus hippocraticum studium denuo frictiones, ut præcipuam curandi medelam, considerare jussit.

Sed

(*) Hinc ea sola fuit equis reservata felicitas, ut frictio eos sanos conservaverit; in Seipsis Galenici, deindeque novi chemicorum systematum Conditores, neglexerunt: facientes hoc modo idem, quod Atheniensibus exprobrabat *SOCRATES*, quod

Sed, ut vidistis, omnia optima possunt noxia reddi, modo indicatio non bene capta sit. Regulæ antea datæ ad quamcunque indicationem adplicatæ, demum frictionis usum & justum reddent, & maximè utilem.

2) *Idem fit materiem incompactam una cum vasis obpletis fovendo, molliendo, agitando, coercendo, ut emollitio, putrefactio, subpuratio totius loci adfecti resolutio, in pus fluidum contingat.* Est quidem solutionis genus, quo topicum illud malum aufertur, verum non tentandum, quamdiu aliæ viæ supersunt: præstat enim semper, vasa servare integra integramque partem. Verum, si id nulla queat ratione fieri, præstat destructione vasorum malum vincere, quam scirrhasas concretiones demum habere. Id maxime adparet futurum, si vemedica compactum solventia non juvent, & tamen omnimodo Artifex solvere tentet. Si obstructio sit nimis incompacta, quam ut resolventibus & frictione resolvi queat, Medicus pergendo in his tenuissima inde removet, accumulatur crassiora; unde scirrhus.

Videmus hoc toties in incipiente induratione glandularum, mammæ, inguinis, parotidis. Dum de morbis Puerperarum (seorsim edendis) egi, demonstravi toties, ex nimio resolutionis studio scirrhas nasci.

Unde, si remedia solventia non satis valida in glandularum morbis, mox de subpuratione cogitandum.

Sunt loca minus obnoxia scirrhis & situ suo maxime adspectabilia, in quibus vitanda subpuratio, in quantum fieri potest, propter cicatricem. Hinc, si in gena inflammatio, vel obstructio magna, cavendum omni ope, ne subpuratione facta foeda cicatrix per omnem

majorem curam gerent equorum, quam sui suorumque liberorum. *De H.*

nem vitam hominem deturpet. Si vero impossibile sit, præcavere, omnis cura adhibeatur, ut adiciatur ad genæ partem internam materies, ut ibi exiens nullam faciei turpitudinem conciliet.

Si igitur subpuratio promovenda sit, ad hunc scopum hic ex MATERIA MEDICA habetis catalogum magnum.

1) Adfunt, quæ obstipant poros omnes, ut tota vis vitæ in obstructam partem determinata eandem solvat, destruat: ita sunt omnes farinosæ oleosæque partes, dum inmotæ perpetuoque parti adplicatæ manent.

2) Adfunt stimulantia, quia sæpe vis naturæ in eam debilior agit, quam ut destruat illam: stimulantia igitur superaddita, & vasa bibula subeuntia, irritant vitales actiones in obstructam partem, ut cito destruat, & cum liquido suo in pulvem vertatur.

Evenit aliquando, ut, quod sic subpurandum expectaveramus, ejusmodi remediis resolvatur; uti vidimus in mamma mulieris, in collegio matutino casuali.

Mulier hæc circa 22. Martii mensis peperit. Infans quarta die convulsus mortuus fuit; lochiis per quatuor septimanas modice fluentibus. Pro more feminarum adplicata sunt utrique mammæ emplastra mox a morte infantis, ut retropelleretur lac. Sinistræ mammæ inde contigit, quod optabatur, dextræ vero pars inferior vehementer doluit. Adplicato emplastro alio, mammæ discus totus induruit, rubuit, & dolores excitavit. Hinc, ne scirrhus inde nasceretur, sed potius subpuratio, postquam malum fere per mensem duraverat, nulla illi resolventia præscripti, sed decoctum ex herbis emollientibus, & cataplasma ex aven. decort. lib. iv., fol. malv. parietar. ana. M. ij. farinæ lini ꝑj.

Medio Majo, quum subpuratio non promoveretur, & durities tamen augesceret, Ꝟß. gum. ammon. cataplasmati fuit addita, ut vim vitæ in obstructionem excitaremus: quod, quum minus ferre videbatur, inpositum est iterum cataplasma emolliens, obflipans, additis adhuc olei lini Ꝟiv. Attamen, dum hoc cataplasma per aliquot dies adplicabat, tumor visus est emollescere, imminui, ac demum post usum ejusdem cataplasmatidis per 7—8 septimanas productum, plane evanescere.

Animadvertendum est, quod semper huc usque aliquid serosi ex papilla exstillaverit; quod cæterum inter bona signa scirrhii non habetur.

Videmus hoc exemplo, sub remediorum subpurantium usu, ingentem atque ultra mensem durantem, spatio aliorum binorum mensium plane resolutum tumorem esse. Quæ ratio hujus? Obstructio hæc magis nata fuit ex strictura vasorum, quam ex densitate liquidi. Hinc malaëtica, emollientia inposita solverunt constrictionem vasorum; humores transierunt per vasa, olim stricta, jam laxata, sicque omnis disparuit tumor: & si subponamus, humores in strictis vasis etiam quiete inspissari, sal polychrestum cum melle decoctis emollientibus junctum, potuit hanc inspissationem solvere; cataplasmatum aqueæ partes potuere vasû bibulis absorberi, & diluere concretiones humorum.

Hinc convincimur; quod si talis dispositio ad solutionem concreti adfit, methodus subpurationem promovens non inpediat hanc resolutionem, quodque propterea in glandulosarum partium, solventibus non obaudientium, concretionibus, cito ad maturata & subpurata transivisse, noceat nunquam.

3) *Materiæ sic præparatæ viam aperiendo per sectionem, scalpello factam, vel per caustica adplicata; idque iterum cum magna circumspeditione: si alicubi in panniculo carnosio subpuratio nascatur, ea citius aperiunda, quum alioqui perambulet materies ad alia loca, communicatione membrana adiposæ per totum corpus. Si sit materies critice deposita, maturius fiat apertura abscessus, quia non ibi loci fit partis lenta solutio, sed materies tota, cocta aliunde eo defertur. At vero in glandularum subdurationibus maturior apertio ad minimam fluctuationem efficit, ut pars non matura scirrhescat. Exempla quotidiana id docent: unde in mammarum, inguinum, subpurationibus expectandum, donec tota pars penitus in pus versa reperiatur.*

Quod autem *Textus* dicat, vel *scalpello*, vel *causticis* faciendam aperturam, id ideo dicit, quia multi scalpellum recusant: unde causticis illi torquentur per 1., 2., 3. dies, antequam crassa cutis peresa sit. Hinc 1) plus dolent & febricitant; 2) in periculo sunt per illam moram, ne materies purulenta, illinc abiens, ad loca forte nobiliora transeat. Hinc semper præferenda methodus incisionis, laudandaque methodus eorum, qui, quasi aliud acturi, absconditâ lanceolâ abscessus aperiunt.

§. §. II67. II68. *Nempe fluiditas nimia requirit inspissationem, quæ acquiritur 1) victu gelatinoso ex animalibus & vegetantibus; capita pedesque vituli, vel agni, eo inserviunt; si in gelatinam coquantur. Emulsa ex sem. psyll., lin., decocta spissa althææ, malvæ, symphyti majoris: sperma ceti, pulvis diatragac. &c. Verum, si cum fluiditate adsit debilitas, ea aliunde refarcienda: ipsæ enim gelatinæ ani-*

malium ex partibus præparata amifere nutritiam virtutem longa coctione. Sic fluidus sanguis quidem inspiffaretur; verum effet mucosus, debilis, morbosus. Hinc jura bene parata, lac recentissimum, simul essent porrigenda.

2) *Potu aquoso, farinoso, non fermentato*; nam fermentatus potus adtenuat, moderate sumtus. Avena decorticata cocta cum aqua, & in spiffius decoctum parata: decocta, sive cremor, hordei, oryzæ, fagopyri. Pultes, ad prandium & cœnam, ex hordeo, avena, fagopyro, milio; potus chocoladæ.

Verum, circa chocoladam animadvertimus, quod male quandoque illam concedamus. Rogant nos homines, an liceat, illam fumere. In casu dato, ubi nimia fluiditas adest, potest prodesse, si sit chocolada ex solis nucleis cacao mucilaginosi, oleosis, (recentibus, non rancidis) parata. Commendatur sic in nimia humorum fluiditate: commendamus hunc potum phthificis, qui sudoribus nocturnis diffluunt, hominibus aliis debilibus, sudantibus ad minimos motus, iisque, qui post magnos morbos habent adtenuatos humores; hysteriis, & hypochondriacis cum materie, quorum humores inspiffati sunt, quique proinde indigent blandis saponaceis.

Verum raro, ut dixi, ita adhibetur chocolada. Siliquarum Vanillæ, aut Banillæ, unam, aut duas, cinnamomi unciam unam, & drachmam piperis addere solent libræ chocoladæ ex meris nucleis cacao paratæ: alii alia ratione parant, addendo oleum cinnamomi, balsamum peruvianum, toltanum, meccanum, ambram griseam, moschum &c. &c.

Hinc videtis, potum hunc tota natura sua mutari & posse fieri adeo adtenuantem, sudoresque promoventem, quam inspissantem.

Rogati itaque respondemus, in casu dato nimiae tenuitatis humorum, simplicissimam chocoladam adhibendam esse, calidiores illas species vitandas.

Cæterum in casu debilitatis a spissis frigidis humoribus, in casu, ubi quarta species debilitatis subponit humores inertes, vasa flaccida, stimuloque proin indigentia, chocolada cum omnibus illis rebus incitantibus & adtenuantibus parata potest prodesse.

3) *Aucta actione viscerum per ea, quæ præmemorata* (1159.); hæc erant: 1) cardiaca, quæ mox No. 4. commendabuntur. 2) majori motu corpori adplicato per *frictiones*; has jam explicui; *Vestiones*; de his paucis agendum.

Consulendus hic nobis præ omnibus SYDENHAMUS, *sect. 3. c. 7.*, de colica biliosa, quam evacuantibus & venæsectione quamvis sæpe curabat, tamen, si vires debiliores & vomitus adessent, gutt. xvj. laudani liquidi sui mane ac vesperi exhibitis feliciter brevique curabat. Sed, si ab hac methodo, si ab alia, recidivas sæpe patiebantur: ad has præcavendas sequens consilium dabat: „ nihil hæcenus a me excogitari potuit, quod ad persanandum ægrum ita certo faceret, atque *equitatio*, vel in curru *vestio*, qua longiora itinera confici debuere, anodyno interim mane & sero indefinenter propinato ---“

„ Pauper quidam mihi vicinus, qui & adhuc est superstes, colica biliosa vehementissima per hos annos laboravit, quam catharticis, clysteribus, globulisque plumbeis devoratis, expugnare diu, sed frustra erat conatus. Hic ego ad frequentem narcoticorum usum confugi, neque pœnitenda opera: quamdiu enim

certa repeterentur, satis recte habuit; sed quum his palliaretur tantum malum, non extirparetur, (revertebatur enim, ut primum erat exhausta narcoticorum vis) ego hominis misertus, & gravi morbo & re angusta adflictissimi, equum ex meis commodabam, quo iter, dicto jam modo, peragendum adgrederetur: eo-que ad dies pauculos continuato, viscera eas vires recipere, ut morbi reliquiis excutiendis paria jam essent, & sine anodynorum præsidio omnino convalesceret.“

Tandem adseverat, improba continuatione equitationis & vectiois se plurimos chronicos servasse, curasse; quum enim venter sic continuo vibretur, & exagitetur, succi recrementitii ex toto corpore possunt excuti & viscera roborari.

In *Dissert. epistol. ad Guil. COLE*, in *Edit. Leydensi* p. 414. & *seq.*, SYDENHAMUS ait: „At vero nihil ex omnibus, quæ mihi hæctenus innotuere, adeo impense sanguinem spiritusque fovet firmatque, ac diu multumque singulis fere diebus equo vehi.“ Pergit dein exemplis demonstrando, quod debilissimis hominibus, sive jam diarrhæam conliquantem patientibus, ex hypochondrio, sive tabidis, phthificisque, quos nulla artis molimina ab interitu vindicare potuissent, sic sanitatem restituerit. Fidem sane superant, quæ dicit, sed vir candidus tamen omnem fidem meretur. Curas novi inimitabiles factas hoc consilio per BOERHAAVIUM. Utique vidi nasutulos homines inridentes BOERHAAVIUM, quod ex eorum numero plures interirent: verum, neque BOERHAAVIUS, neque SYDENHAMUS jactitant, se curasse omnes, sed plures, qui artis ope incurabiles videbantur. Immo ex felicioribus exemplis multi chronicis morbis adfecti, pessime concludentes & imitari volentes,

equi-

equitare cœperunt, magno suo cum malo, quod quiete, saltem moderato exercitio, indignissent. Ad-erant, qui phthifici facti vellent se equitando curare, & in vehementem hæmoptoën inciderent: omnia illa infortunia in consilium SYDENHAMI & BOERHAAVII conjiciebantur; ubi magni viri a tali consilio dando abhorruissent. Hæmoptoicis sane id disuadere oportet, vasa enim eorum id non ferunt.

Veteres primo ægros suos lectica vehebant, dein curru lento, sensim velociori. Oscillationes in fune pensili quoque profunt; exercitia in sphæristerio &c. juvant.

Sed sæpe hæc surdis canimus. Magnates utriusque sexûs vellent libenter verbis Medici curari; adeo inlecti & incantati comœdia, lusu chartarum, & musica sunt, ut quotidianò exercitio salutem redimere nollent. Matutinis quidem horis equitare aut curru per 2. 3. 4. horas vehi possent, verum tunc est dormiendum, quum chartarum lusus vesperi inchoatus in seram usque noctem protrahatur: hinc nunquam restituendæ sanitati tempus habent. (*) Sed Medicorum tamen est, ipsos ad tam salutaria consilia sensim adducere: si fabulam surdo narraverint, conscientiam honestique viri partes expleverunt.

4) *Ufu cardiacorum &c.* adstringentium, roborantium, ad §. 1107. No. 2. explicatorum.

(*) Choroë conducerent, sed moderatas ignorant; si est occasio, in illis quæ *Ball* vocant, saltant, ut inde ægrotent; si esset modus in rebus, salubris foret iis exercitatio. *De H.*

§. 1169. *Spiffitudo autem si peccat, exigit ad-
tenuationem: hæc procuratur 1) &c.; hæc blanda sunt
& ab omnibus ferri queunt.*

2) Hæc optima incidentia, sed 1) cavendum in omni spiffitudine inflammatoria, nam oleum ignibus adderetur: 2) etiam in pituita frigida spiffa prudenter invigilando, ne motus spiffus humor adigatur in vasa minima, eaque lethaliter infarciat: ea enim in glutinosis morbis sæpe vifa; unde a pauca copia incipiamus, motumque lenem adjungamus.

3) *Potu acriori &c.* Omnia talia in genere indicantur, nam sunt præstantissima remedia; verum oportet, Medicos quoque nosse, quod si homines semel gustaverint, quam reficiantur hinc, dosin omni ratione velint augere in suam perniciem. Centies vidi hos homines acri & forti antiquarum & vetustarum cerevisiarum, vinorum spirituumque densos humores suos ita per alkohol horum potuum inspiffavisse, ut potus aquosi ultra cum illis misceri non possent, sed per varia corporis loca rimas agerent, depluerent, teterimosque facerent hydropes.

Unde sapienter moneat Medicus homines, ne tam salutaris remedii amœno sapore & recreatione læti, iisdem rebus abutantur.

4) *Diluendo, potu, fotu, balneo, injectu, aquo-
forum;* infiniti homines sunt perditæ, qui partem primam lujus consilii expleverunt, & partem alteram, mox explicandam, neglexerunt.

Postquam jugum aristotelicum medio proxime elapso sæculo Philosophi excussissent, Medici plurimi omni omnino jugo se subduxere, in fingendis systematibus divites, in probandis iisdem pauperes, in curandis ægris miserimi. BONTKOE, SYLVIVS, CRAANEN, universaliter statuebant, non posse nostros

humores esse nimium tenues: unde duo maxime noxia consulebant: 1) potu Théë & Coffée per totam diem homines uterentur, & 2) sale volatili oleoso aromatico, spiritibusque aliis ac salibus chemicis continuo stimulant aquosos hos humores. Sane aquâ calidâ toti flaccidi homines indigebant iis stimulantibus; verum, quid erat opus, eos in necessitatem hujus spiritus & horum stimulantium conjicere? Invaluit tamen hæc opinio, & magno præmio donabatur **BONTEKOE** propter librum belgice editum in laudes potuum asiaticorum, a Moderatoribus societatis Indiæ orientalis.

Legati batavi ad Imperatorem Sinæ & Japoniæ audivere ibidem laudes Theæ, tanquam panacææ, ab omnibus illis populis, maximeque ab eorum Medicis: unde **SYLVIVS** & **BONTEKOE** eorumque adflectæ hanc herbam summis laudârunt encomiis; quo factum, ut tota Europa hæc folia quæsliverit.

Ipse **NIEUWHOFF**, qui illa imperia pluries peragravit, didicerat, hos populos nullo arthritico morbo affligi, propter copiosum theæ usum, uti ipsi dixerant. **ETTMÜLLERUS** quoque hoc pro veritate obtrudit. Egregius tamen **KÆMPFERUS**, Auctor *Amœnitatum exoticarum*, cap. de *Moxa* describit nobis, quomodo Japonenses loca arthritica & podagrica inurant moxâ suâ.

Potus Coffée quoque diluens est, non ingratus, & leviter nutriens, ut infusum hordei tosti **HIPPOCRATIS**; copiose adsumtus fluida adtenuans, solida laxans, ut Théë: at, quo eum modo Thraces parant, & Magnates Divitesque per Europam parant, ut fere sit nigerrimum & saturatissimum infusum (est verum *decoctum*, uti vix non ubique paratur), aut potius puls coffeana; non diluit, & pro eo, quod aliter situm restinguit, nunc sitim facit, exsiccat omnia: quare multi paullo post chocoladam petunt, ut siccitatem tollant.

Est quoque advertendum, quod inter ustulandum, [non tam in hac urbe, quam multis aliis locis) butyrum addatur, quo nigredo splendens ipsis baccis conciliatur. Spissus igitur potus coffeanus rancidum quid per illud pingue adustum potest conciliare.

Hæc de prima parte hujus consilii; nunc secunda ejus pars videnda.

Diluendo potu, fotu, balneo, injectu, aquosorum, adjuutorum per calorem, vel & motum cûrsûs, exercitii, frictionis, equitationis, vectionis; si spissitudo sanguinis non inflammatoria adest in hominibus phlegmaticis mucosisque, iique multum potus Théë bibunt, oportet, ut motus corporis jam adsit, quo dilutus nunc per Theam humor moveatur, ne hydrops fiat, aut anasarca, secessu facili aquosi a mucoso per vasa lateralia: motu nempe tali solida magis agunt in liquida, liquida velocius circumducuntur, oritur major adtritius, calor, mucosi subactio.

At vero iterum cum prudenti cautela: motus nimius mucosos homines reddidit apoplecticos, mucos in pacto in minima vasa. Hinc lente incipiendo hæc corpora sunt in motum ducenda: unde fateamur cum *Inl. VAN SWIETEN, cap. de glutinoso spontaneo §. 75.*, infidum sæpe auxilium esse, & plus sæpe debilitari solida, quam mucosa dilui; saltem esse solamen breve.

5) *Per valida stimulantia, sudorifera, diuretica, purgantia, vomitoria, epispastica, mercurialia, aromatica, de quibus postea (ad §. 1189. 5.)*; in morbis kephalicis frigidis, in paralyfi, epilepsia, quorum causa hærebat in sanguine inerti, mucoso, vidimus stupendas dari curationes his remediis, dummodo a sapienti Artifice dirigantur. His enim inertia solida concutiuntur, in motum cientur, liquida mucosa moventur, expelluntur. Sed cautela prudens adhibeatur, ne mucus

vasa minima inpleat, & incipiendum a lenibus est, ut videamus, quo usque æger cum euphoria ferat. V. hic totum caput de *glutinoso spontaneo*, c. *Comment. Inl. PRÆSIDIS.* (*)

6) *Per valida resolventia* &c. v. iterum caput de *glutinoso spontaneo*, cum *Comment.* & formulas multas egregiasque in *BOERHAAVII Materia medica.*

§. II70. *Motus vero nimius* --- 1) *ablato singulari stimulo*; stimulus acidus in ægrotante infante; stimulus alkalescens in putredine primarum viarum: auferitur vomitorio, vel purgante.

Aut correctione ejus per sua contraria; in acido dando absorbentia, ut acidum absorbeatur, aut alkalia, ut cum iis vertatur in sal neutrum: corruptum biliosum corrigendo per oxymel, sapas acidas, spiritus acidos, ipsumque dilutum acetum, succum citri &c.

2) *Inminutione totius massæ fluidorum*; non dico, quod semper venæsectio debeat fieri in motu nimio; nam in prophylaxi vidimus, tutius aliquando motum minui; sed quando indicatio fert, tunc est egregium remedium. Exhausto enim corpore cessat motus humorum. Igitur humoribus minutis prudenter jam via ster-

G 5

ni-

(*) Est diabolica ars in Italia, ut hominem de medio tollant, sine multis ambagibus; pauxillum scamonei primis cibis prudenter commiscent, & continuant hoc quotidie. Homo ille in dysenteriam lentam mucosam totus resolvitur. Colocynthis, elaterium &c sunt res, quæ sanguinem ita adtenuant, ut per omnia vasa perfluat, non coercendus.
De H.

nitur, qua motus maximus in minimum vertitur. Sed, si vires bonæ, maximus motus cum plenitudine humorum fit: tunc v. s. &c. opus est.

3) *Quiete inducta per opiata & anodyna; aliquando* opium auget motum, ut melancholicus delirans inde furat; dum alius similis æger inde ad quietem ducatur. Cæterum ab omni ævo id in nimio motu ars excogitavit, ut per anodyna sopiret illos. Hæc sunt lente tractanda & per epicrasin. Si indicatio ita fit, dando per epicrasin tuto finem obtinemus: cæterum difficile est, unica vice dosin veram nôsse; quæ si non operetur, plus movet.

§. 1171. *Idem ille motus nimium inminutus 1) ablato impedimento;* motus inminutus est in hoc plethoricotato, ab enormi copia sanguinis: venæ sectio fiat; motus augebitur ablato nimio sanguine. Mulier cadit in animi deliquium, quia asa fœtida, vel ambarum, est in cubiculo; auferatur.

2) *Ope adtenuantium & cardiacorum;* adtenuantia, si motus langueat per viscositatem humorum: frigida adtenuantia, si viscositas phlogistica; adtenuantia calidiora, si phlegma frigidum.

Cardiaca; adtenuantia pro genere spissitudinis; cardiaca replentia, si ab evacuatione nimia motus subsistat; cardiaca stimulantia, si iners humor, & solidum flaccidum. Omnia dentur ex veris artis regulis.

§. 1172. Toties de acrimonia actum in decursu hujus pathologici tractatus, ut explicatione multa opus non habeatis. Sed quoad varium earum curam nonnulla nunc dicenda.

Vidimus olim, dari acrimoniam, cujus certæ species quandoque non possint determinari. Acrimoniam
ad-

adefse noscebamus; nam dolor erat non ab inflammatione, non a motu aucto humorum, sed sine eo; erat dolor sine tumore ab obstructione nato ipsæque partes minime tumidæ erodebantur.

Unde dolor hic sine feбри, sine tumore, cum erosione sæpe, necessario acrimoniam denotabat; ubi vero ad examen pergebamus signorum variæ acrimoniæ, non poteramus ea signa detegere, quæ speciem determinarent.

Hinc manebat tantum acrimonia in genere, erantque in medendo excogitanda talia, quæ cuivis acrimoniæ speciei ex æquo profint.

Hæc narrantur in *Textu*: sunt eorum quædam facile putrescentia, quædam acescentia. Dicetis, si acrimonia occulta illa in acidum incipiat vergere, magis ab acescentibus irritabitur. Bene, tunc signum manifestius aderit, speciem determinans, adeoque tunc potero dare antacida.

1) *Jure carnis recentis &c.* Noverat BOERHAAVE Medicum aliquem GUILLIELMI III. Angliæ Regis & Gubernatoris Hollandiæ, qui podagrâ adficiebatur, dum Regem in itinere ad venatum destinato sequeretur. Tamen, ut ostenderet, quam lubenter Regem vellet sequi, consilium inivit cum quinque Medicis, ut constaret inter omnes de morbo: omnes adnuunt, veram esse podagram. Ergo, inquit, melius non novi, quam solo jure vitulino uti: etiam adnuunt omnes. Intra paucos dies hoc solo remedio iterum pedibus usus Regemque sequutus est.

2) *Potu aquæ &c.*; aqua pura neutra est, nec alkalina, nec acescens; hinc prodest omnibus: huc etiam refer serum lactis cum sapone veneto.

3) *Quiete animi & corporis*; ne acre motum imprudenter tenerrima vascula discindat: sæpius enim jam

patuit, venena copiosa in mortuo non agere: vesicantia in cadavere visa sunt agere, ut olim ex *Actis Parisinis* communicavi Vobiscum: sed oportebat supra cantharides cataplasma ponere, & tunc adparebat quasi quid agerent. Forte in corpore mortuo, i. e. sphacelato, cataplasma calidum diu inpositum quoque sphacelatas bullas excitaret: id est data occasione explorandum. Cæterum, quò vis vitæ major, eò plus agit; quò minor, eò debilius furit. Igitur motus animi & corporis iis non inperandus, qui acrimonia obsidentur, ne acre motum nimis nervos irritet: quò maxime etiam referuntur No. 5. opiata.

§. 1173. 3) Sæpe imprudentes Medici homines acido laborantes, adeoque debiles, ut passim in hac specie acrimoniæ fit, cogunt ad debilitatem emendam, se multum movere. Pessimo sane consilio! acre enim motu agitatum vehementer nocere potest: sed acrimonia magnam partem devicta, a lento gradu in majorem fiat motus. (*)

β) *Acidum convertentia* &c.; sic fit tertium sal blandum, non nocens, per urinam maxime expellendum.

§. 1174.

(*) Etiam ipsum acidum est primo leniendum, antequam moveatur. Infans ægrotat ab acido in ventriculo: si indicatio non nimis urgeat, & si non admodum pauca copia sit, sæpe Medicus hoc acre acidum trudit in intestina, ubi lata superficie applicatum facit convulsiones & mortem. Ergo acidum primo mitigetur, absorbeatur, inmutetur pro parte, per lapides cancrorum, per saponem venetum, per oleum lini & dein purget. *De H.*

§. 1174. *Quæ illud obtundunt inforbendo* &c. trochisci de viperis, qui hic adducuntur, parantur ex pulvere viperarum carnis siccatae; pulvis miscetur cum pauxillo vini canarini, in quo vino gummi arabicum solutum est: omnia mista simul rediguntur in pastam, e qua formantur trochisci. Hinc acre alkali involvendo prodesse quandoque possunt. BOERHAAVE videtur potius hæc scripsisse connivendo ad aliqua officinarum præparata, quam ut commendaret, tanquam aliquid egregium. Est eadem ratio, cur antitoxicæ vocatæ sint terræ pleræque pingues, ideoque omnes compositiones contra venena intrent. Parum certe erit, quod hinc lucremur in copioso alkali.

§. 1175. *Lixiviosa ex calce viva*; dudum est, quod in navibus carnes nimio sale contra putredinem adservatas & inde durissimas, didicerint tali lixivio immittere, ut inde sal marinum extraheretur. Hinc in muriatica acrimonia extricando salia juvat. Confert quoque, ut probata exempla demonstrant, ad calculum urinarum solvendum, doloresque a calculo mitigandos. Vidimus in nosocomio magnam partem calculi solvi in aqua calcis, omni biduo, vel triduo renovata.

§. 1178. 79. Ponamus febrim continuam, putridam, acutam: ibi sanguis inflammatorie spissus est plerumque. Quid hic Medicus? Mittit sanguinem, ut copia minuatur ac adtritrus, sicque sanguis, minus pressus, minus compingatur: hoc ut securius obtineat, replet hoc corpus diluentibus, adtenuantibus: ergo occupatus hucusque est in adtenuatione spissi: & ubi adtenuata sunt inspissanda, occupatur in inspissatione adtenuati.

Verum præterea alkalina putrida humorum hic metuenda diathesis. Dat acida, quæ putridum præsens

mutent, ac humores contra futuram putredinem muni-
ant: dat decocta farinosa, quæ omne acre in genere in-
volvant; dat aquosa multa, catholica remedia contra om-
nia acria: ergo occupatur in *lenimine acris*.

3) Adfunt hac in febrî multæ obstructions, ita
ut corpus non perspiret; ut excrementa alvi non stimu-
lentur ad exitum, & forte obstructa sunt exhalantia &
smegma producentia oscula in intestinis: urina sæpe
admodum pauca redditur. Os siccum, lingua est arida,
quia a materie morbosa oscula omnia, in ore obpleta,
non exhalant salivam, mucum. Oculi sunt pulverulen-
ti, sicci, quod humoris lacrymalis & smegmatici viæ
obstructæ sint. Aures obsurdescunt, quia obstructa ali-
cubi vasa in organo auditûs: ergo obstructions genera-
les.

Medicus quid hic? Pone corpus in balneum,
saltem inferius corpus, ut, præterquam quod aqua per
vasa bibula absorpta sanguinem diluat, etiam oscula per-
spiratoria obstructa laxentur, emolliantur, aperiantur.
Per enemata laxat alvum primum, dein enemata maxi-
me emollientia adplicat, ut & renes fotti plus urinæ ex-
cernant, dimittant, & ut aquosa per lacteas & absor-
bentes venas absorbeantur. Fomenta circumponit ven-
tri lumbisque, eandem ob causam. Tepidis mellitis os
pertuo humectat, ut crusta obstruens solvatur: oculos
tepidâ saponaceâ fovet, ut lacrymarum fontes deobstru-
antur. Aures fovet extrinsecus emollientibus; totum-
que corpus, quantum potest, replet aquosis, nitrosis,
solventibus, saponaceis, ut, quidquid obstructum sit, sol-
vi queat. Ergo occupatur Medicus in *apertura via-
rum obstructarum*:

4) Sed non semper in tali dato morbo acuto
febrili, viæ obstructæ sunt, ita, ut excretiones sub-
sistant; verum sæpe symptomatico sudore, alvo, urina,
dif-

diffluit æger, si ita pergat, periturus. Hic jam quærit in causam: an laxitate vasorum, præ defectu viarum? quærit in classe cardiacorum explicatorum, quibus hanc vasorum laxitatem emendet, roboret, Si inveniat causam in adtenuatione summa sanguinis, per spiritum vitrioli, aquæ prudenter mistum, per succum berberis, granatorum, (*) per decocta oryzæ, conatur hanc humorum tenuitatem auferre, sanguinem compingere, roborare. Ergo in *roboratione laxi* occupatur.

5) Verum excretiones nullæ fiunt, quia vi caloris dissipatis liquidis omnia instar corii arescunt & constringuntur. Iisdem emollientibus internis externisque, quibus obstructions cutis & viscerum emendabat, emendare conatur & hanc rigiditatem: unde aqua simplici, aqua cum mucilagibus, calide fovet totum internum externumque corpus, potu, fotu, balneo, clysmate. Ergo occupatur in *laxatione rigidi*.

6) In multis morbis vel motus nimius adest, vel motus debito debilior. In motu humorum nimio per v. s., enemata, balnea, potus aquosos refrigerantes, paregorica, conatur eum ad justum moderamen redigere, ut non tantus motus adsit, quo vasa destruantur, & ut sufficiens maneat ad coquendam, movendam, expellendam materiem morbosam.

Si

(*) ℞. Syrup. de limon ℥iij.

℞ vin. pur. ℥iss.

Vin. rhenan. ℥iv.

∇^æ commun. pur. ℥xiv.

M. Pro Potu.

BOERHAAVE *Mat. Med. ad §. 641.*

Si vero motus sit nimis parvus, quam ut vires vitæ coctionem, motum, expulsionem morbosæ materiæ perficiant, quærit Medicus in classe cardiacorum illa, quæ in tali morbo projectas, vel labefactatas vires resuscitent, ad talem gradum, ac sufficiat.

An Medicina nunc aliud facit in acutis? Prorsum nihil: immo neque in chronicis omnibus quidquam præterea agit; sumite, quemcunque vultis, chronicum morbum.

§. 1180. De hac re per omnia ferme sæcula garriverunt: verum suismet redarguntur experimentis. Nunquam enim præstitere, quæ dicunt; cur? quia non datur panacæa: quidquid quæsitores lapidis Philosophorum apud furnos suos delirant.

§. 1181. Sic opio multa tollit, non omnia, vel dabitur, ut tollat omnia per mortem, sed ultra non est panacæa: diversitas 1) causarum, 2) diversitas morborum ex eadem causa, repugnat tale dari.

Dum de epilepsia agebamus, vidimus epilepsiam oriri a causis diversissimis: vidimus & ab eadem causa illa in cadavere reperta, unde in hoc homine nata epilepsia, in aliis adparuisse plures alios morbos natos: ab inundatione serosa cerebri in alio epilepsia, in alio paralyfis, in alio lethargus &c. nascitur.

§. 1182. *Aqua* in omnibus fere adhibetur, quæ ad sanitatem conservandam, aut reparandam requiruntur. Quid sine aqua fit, & in quo non est aqua?

Ignis; videte PROSPERUM ALPINUM de *Medicina Ægyptiorum*, l. 3. c. 12.; videte præ omnibus KÆMPFERUM in *Historia Japoniæ*, c. de Moxa:

videbitis plurimas nationes esse, apud quas universalissima cura fit inustione partium morbosarum. Medici japonenses habent in effigie corporis humani signatos locos omnes, in quibus pro re nata inustiones fieri debent. Etiam Chirurgorum famosissimi famæ suæ plurimum igni debent. Videte apud RUXSCHIIUM caneros linguæ igne sanatos, in *Adversar. anatom.* Hæmorrhoides ad pugni magnitudinem scirrhusas igne sanatas vidi. Hinc HIPPOCRATES ait *Aph.* 8—6. „ Quæ medicamenta non sanant, ferrum sanat; quæ ferrum non sanat, ignis sanat; quæ ignis non sanat, ea insanabilia existimare oportet.“

Argentum vivum; quod, si quis bene moderetur, infinitos chronicos curabit: sed est gladius in manibus maniaci. Exempla innumera curarum inimitabilem profant quotidie.

Opium; quò universalius nihil, tam in chronicis, quam in acutis; tam in morbis cum materie, quam sine illa; tam in pueris, quam adultis. (*)

§. 1183. PARACELSIUS tecte mercuriò usus, qui fuerat omnibus suspectus, stupendas fecit curas. Opiò tecte usus, similiter. Hinc, fatentibus omnibus, præstabat sua arte, quæ alius nemo. Vidi Medicos
nil

(*) Videtur, *sal* oportere addi pro quinto: sal marinum, nitri, ammoniacum, salia offic. acida, alkalina, neutra, thermarum, pro usu in & externo, salia essentialia, ut saccharum &c. magnam Medicinæ partem explent. Videtur salis certe usus, si non major, saltem non minor eò mercurii esse. *De H.*

nil omnino de praxi clinica scientes, plusquam Empiricos, qui audaci mercurii usu quamvis plures interfecerant, tamen haud paucos plane ad sanitatem restituerent, & exinde famâ clarâ veherentur: quum enim ignorarent homines, quid adsumsissent, credebant simplices, eos panaceâ pollere.

§. 1184. *Correctoria* sua quoque in classe visa sunt, adeo diversæ obpositæque naturæ, ut nullum remedium existet, quod vires omnium possideat, quod ex æquo omnibus profit. Immo, quod uno in casu proficuum, altero in casu oportet esse maxime nexium.

* * *

Dissertationem hanc Cl. Vindobonensium Practici *D. Georgii Haffner*, de *Hydrope articulorum* capiti huic subjunxi, quum plures ob rationes locum hunc sibi vendicare videatur præ aliis; ut adserve- tur (difficulus enim jam eam invenire seorsim est, etsi anno 1762. primum prodierit) digna sit, contentas imprimis ob ægrorum

historias, ac animadversiones; & *hydropem genū*, de quo HAENIUS rarius & paucis nonnisi in Collegiis egit, §. 5. &c. exactius persequatur. Observationes posteriores, hydropem articularum non concernentes, omittere tamen nolui, quod vario sub respectu medicam praxin & chirurgicam inlustrare queant.

Quando serum aquosum extra vasa fusum & cavitatibus receptum est, vel & stagnans alicubi vasa nimium distendit, HYDROPS vocatur; qui ideo obtinere potest, ubicunque hujus feri vasa, id est in omni corporis habitu, atque in parte qualibet singulari. (*) Ab hac parte, quam occupat, hydropis species determinatur, unde *Hydrocephalus*, *Hydrothorax*; *Pericardii*, *Ovarii*, *Uteri*, *Hydrops* audit. Demonstratum autem habetur, triplicem liquorem in articularum cava concurrere, nempe universale perspirans, oleum medullosum, & mucilaginem a glandulis hic positis secretam, ex quibus mistis lubricum nascitur linimentum: (**) quod linimentum liquor *haversianus* adpellatur. Hoc igitur liquore naturali a quibuscunque causis accumulato, aliove liquido præternaturali ad cavum articuli delato, ibidemque stagnante, morbus oritur, qui non incongrue

H 2

Hy-

(*) BOERHAAVE *Aphor.* 1215—1216.

(**) *Inl.* VAN SWIETEN, *Comment.* ad §. 362.

Hydrarthros, five *Articuli Hydrops*, nuncupatur; est enim liquidi serosi, aut aquosi, extra vasa fusi, in quodam cavo receptio.

§. 2. Hydrops iste quoscunque fere articulos occupare potest, eorumque in cavis suam figure sedem. Inter luxationis causas internas is jam ab ipso HIPPOCRATE recensetur *lib. de locis in homine*, his verbis: „ Mucus omnibus naturâ inest, &, quum „ purus fuerit, sani sunt articuli, ideoque facile mo- „ ventur, utpote lubrici inter se. Labor autem & „ dolor oritur, quando a carne laborante fluit humor; „ inprimis quidem rigescit articulus, non enim lubrica „ est humiditas ex carne adfluens; deinde, utpote co- „ piofa & valde dispersa, neque ex carne irrigata, „ semper reficcatur; *quumque illam ob multitudinem „ articulus capere non possit, effluit, maleque con- „ crescens nervos, quibus articulus conligatur, adtol- „ lit, relaxat, & dissolvit: & ob illud claudi fiunt „ magis minusve, prout illud magis minusve fit.*“ Nec non citra luxationis effectum malum hoc tumore molli sensim aucto, articulationis locum occupante, neque ultra hujus limites exporrecto se sæpius exhibet; atque hunc solummodo hydropem tumore ejusmodi adparentem mihi describendum proposui; utpote qui suâ in obcurrendo frequentîâ, in cognoscendo fallaciâ, in curando pertinaciâ sedulitatem Chirurgi multum exercere solet. Plures sunt articulationes, quas tumor hic hydropicus occupare deprehenditur: ad articulum manûs, pedisve eum aliquoties observavi: degit adhucdum meo in nosocomio puella, quæ ejusmodi tumorem hydropicum in eo articulo pedis habuit, qui per tibiam, fibulam & talum fit. *Om- nium tamen frequentissime in articulo genû hic mor- bus*

bus observatur. (*) Rationem, cur ad genu frequentissimus sit, longius indagare nolo. Forte ossa valde lata, ligamentum capsulare hic maximum, minusque resistens, distensionis ad genu facilioris causam præbent? forsitan etiam aliis in articulis simile malum sæpius obcurrit, sed minus ibidem cognoscitur, aut non nisi serius, ubi vitia, quorum origo hydrophi minime adscribitur, jam sunt producta.

§. 3. Hydropicus ad articulum tumor, si lanceola cavum ipsum penetrante pertundatur, stillat liquorem, nunc limpidum, nunc flavum, viscidum, leni calore inspissandum; modo ichorosum, viridescentem &c. Variat ergo materies, uti in aliis hydrophis speciebus variare solet; immo sicuti materies in alio hydrope ita degenerare potest, ut morbum producat hydrophi minime similem, ita quoque cum materie hydrophis ad articulos, & forte citius ac alibi, contingere solet, hæc inspissata, vel acris reddita, aliena ab hydrope symptomata sæpe producit; quæ serius vocatum, aut mali signa ignorantem, Chirurghum facile decipere possunt.

§. 4. Cognita tumoris sede ac humoris, eo contenti, indole, in ejus causas inquirendum est, quæ duas in classes dividi possunt; quarum prima id omne comprehendit; quod liquorem haverfianum in cavo articuli accumulare valet. Altera vero classis eas continet causas, quæ liquorem quemcunque præternaturalem ad cavum articuli deponendo tumorem hydropticum efficiunt.

(*) *Inlust. PRÆSES Comment. ad J. 556.*

Adcumulatur liquor haverfianus, si is 1) copia majori secernatur, quam quæ resorberi possit; vel 2) si debitâ secretus copiâ minus, vel plane non, resorbeatur. Augetur secretio liquoris, causis secretionis auctis; sive hoc ex adfluentium humorum indole, sive ex viribus eos propellentibus, sive ex organo ipso, aliave ex causa pendeat. Sicuti enim unâ alterâve adsignatarum causarum datâ, secretio liquoris gastrici, salivæ, mucii &c. augetur, ita & secretio hujus linimenti, ab iisdem generalibus pendens secretionis causis. In *Act. Edinb. Tom. 4. Cel. SIMSON* tumorem ad genu recenset, qui hydrops videtur fuisse; cujus causa fuit corpus durum, osseum, cartilagine incrustatum, mobile, cavo inclusum, sua irritatione perpetua secreti liquoris copiam augens. In *Actis. Paris. Anno 1728. Cel. MALOET* similis hydropis causam immobilitati cruris ex acuta febris natæ adscribit. A peculiari sanguinis dispositione augeri secretionem liquoris haverfiani posse, putat *Cel. PETIT* in *Tract. de morb. Oss. Tom. 1.* Nihilominus resorptio secreti liquoris minor, aut plane nulla, frequentior hydropis ad articulos causa est: *si enim a quacumque causa deficiat, vel minuat resorptio liquidi hic effusi & pergant interim causæ secernentes illud effudere, adcumulabitur illud, & capsulam distendet, ac debilitabit. (*)* Minuitur vero, aut plane impeditur, absorptio, causa hærente in vasis, vel liquore ipso: in vasis quidem, si nempe ea, quæ inbibere liquorem deberent, nimis laxa sint, paralytica, caliosa, aut obstructa: quæ vitia a multis aliis causis remotioribus, tum in - tum externis, pendere possunt. Humor absorbendus ad-

cu-

(*) *Inlustr. PRÆSES Comment. S. 362.*

cusari potest, si is viscidior, ac magis iners sit, adeoque pro resorptione ineptior. Redditur autem hic viscidior 1) ex secretione ipsa; 2) ex miscella minus proportionata; 3) morâ atque stagnatione; 4) & frequenter, a causarum eum adtenuantium ac absorptionem promoventium, languore, vel defectu; quales causæ juxta *Inl. PRÆSID. l. c.* sunt calor & adtritum osium ad se mutuo. Atque hæc probabilius est ratio hydropis genû in exemplo *Cl. MALLÛET*, nisi immobilitas cruris (ut jam *Cl. SIMSON l. c.* suspicatur) effectus potius, quam causa hydropis habenda veniat. Altera causarum classis, quæ quadam metastasi articularum cavâ noxiâ replent humore, vix non priori frequentior obcurrit; quos saltem ego hydropes genu pertractandos habui, eorum plurimi ab alio morbo originem duxerunt. Hujusmodi morbi sunt: variolæ, morbilli, scorbutus, lues venerea, rhachitis, rhêumatica, vel arthritica diathesis. In hominibus, ubi præter memoratos morbos nullum in corpore vitium adcusari poterat, & ubi nulla alia causa ex- aut interna innotescebat, morbum hunc frequenter observavi. Bubonibus venereis, aut sponte retrocedentibus, aut retropulsis arte, metastasis ad genu facta, hydropem ibi producens mihi obcurrebat; frequentius adhuc in rhêmaticis arthriticisve a mitigata, vel cessante prioris doloris sævitie genu tali hydropico tumore affligi videre licuit: pessime nec minus raro rhachiticos simili adfectos tumore deprehendi, in quibus horrenda symptomata semper erant metuenda. *Clariff. SIMSON in Act. Edinb. l. c.* refert hydropem genu a febris puerperarum relictum fuisse. Sunt tempora, quæ in producendo hoc tumore quasi fœcundiora sunt: in febris illa rhêumatica & arthritica, quam *Magnif. Archiater D. STÛRCK, Ann. med. II.* descripsit, frequentes erant tumores articularum, quo-

rum plures erant hydropes. In ultima epidemia, quæ A. 1757. 58 & 59. regnabat, & etiam eâ finitâ, plures observabantur hoc hydrope adfecti. Num ne verò id epidemiæ ipsi, num numero ægrorum tunc in nosocomio meo decumbentium, num neglectui morborum a pauperibus extra nosocomia factò, adscribendum veniat, frequentes adeo tunc fuisse hydropes; non decido. Solent aliæ hydropis topici species quamdam, ut ita dicam, inter se alere adfinitatem, qua una migrat in alteram, vel quarum una existente facile quoque producat altera; uti in hydrope thoracis, abdominis, scroti &c. videre est: verum miratus sum semper, me id nunquam circa hydropem articulorum observasse: plures in memorata epidemia dabantur hydropici, v. g. ascitici, plures etiam ea cessante observabantur, neque tamen unquam ullum horum vidi genù aliussve articuli hydrope correptum fuisse; etsi aliis decumbentes morbis frequenter eo corriperentur.

Pluribus causis tum primæ, tum secundæ classis concurrentibus, aliove vitio topico articulum prius infestante, facilius tumorem hydropicum produci posse, non est ut moneam.

§. 5. Hydrops genù ab initio hîsce se prodit symptomatibus:

1) Dolor percipitur ad motum, qui primo levior, sensim vero increscit ad magnam sævitiam.

2) Tumor adparet cuti plerumque concolor, mollis, totum articulum distendens, patellam quasi coronans, eamque parum protrudens, qui tumor pressioni ita cedit, ut ea continuata femoris condyli tactu percipi possint.

3) Interim crescens magnitudine tumor, non amplius adeo æquabiliter patellam ambit, sed magis inæ-

qua-

qualis redditur, & vel inferiorem patellæ partem, vel, quod frequentius observavi, superiorem occupat atque lateralem in-externamve; ita ut in medio, ubi tendo litus est, fere nullus adpareat tumor, ad latus vero alterutrum, vel utrumque, maximus.

4) Magnitudo tumoris sæpe incredibilis est, ut duos tresve pollices transversos supra patellam adscendat; adeo relaxari ligamentum capsulare potest! Adscensus iste tam altus multos decipit, qui vel ideo hydrophem articuli minime suspicantur, quoniam tantam relaxationem ac distensionem ligamenti capsularis impossibilem credunt; verum apertura tumoris eos convincet de veritate adfert; hac enim facta ipsum articuli cavum patebit.

5) Tumor hic, etiamsi ligamento capsulari coëreatur, plerumque tamen manifestam fluctuationem edit, quæ sæpe tanta est, ut & supra & infra patellam communicet. Ad hanc percipiendam digiti aliquot unius manus tumori inponendi sunt, ut digitis alterius manus in obposito latere tumor pulsari leviter possit. Sic manifesta percipietur fluctuatio; nisi ligamentum, rigidius factum, eam parumper obscuriorem reddat. Oportet autem attendere, ne incautus, inperitusve solam elevationem majorem ligamentorum a materie obsidente rigescentium, pro vera fluctuatione agnoscat; quales casus fallaces aliquoties habui: porro attendendum est, ne motum obscuriorem percipiens fungum credat.

6) Humor aperturâ factâ effluens, est is ipse, quem §. 3. descripsi, pro ratione tumoris magis vel minus copiosus.

Studio monui, hæc signa recenti hydropi propria solummodo esse; etenim neglectum si fuerit malum, aut finistre pertractatum, id adeo a vera hydropis natura degenerabit, ut vix ullam cum ea analogiam retineat;

1) enim, malum si negligatur, humor stagnans copiâ increscens nimîâ, veram luxationem (saltem in uno articulo facilius quam in altero) producet, quæ difficillime curanda ab Auctoribus plerumque declaratur.

2) Si ob singularem articuli fabricam vicinarumque partium constitutionem, aliamve ob causam luxatio non eveniat, liquor stagnans mora, calore, propriave indole, quamdam acrimoniam contrahere potest, quæ erosiones, inflammationes, subpurationes, putredines producet, aut politissimas ossium superficies, cartilagine & ligamenta articulum coërentia erodet atque corrumpet, aut absorptione liquidarum partium facta, febres totum depascentes corpus accendet.

3) Tenuissima parte ante corruptionem difflata, residuum spiffescet, ac anchylosin, aut alium tumorem, generabit, & hoc eo facilius, quia articuli motus jam impeditus, vel abolitus, qui alias liquorem adtenuare solet, spiffitudinis adjuvat genesis.

4) Indoles propria adlati humoris noxii corruptionem ac degenerationem eò magis promovebit, quò pronior in eam est: sic in variolosis, rhachiticis, aut cachecticis pessima sat cito mala, nempe febres, putredines, caries, spinæ ventosæ &c. contingere solent.

5) Hydrops non cognitus incongruis si tractetur remediis, eò citius alienam induet formam, quò hæc sint potentiora & quò diutius eorum protrahatur usus. Quid vero operatio sinistre instituta circa hosce tumores nocere valeat, hoc inferius, dum de cura agam, recensabo. Sufficiat, unicum adduxisse casum, quò patebit, quæ mala ex habito ad aliquot menses mali neglectu nasci possint. Femina, quam ante quinquennium in fractura circa medietatem femoris facta curavi, ante duos annos consilii causâ ad me venit cum tu-

more ad genu, quem, ex signis supra descriptis, hydropem articuli judicavi. Malum quia tunc recens erat, motusque articuli, etsi parum difficilior, superesset, suasi, ut, quia femina egena erat, meum intraret nosocomium meæque curæ sese submitteret. Femina differens consilium nonnisi ab aliquot mensibus elapsis nosocomium petiit, cum genu valde magno, motuque omni sublato, atque signis hydropis genū absentibus. Rem ex neglectu perditam videns, nihil tentavi brevique femina moriebatur. Aperto genu inveni steatomatosam, spississimam materiem, cavitatis locum replentem atque foetidissima carie os femoris ac tibiæ penitus destructum; atque ita malum facili ab initio sanabile opera, solo neglectu inmedicabile, immo & lethale, redditur.

§. 6. Descripsi quidem *§. præced.* signa hydropi propria, ut tamen is eo securius ab analogo distingatur tumore; juvabit, plures tumorum species, hydropi utcunque adfines, percurrere, earumque discrepantiam adsignare.

I. quidem hydrops genū cum *articulorum fungo*, ad genu pariter valde frequenti, sæpe confunditur: ipse *Cel. HEISTERUS*, tum in sua *Chirurgia*, tum in *Dissertatione* de morbis genū, *Collectionis* ab *HALLERO* factæ *Tom. IV.* inserta, hydropem genū ad fungum referre videtur. *Fungi* denominationem Chirurghi aliquando latius sumunt, & sub eo multas tumoris cystici species, nempe *meliceridem*, *atheroma*, *steatoma*, ad articulos, maxime genū, sitos, comprehendunt. Magis proprie *fungus* est tumor quiscunque, absque omni ferme calore ac dolore pallens, prementibus digitis mollitiem fungi vegetabilis exhibens, ad membrorum articulos, præcipue genū, situs; ortus a contusis, aut destructis, vasculis, vel cum humorum effu-

effusione, vel sine ea; videlicet humoribus, in vasculis pressione, aliave ex causa, debilitatis, stagnantibus & excrescentiam fungosam efficientibus. Aliquando ossicula, lapilli, aliaque heterogenea corpora, in fungis latitareprehenduntur. Diversæ igitur dantur fungorum species, quas non nisi inperitus suæ artis, iisdem ubique remediis pertractare præsumet.

Differt autem fungus a genù hydrope 1) *ratione sedis*; fungus enim communiter extra articulum hæret ac cum cute mobilis est; hydrops vero in ipso cavo articuli sedem habet. 2) *Ratione causæ*; fungorum enim frequentissima est vis externa a contusione, adlisione, diuturniori genùflexione, aut aliundè facta; hydrops vero passim internam agnoscit causam. 3) *Ratione symptomatum*; quia in fungo non est tumor adeo manifeste fluctuans, patellam protrudens, ac coronans, aut inæqualiter tendine divisus, communicans inter patellæ partem superiorem, ac inferiorem, neque motum articuli adeo lædens. Præterea ad adtactum alia percipitur resistentia in fungo, alia in hydrope; neque ossa ipsa prementibus digitis in fungo adeo distincte percipiuntur. 4) *Ratione diuturnitatis ac periculi*; fungus enim diu absque graviore symptomate subsequente toleratur; neglectus autem hydrops dirissima & sæpe lethalia causat symptomata. 5) *Ratione curæ*; quia ea, quæ passim a pluribus Auctoribus in fungo laudantur, v. g. adstringentia, caustica &c. sæpissime in hydrope nocent. Hisce fungum ab hydrope subsicienter distingui posse credo.

II. Solet hydrarthros facile confundi cum *oedemate* ad articulos nato, a quo ut exactius distinguatur, ipse *Cel. PETIT* jam monuit. Differt autem pariter 1) *ratione sedis*; oedema enim hujusmodi cellulas ac vesiculas pinguedinis occupat, cutemque ad articulum

in-

inflat, non autem cavum articuli obsidet. *Ratione symptomatum*; in oedemate nec figura tumoris *priori spha* descripta adest, nec fluctuatio tam manifesta percipitur, nec pressione continuata articuli ossa a se recedentia tam distincte deteguntur. 3) *Ratione causæ*, periculum, cura variant.

III. Analogia non levis est inter hydropem articuli, ac *tumorem subpuratorium* ad articulos factum, quæ incautum facile decipere potest: neque minus infrequens est, ex inflammatione ad genu nata fieri subpurationem, atque pus in cavum articuli effundi. Porro pus aliunde natum ad genu metastatice deponi potest. Immo ex degenerante articuli hydrope tumor purulentus nasci potest; sive hoc sponte fiat, ut tamen rarius contigisse memini; sive, uti frequentius fieri solet, sinistra operatio, aut vulneris facti mala pertractatio, abscessum generet. *Causæ* interim & signa inflammationis antegressæ, symptomata subpurationem concomitantia, veram abscessus diagnosin dabunt: quæ signa & symptomata in genuino hydrope ut plurimum abesse solent.

IV. Unicus adhuc casus superest, ubi diagnosin hydropici tumoris dubia manere potest; videlicet, si ligamenta ab obsidente materia turgentia & ad pulsationem elevata, contentam materiam præsentem fingerent. Verum & figura tumoris superius descripta & fluctuatio in hydrope percipienda, deficient; ut sic facile de hydropis absentia concludatur.

§. 7. Hydrops articulorum recens, cognitus, aptisque tractatus remediis, sæpe non multum habet periculi, facileque curatur; neglectus vero, maleve pertractatus, si non lethalis, saltem inmedicabilis redditur. Anchylosis ex inspissato linimento haverliano nata, diffi-

difficillimæ est curationis; erosiones, corruptiones ab acri factò liquore causatæ citissime proserpunt ac medicamenta quæcunque respuunt; inflammationes, subpurationes, putredines a sinistra mali cura factæ, horrenda sæpe producunt symptomata, vix ullis sistenda remediis. Præterea causæ hydropis prognosin aliquando pejorem reddunt; quippe, si venerea, scorbutica, vel variolosa labes sese ad cavum articuli figit, brevî temporis spatiò funestissima oriri symptomata debent: materiæ enim ad corruptionem pronior indoles in loco delicatis adeo partibus conflato non diu hærebit, quin funestam ludat tragœdiam. Rhachitis, ubi mali origo fuit, pessimam semper prognosin exhibet; caries, spina ventosa, ulcera pessima, tunc facillime ac citissime generantur. E contrario minor degenerationis periculi-que metus oritur, ubi a leviori solummodo errore in sex rebus non naturalibus commisso hydrops suam traxit originem; nisi superveniens cachectica diathesis bonitatem prognoseos inminuat.

§. 8. Cura hydropis ad articulos pro diversitate statûs ac gradûs parumper diversa est. I. Si morbus recens, atque tumor non valde magnus fuerit, resolutio ac discussio stagnantium aquarum tentanda est. Ad quem scopum obtinendum ea adprimè conveniunt, quæ *Inl. L. B. VAN SWIETEN* in *Comm. ad §. 566.* laudat; nempe in incipiente malo ad mentem HIPPOCRATIS frigidæ aquæ adfusio, quæ in *Act. Edinb. l. c.* simili in casu bono cum successu legitur adhibita; morbo parumper provento, ad mentem *Inlust.* frictiones sæpe repetitæ, motus adfecti articuli, fomenta penetrabilissima ex vino, sale, aceto, urina, additis scordio, ruta &c. proderunt; in adhuc difficilioribus embroche ex aquis mineralibus calidis, vel ex fomentis modo laudatis,

vel

vel ex aqua calcis vivæ cum falis ammoniaci lixivio adhiberi possunt. Similibus remediis diligenter adplicatis bonam sæpius stagnantium dissipationem factam expertus fui: quamdiu vero cicutæ usus a *Magnif. & Celeber. Archiatro D. STÖRCK* meo inductus fuit nosocomio, soleo fomentis herbæ hujus adplicatis discussionem tentare, & sæpius optimo cum effectu tumores utcunque magnos diligenti fomenti hujus usu dissipavi. Interim quoque internis remediis dissipationem omniconamine adjuvare conducit; quem in finem purgantia hydragoga, sudorifera, diuretica, atque ea, quæ pro causarum aliorumque circumstantiarum ratione indicantur, adprime conveniunt. Methodo hac non tantum genû hydropes, sed etiam aliorum articulorum feliciter dissipavi. Puellæ, adhuc in nosocomio degentis, tumor hydropicus articulum pedis occupans, etsi cum horrendis doloribus, motûsque impedimento magnaue fluctuatio stipatus fuerit, tamen fomentis & balneis cicutæ tam bono cum successu dissipatus fuit, ut vix ullo amplius dolore præsentem nunc deambulare valeat; id solum de malo superest, quod ligamenta sub motu articuli quemdam strepitum edant, acsi ossa sicca ad se mutuo adlident; uti adhuc nuper, dum *Inl. L. B. VAN SWIETEN* inter cæteros nosocomii ægros etiam hanc visiteret puellam, manifeste percipi poterat. Si igitur articulum hydrops recens, nec adeo magnum referens tumorem, aptis discuti remediis queat, haud necesse erit, curam hocce in stadio percussione ligamentaris capsulæ tentare; quæ plus noxæ, ac utilitatis adferre potest. Merito enim hic percussione ligamentorum non satis extensorum ea metuuntur symptomata, quæ *Inl. PRÆSES* in *Comm. ad §. 165.* a punctura tendinosarum partium sequi posse docet. Læsæ enim partes tendinosæ, ejusmodi membranæ, inæqualiter distrahuntur; unde

fa.

facillime in loco perforato inflammatio oriri potest, cito per omnem viciniam proserpens; quæ diras subpurationes, aliasque degeneraciones producat.

II. Si autem tumor magnus jam adfit, distensioque ligamenti magna, discussio vix amplius speranda est. Copia major liquoris contenti, laxitas & atonia vasorum absorbentium, eam tunc vix concedunt; neve inani nos spe lactantes, procrastinando operationem malum periculosius, vel penitus insanabile, reddamus, oportet ad tumoris aperturam tempore congruo devenire, quæ hoc in casu sine ullo perficitur periculo; relaxatis enim tendinosi partibus vix ea inæqualis distractio contingere solet, quæ iis non sufficienter distensis in priori casu metuebatur; sicuti in paracentesi abdominis obtuso satis instrumento multæ aponevroticæ partes absque ullo perforantur periculo; quod certe non leve foret, si partes perforandæ non essent adeo extensæ. Solebam alias lanceolâ tumorem pertundere, vulnusque linteo carpto apertum fervare, aptis injectionibus depurare, ac fomentis supra memoratis locum fovere: atque methodo hujusmodi aliquoties integram obtinui curam, sæpius vero infaustum inde eventum experiri debui; sequebantur enim quandoque febres, inflammationes subpurationes, putredines, caries, aliave pessima symptomata, ut ex sequentibus patebit exemplis. Vocabar quondam ab aliquo civitatis Chirurgo ad ægrum, qui, ex disparente bubone venereo, tumorem ad genu hydropticum suscepit: aperuimus tumorem, turundis apertum fervavimus, ac quotidie bis injectiones fecimus, sed infausto cum successu; exasperabatur enim quotidie malum, supervenit inflammatio. Totum crus ac femur occupans; inde subpuratio pessima &c. caries, demum mors. — Brevi post ab eodem Chirurgo ad
alium

alium hominem robustum vocabar, qui ex rheumatismo hydropem articuli contraxerat utroque in latere sat alte ascendentem. Quum prioris ægri infortunata symptomata non methodo medendi, sed cachexiæ corporis ac lui venereæ adscriberemus, eidem insistebamus medelæ; sed æque tristi, in homine cæteroquin sano, eventu: eadem nempe accedebant symptomata ac pariter periiit. Similes casus funestos & mihi, & aliis, accidisse memini. Hinc sinistro aperturæ successu territus, de aperturæ hisce in tumoribus facienda dubiam semper feci prognosin; sed meliora, casu quodam inexpectato, edoctus, minus timere cœperam: casus hic erat. Pertudi, consueto more, tumorem articuli hydropicum; linteis carptis adplicatis apertum servare vulnus intendebam; sed, præter meam voluntatem, linteum carptum non ipsum capsularis ligamenti vulnus penetrabat: renovans adparatum vulnus capsulæ inflictum, præter expectationem meam, clausum deprehendi; concretas ligamenti partes vi quadam separare timui; hinc reliqui clausas, solumque fomentum de cicuta adplicui: sed en! pulcerrima, & vix non citior sanatio sequebatur, quin ullum symptoma malum curam retardaret. Dum proxima vice idem mihi obcurreret tumor, studio vulnus ligamento inflictum sibi permisi, nec ullo corpore inmissum apertum servavi & æque felicem expertus sum eventum; qui, quotiescunque simili procedebam methodo, idem plerumque correspondebat; nec unquam amplius illa symptomata vidi, quæ, antiqua procedens methodo, toties experiri debui. Didici ergo, turundarum, aliorumve corporum, vulnus apertum servantium usus ac diligentes nimis injectiones symptomatum illorum terribilium causas fuisse.

Igitur nunc, si hydropici articulorum tumores mihi aperiendi obcurrant, ita procedo: locum eligo magis

elevatum, quem pertundo, & quum fere semper tumor major supra patellam utroque, vel alterutro, in latere adpareat, præstat, si possibile, in latere externo aperturam facere inter tendinem, qui fit per musculum rectum femoris anteriorem, vastum in- & externum, cruræum, seu femoralem, & inter tendinem bicipitis, qui in fibulam inferitur: fit autem ope lanceolæ apertura parva longitudinalis, qua facta pes ita ponendus, & parumper agitandus, ut omnis humor effluere possit; postea vulneris labia digitis parumper uniuntur, emplastrum tenax superinponitur, ac fomentum desuper ex iis, quæ supra laudata fuerunt; demum fasciis parum adstrictioribus locus firmatur.

Si forte paucus humor, nec situ, nec pedis agitatione educendus, fuisset relictus, eum facile fomentis cicutæ discuti posse probabile est; inveni enim levem tumorem ab operatione persistentem fomentis cicutæ penitus disparuisse. Interim si nova aqua certas ob causas plus accumularetur, quæ fomentis discuti minime posset, operatio de novo repetenda foret; quæ tamen nunquam mihi necessaria fuit.

III. Cura hæctenus a me descripta de eo tumore intelligenda est, cujus contentus liquor nondum magnam passus est degenerationem, neque notabilem ligamentis coërcentibus, nec ossibus, aliisque partibus cavo contentis destructionem induxit; malo enim jam adeo provecto vix ulla cura superest; si quid tamen adhuc tentandum foret, id ex cognita degeneratæ materiæ indole determinari deberet.

§. 9. Quod tumorum ad articulos hydropicorum pertusiones tam funestum sæpe habeant eventum, si vulnera facta turundis aliisve corporibus intrusis aperta servare conemur, aut injectiones frequentiores faciamus

veri-

veritas hæc ulteriori digna examine esse videtur, quæ aliis tumoribus aperiendis forte haud inepte adplicari poterit.

I. quidem posset dici, dira hæc symptomata, inflammationes quippe, subpurationes &c. dicta ex methodo provenire, quoniam turundis, syringis &c. sæpius adplicatis partium tendinosarum vellicatio frequentior contingeret, concretio discissarum partium impeditur, quum interim ligamenta educto humore minus extensa, robur pristinum resusciperent; unde æque in partibus discissis inæqualis fibrarum tensio ac diffractio contingere posset, ac in ligamenti non adeo extensis, accidere solet; inæqualis autem distractio ejusmodi facile febrim, inflammationem excitat, à qua reliqua malorum caterva pendet. Hæc forte una ratio est infausti eventus; methodum dictam sæpe excipientis. Sed

II. & probabilior, in accessu aëris mihi quærenda videtur; priusquam vero noxas aëris ab ea methodo, qua turundæ, crebræque injectiones in curandis articularum hydropibus adhibentur, timendas recenseam, licebit pauca in genere circa accessum aëris ad vulnera in operationibus chirurgicis facta præmittere.

Aëris ad vulnera accessum quidam Chirurgorum ubique timent, pessimas corruptiones ei ceu causæ adscribentes; quidam vero nullibi timent, exemplis ex animalium vulneribus petitis, quæ omni patent aëri; quid circa hac ex praxi didicerim, enarrabo.

I) Ubi omnis aditus ad vulnera aëri præcluditur, tunc eum nihil omnino nocere posse, extra controversiam est. Præcluditur autem accessus I) si parva adeo fiat apertura, quam exstillans liquor sola contractilitate laterum, vel pondere incumbentium partium, vel sola gravitate propria ad aperturam tendente, non

adjutus pressione manibus Chirurghi, aliave vi interna facta perfecte replet. 2) Si labia vulneris ob suam elasticitatem ac densitatem humore emisso, mox viam aëri accessuro intercipiunt; quod contingere solet maxime tunc, si vulnus juxta decursum rectum fibrarum factum fuerit; si instrumentô magis acutô, quam triquetrô; si cannula nulla adhibita, nec vulneri turundis intrusis foramen magis patens, rotundumque conciliatum fuerit.

2) Ubi aëri accessus ad vulnera quidem non denegatur, nec tamen is ibidem stagnare permittitur, tunc quoque vix nocet, uti quotidiana loquitur experientia; impeditur vero stagnatio *primo*: si latera & parietes vulneris liquidô emissô ita conprimi, sibi que adplicari possunt, ut omne deleatur cavum; attamen hoc in saccatibus præcipue tumoribus difficulter contingere solet; sæpe enim situs non est talis, ut conprimi penitus possit, aut si etiam iste talis foret, compressio flaccidis adhuc parietibus, ut contingat, necesse est; unde facillime plicæ ac rugæ formantur, inter quas aër relictus calore rarefactus, suas inducit noxas.

Secundo, melius itaque in vulnere præprimis saccati tumoris stagnatio aëris impeditur, si ea fiat apertura, ut omne cavum linteis carptis aliove corpore aboleri possit. Habui abscessus, quos vulnere spithamam & ultra longo aperui; ita, ut in deligationibus non possibile fuerit, quin aër maximâ adlueret copiâ, & nec minimum putredinis signum aliudve symptoma malum inde natum observavi.

Tertio, ubi aër per aliquod tempus in loco vulneris stagnare permittitur, tunc solummodo noxius esse solet, tristissimaque causare symptomata; hujusmodi aër agere videtur, ut is, quem Pathologi *non renovatum* dicunt, ac tanquam venenatum declarant: hic

ce aër febres, inflammationes, subpurationes, caries, gangrænas, phthises, conliquativas evacuationes &c. ac mortem ipsam sæpe producit. Est tamen differentia inter ipsa vulnera, tum ratione loci, tum subjecti, tum genii tumoris, tum aliarum circumstantiarum; sic dantur tumores, in quorum apertura aëris accessus rarius nocet, etsi stagnatio inpediri penitus nequeat: alii sunt, ubi plerumque & fere semper nocet, in tumoribus cysticis apertis, aër stagnans, si prohiberi nequeat, ut plurimum summe noxius deprehenditur.

His rite perpensis abunde patebit, cur noxius sæpe in aperiendo articulorum hydrope sit turundarum ac injectionum frequentiorum usus: conlapsus labiorum vulneris sic inpeditur, vulnus magis patens rotundumque efficitur, ut sub deligationibus ac injectionibus vix aëri aditus denegari possit; neque compressione aliave methodo ingressus in cavum articuli aër iterum expelli omnis potest, quin portio relicta stagnando corrumpatur, dictaque efficiat symptomata. Idem metuendum foret, si latior fieret apertura, quam exstillans liquor perfecte adimplere, sicque aërem minus arcere possit: interim, ut supra monui, non adfirmo, methodum hanc turundis ac injectionibus semper funesta inducere symptomata; sed sæpius hæc inde sequi contendo, alia vero methodo descripta ea vix unquam contingere, nam ea omnis aëri aditus ad cavum articuli intercluditur; tempore enim stillicidii aquarum aër per parvam aperturam intrare nequit, & quando fluxus jam ad finem vergere videtur, labia comprimuntur, quæ cito concrenentia (uti in paracentesi abdominis quoque contingere solet) aërem excludere pergunt. Præterea pertusionis modus, membranæ duræ elasticæque indoles ad debitam se cito

retrahens parvitatem, clausuram ac adunationem vulneris in ligamento capsulari facti multum adjuvat.

Methodus hæc aperiendi tumores, videlicet parvâ factâ aperturâ lentum liquoris effluxum conciliare, turundis aliisve corporibus immisis vulnus nec ampliare, nec hians fervare, a diligentioribus ab initio injectionibus abstinere; hæc, inquam, methodus quantam utilitatem in aliis quoque tumoribus cysticis habeat, ut ostendam, quorundam tumorum cysticorum exempla, ceu corollaria, adducere mihi liceat.

COROLLARIUM I.

Hydatides sunt tumores peculiaris certò genii, ac indolis; earum mira magnitudo & excrescentia; earum, etsi optime curatarum, facilis regeneratio, & plures aliæ proprietates difficiliter explicandæ, eas ab omni alio tumorum genere distinguunt. Id tamen præ cæteris in iis admirandum est, quod apertura hydatidum adeo dubii sæpe eventus esse soleat, ut ea ex ratione Chirurgorum etiam peritissimi quidam nullas amplius aperire audeant: infaustos aperturæ hydatidum eventus aëri ad vulnus hydatidum accedenti ibique stagnanti, maxime adscribendos esse credo. Multas aperui hydatides sinistro cum successu, ubi ad impediendum aëris accessum ejusque in cavo stagnationem, non sufficientem intendi operam; plures pertudi hydatides cum bono eventu, ubi ad positam prius normam in curando hydrope articulorum præscriptam operationem institui. Soleo igitur in majoribus hydatidibus aperiendis ita procedere: angusto foramine ope lanceolæ hydatidicum pertundo tumorem ac liquorem sensim ac sensim exstillare permitto, nulla adhibita vi ac pressione externa, sed quantum vis parietum contractilis
 ipse

ipsius facci, vel incumbentium partium pondus exprimere valent: stillicidium hoc pro magnitudine tumoris ad aliquot concedo dies, spleniis laxis vulnere adpositis, locoque molliter tecto, donec videam cavum ad notabilem contractum fuisse angustiam; quò factò, si locus permittat, latiore facio aperturam, cavumque, si possibile est, linteis carptis, apto madidis decocto, omne expleo, adque ad destructionem duco. Vel, & quidem frequentius, soleo parumper tantum plus vulnus dilatare, ut injectiones facere queam, quas aliàs semper lenibus ab initio corrosivis ac detergentibus feci, ultimo vero, quem pertractandum habui, casu injectiones solo decocto cicutæ institui, æque felici ubique cum successu. Methodo hæc id habeo utilitatis, ut aëri nullus ad cavum pateat aditus, nisi circa finem, faccò ad notabilem angustiam redactò, ubi minus stagnare, aut nocere potest, aut facilius corrigi; deinde methodò hæc latera facci sensim se contrahere possunt, faciliusque postmodum sine recidiva, aliisque malis symptomatibus metuendis, destrui. Ubi locus parvitasque tumoris permetteret, ut mox latiori plaga vulnus fiat, non opus est parvâ aperturâ; verum plerumque hydatidici tumores aperiendi obcurrunt notabilis jam magnitudinis, quo latior ab initio apertura locum vix habere potest. Dices, saltem tunc, ubi major hydatidis latiori vulnere aperta fuit, corruptiones ab aëre metuendæ aptis coerceri injectionibus poterunt! *Respondeo*, id quidem aliquando bono cum successu tentari; sed docuit praxis, sæpissime optimas injectiones nullatenus subfecisse, quin funestissima sequerentur symptomata. Methodum vero descriptam, parvis aperturis tractandi hydatides, tutiorem ubique invenire licuit.

COROLLARIUM II.

Hydrops faccatus hujusmodi quoque tumor est, in quo aperturæ ob aëris accessionem stagnationemque vix impediendam sæpius nocuisse, immo lethales fuisse, visæ sunt. Licet enim mors ad operationem subsequuta non ipsi operationi, sed alteri aliunde petitæ causæ quandoque adscribatur; operatio tamen passim prima mortis causa dicenda est, ac sæpe aliæ corruptiones viscerum pro causa mortis adstructæ potius effectus operationis sinistro cum eventu factæ declarandæ sunt. His ita se habentibus melius sæpe foret, tumorem ejusmodi potius relinquere intactum, eò quod observationes doceant, homines tumoribus hisce per 10. 20., immo, ut in *Parisin. Act. Chirurg.* refertur, per 40. annos & ultra vitam protraxisse. Si tamen operatio instituenda foret, an non hæc tutius quoque eâ, ac modo de hydatidibus dictum fuit, institueretur methodo; tunc saltem, quando faccatus tumor extra abdominis cavum inter integumenta & peritonæum hæret? parva nempe facienda foret apertura emittendoque liquori lentus conciliandus foret exitus, quin vis externa cavum quasi emulgens accedat, qua facilis aëri per cannulam circa finem fluxus ad saccum datur aditus; saccus interim methodo hac sensim se contrahere posset, ac cavum suum imminuere; quo facto per dilatatum parumper vulnus debitæ injectiones fieri possent, cavumque sanari. Obpones! in ascitidis paracentesi vix quoque impediri posse, quin aër cannulam intret, ibique stagnet: nec tamen ab ascitidis paracentesi Chirurgos abhorreret! *Respondeo*, verum quidem est, attamen jam supra monui, accessionem ac stagnationem aëris plus nocere in tumoribus faccatis, ita, ut etiam inter hos ipsos adhuc quædam sit differentia; sunt enim faccati tumores, qui plus, sunt qui mi-

minus periculi ab aëre tali contrahunt; in non faccatis vero tumoribus aërem minus nocere, experientia docet, etsi ratio danda haud subficiat.

COROLLARIUM III.

Empyema ex pleuritide natum huc quoque recenferi meretur, etiam hoc sine magna apertura, sine injectionibus, integre curari posse, sequens docuit casus.

Pictor quidam ante $4\frac{1}{2}$ annos me ad puerum suum, 10 tunc annorum, vocavit, ex neglecta pleuritide decumbentem. Vidi mox prima visitatione empyema hic adesse adeo grave, ut puer vix non inde subfocaretur; parvam feci aperturam, & pus tanta vi prodibat; ut obpositum feriret murum, copiam sensim eduxi fere incredibilem: præter enim id puris, quod vasis excipi non poterat, tres circiter mensuras collegi, & per aliquot adhuc dies linteamina adposita & lectus pure madebant: impeditus negotiis, alium tunc vocavi Chirurgum, qui puerum singulis diebus inviseret deligaretque, ac ei injectiones faceret. Chirurgus hic quidem accessit, sed de sanatione forte desperans, nullas fecit injectiones, sed solummodo emplastrum novum vulnere adposuit, atque præter omnem expectationem puer a tam gravi empyemate sine ullis injectionibus factis convaluit, eumque non ita pridem adhuc sanum vidi. Sequitur hoc ex casu, injectiones ad curandum empyema non esse absolute necessarias; curantur quidem etiam empyemata injectionibus diligenter adhibitis, & forte certis in casibus hæc necessariae sunt: attamen metus est, ne hoc modo aër furtim se in cavum ducere queat, ibique stagnando rarefactus ac corruptus nocere, præcipue si parum latior facta

fuerit apertura; nam sic una vice plus effluit puris, ut cavum remaneat a pulmonibus debilibus, diaphragmateque laxato non tam cito delendum; in quo cavo stagnare aër potest, vel si nullus intraverit aër, exhalans liquor a debili vi bibulorum vaforum quandoque mucosâ membranâ obduktorum absorberi nequit, qui collectus hydropem thoracis, quem etiam in latere sano ex operatione simili natum observavi, efficit; aut saltem majori copiâ puris una vice per latius vulnuseductâ, sanguis in pulmones minus resistentes majori vi inruens anxietates, tusses, obstructions, peripneumoniam, phthises, rupturas subitas vaforum quasi labefactorum mortemque citam causare potest. Effectus similes ab operatione contingentes, passim quidem aliis tribuuntur causis, sed forte ipsa operatio cum latiori vulnere ac injectionibus diligentioribus instituta, sæpe unica effectuum pessimorum causa est. Hæc si possibile sunt, ac timeri possunt; an non tutior esset methodus eadem, quæ in hydatidibus & in hydrope saccato laudata fuit? nempe parvâ apertura factâ, puri lentissimum conciliare effluxum & quum maxima puris copia exstillasse creditur, latiori vulnere tunc primo facto injectionibus depurare locum; lentissimo enim hoc puris fluxu pulmo ac diaphragma spatium nanciscuntur, ut sensim se restituant, cavumque a pauca puris exstillantis copia relictum semper mox replent; est enim effluentis puris copix restitutio pulmonis ac diaphragmatis æqualis: præterea methodo ejusmodi omnis omnino accessus aëris impeditur per parvum vulnus stillante pure semper repletum, si demum circa finem fluxûs dilatetur vulnus, ac injectiones fiant, etiamsi tunc aër intraret, minus obereit; quoniam pulmonum ac diaphragmatis vires jam

adeo

adeo auctæ sunt, ut vel expellatur, vel minus noceat. Inruens in pulmones sanguis methodo hac quoque minus nocere potest, eò quod roboratus pro ratione puris pulmo violentiæ huic sensim, ac lentissimo auctæ gradu subficienter resistere valet. Obpones 1): metus est, ne parva illa apertura citius, ac deberet fieri, se claudat, exemplo ab ipsa operatione hydropis ad articulos deducto. *Respondeo*, diaphragma & pulmones sensim se resituentes perennem puri effluxum causant, unde vulnus apertum continuo servatur; aliud est in vulnere ligamenti capsularis, ubi omnis mox effluit humor, nec causa adest, foraminis clausuram impediens. Obpones 2): per parvam hanc aperturam tenuiorem solummodo effluere posse puris portionem, crassiori relicto. *Respondeo*, si hoc etiam contingeret, crassiori parti circa finem fluxus per dilatatum magis vulnus dabitur exitus, nec hoc tunc temporis, quo remanet, corrumpi, aut degenerare potuit, quum accessus aëris, qui corruptionis præcipua est causa, fuerit omnino prohibitus.

COROLLARIUM IV.

Simile priori exemplum habetur, quando vomica, ex pleuritide nata, inter pleuram & costas hæret, libero thoracis cavo; hujusmodi obvenire vomicas ipse *Inl. L. B. VAN SWIETEN* ad §. 895. refert. Ego tales in praxi observavi, semel costis jam erosis, alias illis inlæsis: sic etiam recordor, me duos secuisse ex pleuritide mortuos, ubi pus continebatur sacco existente inter pleuram crassissimam & costas, membranâ quasi mucosâ obductas. Etiam hoc in casu aper-

aperturæ majores quandoque nocere possunt, potissimum ob aëris introitum, qui nec compressione, nec cavi inpletione penitus auferri potest; unde febris, inflammatio, subpuratio citissime in putredinem vergens, demum plura alia symptomata lethalia sequuntur.

COROLLARIUM V.

A priorum casuum curandum methodo exceptionem patitur cura abscessuum majorum ad exteriores corporis partes contingentium, quibuscum jam neglectis materiâque contentâ jam putridâ redditâ, pauperes ad nosocomia deportantur. Abscessus hi aperiendi sunt; nam si hoc non fiat, materies contenta, acrior semper reddita absorptaque, febres putridas excitat certamque mortem causat. Verum, quomodo aperiendi sunt? an parva apertura, uti in thorace, vel abdomine, etiam hic locum habet? minime, vel plane nunquam, parva apertura hic proderit; hac enim facta nec viscera, nec aliæ habentur causæ, cavum successive delentes; deinde per exesam ac destructam cellulosam cava sinusque jam multiplices sunt formati, ut unica apertura non sufficiat. Ergo hicce casus est, ubi latior apertura necessaria videtur; sed qualis? an longitudinalis, an transversalis facienda est? neque sola longitudinalis; neque transversalis sola, si cavum magnum est, sufficiet: nam subponitur, cellulosam, sub cute locatam, exesam destructamque varios formasse sinus & cava magna; si igitur sola v. g. longitudinalis fiat apertura, cutis non ita concidet, ut subjacentes partes omnes tegat: remanebunt cava a cute extensa, non sufficienter deleta, in quibus cavis aër (qui hic li-
be-

berum habet aditum) stagnabit ac corrumpetur, summeque nocebit. Verum quidem est, quod decoctis ex herbis amaris, cortice peruviano &c., paratis, injectiones optimæ parari possint, putredini maxime resistentes; præsertim si hisce decoctis acida mineralia, ut spiritus salis, admisceantur: nihilominus tamen optimæ hæ injectiones hoc in casu non sufficient; raro enim injectio ubique & ad quoscunque fines absconditissimos pervenire valet; potius eo tempore, quo injectiones fiunt, aër ad ea intrat cava, ad quæ forte alias non intrasset, ibi stagnat, ac putrescit. Igitur in hujusmodi abscessibus nec parva apertura, nec latior longitudinalis sola, aut sola transversalis proderit, sed longitudinalis & transversalis simul, sive cruciata; ita enim cutis concidit, cava delet & se ad partes musculosas applicat. Methodo hac plures curavi abscessus, quos alii aperire renuerunt. Dices, apertura hac cruciata magnitudini abscessus proportionata sæpe vulnus in cute debere fieri amplissimum, difficulter postea consolidandum. Respondeo, si natura ad hujus ampli vulneris consolidationem non subficeret, ars habet remedia adeo efficacia, quæ hoc vulnus, utut amplum, cicatrice sæpe optime claudunt: efficacissimum hoc in casu inveni fungum *agaricum*: in cujus vero applicatione cautelæ nonnullæ necessariae adnotandæ sunt. Si fungus hic mox ab initio latæ vulneris plagæ inponatur, locus una vice nimis cito exsiccaretur, materies effluenda retineretur, tumor nasceretur, aliave pessima symptomata evenirent: caute igitur hic procedendum, ac fungus ab initio tantum marginibus vulneris applicandus est & sensim centro vulneris adproximandus; quâ cautelâ observatâ amplissima vulnera cicatrice haud sperata, & quidem fat cito, obducuntur.



OBSERVATIO I.

Hydrops scroti, aut pedum, applicatis, ob gangrænæ metum, fomentis, sæpe curatus fuit; remanente cæteroquin illo hydrope, qui reliquum obsidebat corpus: potest igitur ope caloris partibus hydropicis conciliari stagnantium aquarum absorptio, & dissipatio fieri. An non similis effectus a fomentis aromaticis applicatis in hydrope pectoris, pericardii, ascitide, aliisque hydropis speciebus, partem corporis occupantibus, expectari potest?

OBSERVATIO II.

Femina ob dolorem vehementem ad scapulam & humerum dextrum per septimanas aliquot exacerbantem, iterato venæsectionem petiit, quam denegabat Medicus; urgente tamen femina concessit. Secabatur vena in brachio lateris sani; sed, brevi post v. s. orta est anxietas, respiratio difficilis, ardor ad præcordia: hisce semper incrementibus accedebat difficultas deglutiendi, sensim ita aucta, ut per quinque dies ante mortem nihil potuerit deglutire. Sectione cadaveris facta pericardium pure ichoroso adeo impletum ac distensum reperiebatur, ut fere totum pectoris cavum occuparet; neque ulla alia causa deglutitionis læsa deprehendi poterat. Tam inopinatus eventus
ali-

aliquando venæ sectionem, in rheumaticis institutam, excipere potest!

OBSERVATIO III.

Fistula ani absque operatione curari potest, uti sequens me docuit casus. Femina, 60 circiter annorum, ante 8 menses ad nosocomium delata fuit, diarrhæa laborans, a qua debitis remediis sanabatur: sed fassa est, se jam à duobus annis habere ad intestinum rectum ulcus ab hæmorrhoidibus natum; eam visitans inveni fistulam fere altitudinem spithamæ referentem, ad os sacrum terminatam: quum nimis alta esset fistula, atque cariem in osse sacro jam natam suspicarer, operationem facere nolui; igitur eam tantum palliative tractare constitui: hinc injeci bis de die decoctum cicutæ & præter meam expectationem intra 6. septimanas fistula videbatur curata. Curæ inexpectatæ non penitus fidi, quia nullam exfoliationem, quam ob cariem suspicatum expectaveram, observavi: interim disparuit omne dubium, dum ante duos menses, eadem femina, aliò levî correpta morbo, iterum ad nosocomium deportaretur: studiò enim examinans fistulæ locum, eam integre ac radicitus curatam deprehendi.

OBSERVATIO IV.

Nævi materni aliquando possunt exstirpari absque ullo inde sequente graviore malo, & quin recrescant. Plures ipse exstirpavi & nunquam mihi recrevère.

Sic 1) ante sex annos puellæ unius anni nævum ad radicem nasi totum inter supercilia spatium occupantem exstirpavi, & hodieum, nævo carens, sana vivit.

2) Ante tres annos puellæ, pariter unius anni, nævum sat magnum in fronte situm delevi.

3) Sorori prioris, sex menses natæ, ante annum delevi nævum, non quidem adeo magnum, sed notabiliter crescentem, in dextra bucca situm.

4) Juvenculæ viginti annorum, ante tres annos meo in nosocomio degenti, nævum valde elevatum, pilis longis oblitum, magnitudinis $1\frac{1}{2}$ pollicis transversi ad maxillæ inferioris angulum situm, pro parte excidi, pro parte corrosivis feliciter destruxi.

5) Pessimi moris nævum anno elapso in puella sex mensium curavi. Nævus hic palpebram inferiorem totam occupabat, dein per genas sat profunde descendebat, eratque valde elevatus. Vicinia oculi, magnitudo nævi, me ab operatione deterruerunt: sed parentes quotidie urgentes, omnem infaustam prognosin factam respicientes, me tandem moverunt, ut eum pariter pro parte excinderem, pro parte corrosivis expungerem; quod feliciter perfeci, quin hætenus recreverit. (*)

Ex

(*) In frontis medio hominis quadraginta circiter annos nati nævum, medium circiter cruciferum magnitudine æquantem, elevatum, lapide infernali, in acido nitri soluto, prudenter applicatô, curavi, ut ab eo tempore non amplius recreverit. *De* WASSERBERG.

Ex his credo, me posse concludere, nævos maternos esse curabiles. Interim non nego, pessima quandoque symptomata, immo lethalia, ex ejusmodi cura sequi posse: sic adhucdum in meo nosocomio degit homo, viginti circiter annorum, cui nævum, magnitudinem pisi referentem, quidam Chirurgus exstirpare ausus fuit, sed adeo infausto cum successu, ut nunc cancro pessimo totum dextrum faciei latus sit defœdatum.

Solent sæpe tristia ejusmodi exempla contingere, ubi Chirugi, Chemicæ inperiti, alkalinis utuntur corrosivis; aut, si etiam acida corrosiva adhibeant, ea non debita methodo adplicant. Sive enim profundius, ac licet, urant; sive nimis timidi sint, nævum non sufficienter adtingentes, eumque solummodo irritantes, utrobique cancos, aliasve destructiones producere possunt; præsertim in tenellis corporibus, ubi corrosiva fortius agere solent. Melius ergo foret, ab omni exstirpationis conamine abstinere illum, qui non sufficientem in adhibendis corrosivis dexteritatem & selectum possidet.

OBSERVATIO V.

Humeri luxati repositio sæpe difficilis est, nisi fiat debita cum encheiresi: nam, vel I) est ejusmodi luxatio, quæ absque machinæ cujusdam usu perfici potest; tunc ii, qui sequuntur HEISTERI methodum, *Chirurg. P. I. L. III. cap. 7.* descriptum, & ejus figuram tertiam, *Tab. X.*, pro prototypo habent, facile errare

possunt. Si enim v. g. luxatus foret humerus deorsum, tunc non firmatâ subficienter scapulâ facile humeri caput sursum & antrorsum movetur, multoque pejor producitur luxatio. Ne igitur hæc fiat, necesse est, ut inprimis a forti homine a latere sano stante scapula decussatis manibus bene firmetur, & deprimatur, deinde ut is, qui reponit caput, semper postorsum moveat.

2) Ubi machinis uti necesse est, inter tot artificiose exquisitas selectus quidam faciendus est; non enim ideo machina optima, quia artificiosissima, vel compositissima. *Ambe* HIPPOCRATIS antiquissima & simplicissima, sæpe optima est; non tamen in omni luxatione, uti cuilibet patet, adhiberi potest. *Machina Cel.* PETIT, artificiosissima, & a multis laudatissima, mihi plus nocere ac prodesse videtur: nam per eam solum extensio ac simul contraextensio in duobus ossibus articulandis fieri intenditur, & tamen, re accurate perpensa, extensio, ac contraextensio per hanc machinam in eodem contingit osse, adeoque una destruit alteram, ac inutili labore musculi tenduntur. Retinaculum ad firmandam scapulam destinatum, applicatur musculis deltoidi, pectorali majori, ac latissimo dorsi, qui tamen musculi in ipsum os humeri, quod extendi debet, inseruntur, adeoque in eodem osse humeri fit ex- & contraextensio per machinam PETITI.

Ego in reponendis humeri luxationibus difficilioribus, vel inveteratis, soleo uti polyspasto ad extensionem faciendam; quod valde remotum esse debet, ut brachium facile hinc inde moveri possit. Pro contraextensione vero facienda adhibeo lorum, quod circa pectus applicatur, cui adhærent duæ habentæ ascendentes, & supra scapulam & claviculam se decussantes, postea descendentes primo loco iterum adnectuntur. Per

decussantes habenas istas subficienter firmatur scapula, & truncus per lorum; nam ipsum lorum vel firmo adligatur corpori immobili cuicunque, vel manili subducto a duobus tribusve hominibus firmatur. Methodo hac luxationes sat inveteratas in hominibus etiam robustissimis reposui.

OBSERVATIO VI.

Eadem ex ratione in pedis, vel manus, luxationibus inutiles quandoque fiunt extensiones; sic, si v. g. in pede luxato infra suramprehendatur crus, sursumque trahatur, dum interea ab altero pes deorsum ducitur, extensionis & contraextensionis vis in eisdem terminatur tendines, uti ex anatomicis constat. Utiliores certò erunt hoc in casu tensiones, si tibia mox infra genuprehendatur. Luxatio memorata nempe pedis, est una ex frequentissimis, ac sæpe cum fractura fibulæ fractoque malleolo interno stipata; quibus fracturis præsentibus, si repositio fuerit facta, quum firmior ligatura ob inflammationem metuendam locum habere nequeat, tunc ut plurimum planta pedis extrorsum versus fibulam movetur; quam qui de novo iterum iterumque reponere tentant, pessimos sæpe effectus, subpurationes, gangrænas, mortemque ipsam producant. Sic ante septem annos vidi ob iterata illa luxatum reponendi pedem conamina a Chirurgis quibusdam pessimam subpurationem, omnia tere ligamenta, tendines ossaque destruentem, fuisse natam, ut amputationem facere de-

buerim. Nuper, ante 3. circiter menses, ejusmodi binas pedis luxationes, ubi similis sinistra methodus adhibita funestiora ipsâ luxatione symptomata produxerat, videre licuit. Una femina post 14. dies à luxatione ad nosocomium deferebatur, cum pessima jam subpuratione; a cujus pure absorpto dysenteria nascebatur; unde brevi periit. Altera femina nono luxationis factæ die ad nosocomium deferebatur, cum summa articuli inflammatione, jamjam in gangrænam vergente pustulisque maximis totum articulum jam obfidentibus; quam tamen adhuc restitui.

Ad evitanda hæc pessima mala ab initio luxationis cum dicta fractura contingentis vocatus, soleo repositionem leni quidem modo tentare, ac pedem laxioribus deligationibus in situ servare: si vero is ita servari nequeat, non prius soleo reiterare repositionem, nisi prima inflammatio jam fuerit dissipata; quo facto repositi de novo pedis firmior deligatio, forte ob partes per inflammationem antegressam magis laxatas, non nocere solet: saltem hæce methodo procedens nunquam vidi subpurationem natam, nisi ossa fracta integumenta ipsa perforassent.

OBSERVATIO VII.

Quæ in *Act. Paris. Chirurg. Tom. 3. Cel. PRIBRAC* de abusu futurarum refert, mihi admodum placere; futurarum enim necessitatem esse rariorem, diu persuasus fui: plures fieri posse coadunationes sine
 su-

futararum ope, ipse sæpe observavi, præsertim in tendinibus. Quam ob rem unicum exemplum adducere volui, quod de vulnere tendinis Achillis habui. Juveni 18. annorum tendo Achillis ad quatuor digitos transversos supra insertionem in calcaneum abscissus fuit; vulnere ad latus fibulæ profundiori, ut ipsam læderet fibulam: vulnus ob hæmorrhagiam validam repletum valde erat, tendo ob malum pedis situm, a quatuor diebus jam durantem, erat admodum retractus; æger ob magnam hæmorrhagiam debilitatus. Tunc temporis adhuc futuram simili in casu necessariam putans, volui consuere tendinem; hinc musculos deorsum trusi, ut prodeuntem caperem tendinem: quum vero omni adhibita vitendo plane non prodiret, aliam tentare methodum invitus debui. Paravi igitur ferulam longam, eamque spleniis subpositis anteriori pedis parti ita adplicui, ut fere digitos tangeret, & altero sine ad spinam tibiæ adscenderet: ferulam hanc & in parte inferiori & in parte superiori ita firmavi, ut ad vulneris locum notabile remanserit spatium: vulnere, quod ipso situ hoc artificiali facto fere jam unitum erat, adplicui plumaceolum cum balsamo peruviano nigro, dein adposui emplastrum ac fomentum desuper; ligatura ferulæ superior talis fuit, ut ea ipsa muscoli, quantum possibile, detruderentur. Methodo hac intra duos menses vulnus erat sanatum & æger utcunque deambulare poterat, nihilque supererat, nisi quod partes adhuc rigidiores fuerint, & pes post deambulationem parum tumeret, quæ vero intra mensem quoque evanescere, ut sine incommodo ac molestia deambulare potuerit.

Equidem scio, quosdam esse, qui non ubique futuras reprehendunt, sed eas potius certis in casibus necessarias declarant; quod quidem ipse verum esse censeo: attamen in musculis transversaliter discissis & majori plaga hiantibus, ubi iidem futuras magis necessarias credunt, etiam adhuc apto situ corporis aptisque machinis adhibitis sine futurarum ope adnationem sæpe fieri posse, existimo. Etenim, si discissæ partes nec situ, nec machinis sibi adplicari possunt, nec futuras tunc absque symptomatibus gravissimis metuendis locum habere posse, censeo.

Ratione rupturæ tendinis Achillis, quam *Cel. PERRI* quidam negare voluerunt, ut ex *Act. Med. Paris, & lib. cel. AUCTORIS* patet, adfirmare possum, me eam certissime observasse; sed in curatione ruptæ tendinis usum ferulæ modo supra præscripto adhibita præferendum esse judico deligationibus & fasciis solummodo adplicatis, vel saltem una cum fasciis ferula adplicanda foret.

OBSERVATIO VIII.

Ultimo circa hernias incarceratas volui tantum obiter notare, quod hic loci mos inter plebem frequentissimus sit, avenam integram, leviter tostam, sacco inclusam, loco hernioso ipsi adplicare. Ego quidem semper hoc medicamentum sprevi, quum nullam, cur prodesset, rationem invenerim; attamen aliquoties contigit, ubi, postquam remedia optima, hoc-

ce in casu laudatissima, nihil effecerunt, vetula suam adplicuerit avenam, & malum aliquoties brevi sanabatur. Non est diu, ubi eodem in casu præter alia remedia fumus nicotianæ, magna licet dosi adhibitus, nihil effecit, ita ut operatio jam concluderetur, quam vero æger renuit, & feminæ, suam adplicantes avenam, curarunt herniam incarceratam.

An avena figurâ suâ in cute irritationem faciendo, spasmus in aponevrosi muscoli obliqui externi solvit? Si hoc esset, conduceret avenam linteo valde subtili ac deterfo includere. An alia irritantia simili cum effectu tentanda? aquam frigidam in herniis incarceratis profuisse, Auctores quidam memorant: eandem aquam frigidam in desperatissimis doloribus colicis aliisque in spasmis laudatissimum quandoque fecisse effectum, citat *Inl. PRÆSES in Comment. ad §. 964.* An non in casibus a me visis eventus bonus aliis remediis ad incarceratas hernias curandas laudatis, & ante & sub usu avenæ adhibitis, potius adscribendus, quam avenæ? Talia quidem adhibebantur, sed quacunque dosi ante usum avenæ nihil profuerant; avenâ autem adhibitâ bonus mox sequebatur eventus.



INDICATIO CURATORIA IN FLUIDIS EVACUANS.

§. 1185.

Animadvertit *immortalis* PRÆCEPTOR, duplicem esse materiem, quæ evacuanda sit: 1) eam, quæ sive morbum fecit, sive a morbo producta morbum simul auget, atque generali notione *materiæ morbi* insignitur. V. g. in pleuritide est sanguis crassus, crassiorque, quam ut per minimas arteriolas pleuræ transfluat, vera materies morbi: mox vero violenta humorum circumductione sanguis inflammatorie inspissescit, & album quasi corium format, quod in v. f. tum facta adparet. Vires vitæ jam magis adlaborare debent, ut crassum hoc phlogisticum coquant expellantque, quam ut primum sanguinem spissum inmutent. (Cognitam subpono hic aliam crustæ phlogisticæ expositionem, recentissimam, ab haeniana, & passim antea recepta, diversam.) Uterque hic sanguis jam est materies morbi.

Verum 2) præter materiem morbi dantur alia, quæ sui evacuationem indicent. Materies putrida dudum in ventriculo hærens ante datum nunc morbum; alvus ab octiduo ante morbum jam subpressa. Materies

ries in acutis morbis datur tempore cruditatis, adeoque cruda utcunque, quæ evacuatur cum euphoria; ut sunt sudores levantes, non critici, de quibus HIPPOCRATES toties agit in *libr. Epidem. & in Prognosticis*. Talis erat in Virgine Larissæa alvus a principio morbi. Deinde in Chronicis est materies, quæ minus dicitur materies morbi, quam materies, quæ evacuata morbum levat. Hæc fonticulorum, fetaceorum, ulcerum exstillans humor est. Mirandum omnino, qua ratione ejusmodi juvent: tamen iis clausis immature, morbos mortemque sequi sæpe vidimus.

Ut duplex est materies, ita duplex via; altera *naturalis*, altera *præternaturalis*, ut in *Textu* recensetur:

§. §. 1186. 1187. unde duplex habetur distinctio viæ, ut duplex erat distinctio materiæ.

SUDORIFERA.

§. 1188.

Remedia, quæ dicuntur vel subpressam perspirationem, vel sudorem, si indicetur, promovere, sunt

1) ea, quæ valide moveant humores per totum corpus;

2) illa, quæ resistantiam ad cutim in vasis minuunt.

§. 1189. Hæc ex MATERIA MEDICA nôstis. Bona miscet cum minus bonis, ut catalogo Mat. med. satisfaciat; unde & de quibusdam ait, *quæ examinata deprehenduntur vel nihil agere, tumque diaphoretica dici*; ut sunt Chemicorum plura.

§. 1190. *Quæ felicissime inpenetratur vapore aquæ calidæ toti cuti, excepta capitis, adplicato*; si enim idem capiti fiat, laxantur omnia vasa, ita, ut malum inde oriri queat.

Si venæ laxentur jugulares in toto capite externo inplentur & turgent, dilatantur, conplananturque supra ossa cranii, nec pellunt sanguinem: vis quoque sanguinis arteriosi a tergo venientis infirmatur, & arteria carotis externa repletior redditur. Carotis interna ob hanc causam debet copiosiori sanguine obui, & onerare cerebrum cerebellumque.

Etiam alia ratione vitiatur circulatio sanguinis in capite. Demonstravit WINSLOWUS Tom. 3., venam jugularem externam, quæ in anteriorem ac posteriorem dividitur, & venam jugularem internam, pluribus in locis per anastomoses cum se invicem communicare. Hinc, si valide laxetur vena jugularis externa anterior posteriorque, sanguis venæ jugularis internæ in illas derivatur, & hinc reditus sanguinis a capite ad cor multum impeditur. Quum igitur vapore aquæ calidæ totum systema venarum subcutanearum laxatum plus sanguinis in se contineat, jam vena cava ad cor dextrum non habebit sat copiæ sanguinis, ut circulatio per cerebrum & cerebellum continuetur; unde tunc animi deliquia. — Ergo saltem caput liberum maneat.

Est quoque advertendum, quod, dum calidæ aquæ vapor undique adplicatur corpori, atmosphæra vehementer incalescat: nam aqua illa debet saltem ad 110. grad. calere, ut det vaporem subficientem. Ergo atmosphæra fit tam calida, ut homo posset subfocari. Si intremus in locum, ubi hypocaustorum aër ad 100. gr. calet ad operâ aliqua perficienda, v. g. apud saccharifices, ubi sæpe adhuc plus calet, insuetis nobis respiratio deficit, cadimus in animi deliquium, nisi aërem frigidiorum capturi illico propereamus foras. — Vocatus fui in casu, ubi militaris Chirurgus hominem revera subfocaverat hoc neglectu. Aërem calidiorum nocte fecerat, ut salivatio bene procederet; mane homo erat mortuus. Unde, dum ad luem veneream curandam homines sudant in sedili, ope spiritus vini accensi, faciendam jubet BÖERHAAVE vestem talarem, ex linteo cerato impenetrabili, quæ vestis a collo ad terram pendeat, fibulis exacte undique clausa. Sic ille vapor alcoholis in aquam vî ignis versus, omnia laxans, promovet sudorem in corpore, decoctis ad id aptis repletissimo, & caput manet liberum, quia atmosphæra supra vestem talarem non multum incalescit. Sudatio *sub craticula* dicta, oportet quoque ita instituat, ut tegumenta arcte circa collum claudantur, ne atmosphæra tota nimis incalescat, & impediat respirationem.

3) *Aucto calore externo circa corpus nudum tepore lecti, balnei vaporis, spiritus vini accensi.*

1) *Tepore lecti; aër externus semper frigidior, quam calor hominis: ergo ambitur corpus calore minori, quam is est calor, qui corpori inhæret. Si jam hominem fere nudum stragulis bene tegeo, atmosphæra ejus inclusa jam circum corpus a stragulis,*

lis, incalescit; a perspiratione, siqua adfit, humescit, & tota cutis sic emollescit, flaccescit a calore magno humidoque: ergo laxantur omnia oscula exhalantium.

Verum, sæpe talia non juvant satis, etsi corpus remediis ad sudandum aptis repleatur.

Ita SYDENHAM, *sect. 2. c. 2.*, ubi de peste agit, „ post venæ sectionem, ait, quam in lecto celebrandam curavi, quum jam omnia ad sudores proliciendos in promptu essent, ne vel minima interposita mora, stragulis ægrum obrui, ac laciniam laeam syncipiti adligari jussi; quæ quidem capitis tectio ad sudorem plus proficit, quam quis facile crediderit. Deinde, si vomitus non adessent, hæc & similia hidrotica exhibui.

℞. Theriac. Andromach. ℥℞.

Elect. de ovo ℥j.

⚄ è chelis cancror. composit. (in quo contrajerva) gr. xij.

Cochinell. gr. viij

Croci gr. iv.

Cum subf. quant. succi kermes f. bolus, quem sumat sexta quaque hora; superbibendo cochl. vj sequentis julapii:

℞. Aq. card. benedict.

— scordii compositæ ana. ℥iij.

aq. theriac. stillatit. ℥ij.

syrup. caryophyll. ℥j.

M.

„ Quodsi vomitio interpellaret, ut in peste, ac febris pestilentialibus sæpissime accidit, medicamentum sudoriferum tantisper propinare distuli, donec solo tegumentorum pondere, (nisi quod linteaminis pars subinde ad colligendos halitus vultui superinduceretur) sudor promanare inciperet. Nam, quod quidem observatu summe dignum est, quum materiæ morbificæ radii versus ambitum corporis sese exporrigant, illico alvi profluvium & vomitiones ab iisdem retrorsum reflexis, ac in ventriculum & intestina decumbentibus, provenientes, ultro sedantur. (*) Adeo, ut quantacunque stomachi subversio præcesserit, adsumta deinceps medicamenta probe retineantur, ac ad sudores ex voto proliciendos conducant. “

Denique scribit, si in febris pestilentiali sudor indicaretur, se continuare per 24 horas talem sudorem crebro potu calido cerevisiæ & lactis, quibus salvia infusa esset, vel cerevisiâ, cui pauxillum foliorum macis intabuerat: quo toto tempore sine absterfione corporis, sine ulla mutatione indusii, debebant pergere.

Hic videmus ad promovendos sudores duo fecisse SYDENHAMUM, 1) laneum capitellum fronti superiori obduxit; unde sudorem observavit faciliorem produci: 2) linteamina aliquando supra vultum extendit. Sic incalcescebat sub linteamine atmosphæra; ergo calidus admodum aër inspirabatur, unde sanguis debebat incallescere.

Sed

(*) Discimus ex hoc ratiocinio SYDENHAMI, cur nostri ægri in nosocomio sine emetico passim ex acutis reconvalescant. Impedita perspiratio faciens nauseas, vomitus, diarrhæam, methodo nostra reducitur ad cutim, sicque cessat vomitus sine emetico.

Sed præterea, aër exspiratus semper humidus exit ex materie perspirante & humido perpetuo calido & exhalante pulmonis. Hinc, si linteamen lecti vultui supertensum aliquantis per maneat, incalescit atmosphæra, humescit, facitque sic calidum humidumque balneum faciei, colli, pectoris, totiusque corporis. Sed ob causas, antea recensitas, non debet nimis diu hoc manere; nam læderetur maxime respiratio a tam calente atmosphæra & deficeret tandem.

2) *Balneó vaporis*, & 3) *Spiritus vini accensi*; hæc jam sub initium exposita: sed, cur vapor spiritus vini accensus sudores tam enormiter promovet? Si enim videamus naturam spiritus vini, potius constringit, quam aperit.

Spiritus vini accenditur elychnio, seu bacillo sulphurato flamma excitatur: quod flammam alit, alcohol est. Alcohol inflammatum & agitatam aquam spiritus ducit in vapores elevatque suo motu. Calor humidus magnusque communicatur cum tota atmosphæra hominis sub veste talari, aut sub craticula. Hinc hæret homo totus in balneo humido, calido: unde, quum corpus jam dispositum sit ad sudandum, sudores nunc facile prodeunt. (*)

Pro-

(*) Quæritur, an vapor agat ratione aquæ, & alcoholis; an vero tantum ratione aquæ?

Dum alcohol ardet inflammatum, sola inde aqua avolat: videte *Chemiæ BOERHAAVII, Theoriæ part. alt.*, ubi de alkohole experimenta habet.

An igitur aquæ puræ vapor idem non faceret?

Si quis vasi magno aquæ calidæ cruribus alte demersus per semihoram infideat; cruribus, genu-

bus,

Prolicimus hac methodo tantum sudorum, quantum velimus, & dum in lue venerea, in spina ventosa, hac arte eliciuntur, cavendum ut homo vires non nimis perdat. Sæpius in hac cura fui præfens: vidi intra horam aquæ tantum ex facie & corpore toto expulsum, ut debuerit abstergi a pavimento ligneo, ne per rimas in cubiculum inferius stillaret: pavimenta enim ibi (in Hollandia) non sunt fornicata, sed tantum facta ex trabibus longè a se distitis, & superpositis asseribus, juncturâ cannulatâ sibi invicem adpressis. Tempus sudandi ex viribus metimur, & sudatione peracta mox damus cardiacum vinosum, & abstergendum curamus totum corpus. Repetitur hoc per 2., 3., 4. septi-

bus, femoribus probe tectis, ut vapor aquæ exhalare nequeat, poterit sudoribus diffluere, ut ipsemet quandoque expertus sum.

Sæpius in nosocomio ad sudores vapore spiritûs vini eliciendos, spiritus ebullivit in machina cuprea cum longo collo, quod aperturâ suâ incurvatâ vaporem copiosum disperfit sub stragulis & sudorem promovit adeo uberrimum, ut nunquam plus; corpore interim repletissimo decoctis lignorum. Aliquoties volui elychnio accendere vaporem mox ad tubi aperturam, sed exstinguebatur; erat enim tantum aqua. Id videntes aquam ebullientem solam adplicuimus, & semper deinceps habuimus eundem copiosum vaporem, eosdem profusos sudores.

Ergo nil facit vapor sp. vini ratione spiritûs; sudores tantum movet ratione vaporis aquosi: ergo est superfluous; aqua sola facit idem. *De H.*

ptimanas & ultra; semel, vel bis, de die. Verum, per I., 2., septimanas antea oportet corpora replere copiosis decoctis lignorum.

Decocta hæc vario modo parantur. Si homines ipsi parent, vel paranda sint paucis sumtibus a Pharmacopœo, jubemus ut fiant sequenti modo :

℞. Ligni & cort. guajac. ℥vj.
 ——— ——— sassafras ℥iij, vel iv.
 Passular. maj. (min.) ℥ij.
 vel glycyrrhiz. ℥ij.
 Coq. cum mens. vj. aq. ad dimid.

Quodsi autem velitis formulam aliam secundum artis regulam, en :

℞. Rasuræ lign. guajac. ℥v.
 ——— cort. guajac. ℥ij.

Macerentur aq. per horas xij, dein per horas iv vase clauso bulliant; tum adde

Rasuræ ligni sassafras ℥ij.
 ——— cort. sassafras, ℥ij.
 Glycyrrhiz. elect. ℥ij.

Spir. vin. ut resina melius solvatur, ℥ji.

Coque omnia per momentum vase clauso, & maneat in fervida digestionem per bihorium. Colat. mens. iij. d. u. sign. quater de die sumat ℥iv.

Additis residuo decocti ℥iij. guajaci, & ℥iij. ligni sassafras, possunt coqui omnia per quadrihorium, ut supersit colatura mens. ij., quæ pro potu ordinario sumatur. Si autem ulcera venerea adsint, ea, tempore sudoris, foveantur calido hoc decocto secundario.

His ipsis lenius agentibus promovetur perspiratio insensilis, diaphoresis dicta; ut enim sæpius jam vi-
 di-

dimus, motum corporis localem lenem perspirationem promovere, motum majorem excitare sudores, ita iisdem remediis internis externisque, quibus sudor, sed & copiâ paucioribus, & virtute debilioribus, insensibilis perspiratio promovetur.

§. 1191. Hoc dictum est, præcedere oportere.

§. 1192. *Sudor & diaphoresis &c.*; sudores aut criticos, aut levantes etiam tempore cruditatis, vidimus in SEMEIOTICE. Hos turbare nefas: hos indicatos inceptosque a natura, nec pergentes, Medicum oportet vi lenissima aperientibus, diluentibus, blandissimo salino, aut acido stimulo, resuscitare & promovere. Oxy-mel cum aqua calida, cum lacte ebutyrato calido, cum fero lactis calido, cum infuso florum sambuci & pauxillo salis prunellæ hic sufficiunt.

Si vero pergât satis, Medico nil agendum est; si nimis sit, ut homo debilitetur, inminuto leniter stragularum pondere, vel calore potuum, inminuitur; aut decoctis, emulsive farinosis. Ergo, ut in omnibus, ita & hic *ἰστρος τῆς Φύσιος Θεραπευτής*. Si natura debilior, quam ut inceptum opus perficiat, juvabit eam; si nimia vi agat, moderabitur; si opus ipsa belle peragat, plane feriatur Medicus.

1) *A tenuitate materiæ morbosæ dispersæ, vel dispergendæ per omnia vasa: ut in peste.*

Nempe in quibusdam, ut animadvertimus hoc ipso capite de sudoribus ex SYDENHAMO: sed si sit pestis species, quæ generalibus antidotis queat inpediri, ne noceat sanguini, tunc sudores illi in peste minus indicantur. Tandem, si pestis sit ejus naturæ, ut, quamvis homines sudent, tamen moriantur, non indi-

cantur hæc remedia sudorifera, sed potius antidota generalia, in CAP. DE VENENIS explicata (*)

In morfu venenato, adplicatis adplicandis ad locum adfectum, sudorifera ex camphora, moscho, opio, egregie promovent vim omnem corporis ad locum adfectum, ut vis veneni pellatur foras.

Lue gallica subtiliore, nec fixata hæctenus; nam quum fixam sedem nondum habeat, potest eo facilius internis externisque antea explicatis auxiliis de corpore sudante expelli.

2) *A temperie singulari ipsius ægri*; qui sæpius ægrotans solebat sudoribus semper curari; vel qui in vita, ut quosdam reperire est, contra generales sanitatis regulas, sudoribus obnoxii sunt, & sani vivunt; ut *Epidem. 7. ægrot. 80.* erat TIMOCHARES, qui a febre cum catarrho & kephalalgia tertio die sudoribus judicabatur; quum in sanitate jam sudori adfuetus erat.

3) *A constitutione epidemica cognita*; modo prius bene examinaverimus, an, qui alio in loco epidemicus talis morbus grassatur, non habeat sudores copiosos a medicamentis & regimine calido: alioqui, prout est in multis locis consuetudo medendi, omnes omnino morbi indicarent sudatoria.

Sed, si sine ea perversa methodo morbus revera indicet juvari se, aut judicari, sudoribus, ut SYDENHAM aliquando, sed rarius, invenit, talia indicantur.

4)

(*) Notandum autem hic, magnam partem, si non maximam, pestem summum gradum febris putridæ esse; hinc cum sudoriferis cautius mercandum.
De W.

4) *Ab obstructionibus variis & ubique fere in toto corpore hærentibus resolvendis, maxime in morbis subcutaneis, scabie, psora fera, lue gallica ulcero-fa; ultimum ad n. 2. hujus paragraphi expositum; de tribus primis agendum.*

Habemus hic tres morbos notabiles, & sub eorum classem & alii rediguntur.

1) *Scabies, quæ sicca, vel humida.* Adparent in ea pustulæ parvæ miliares, quæ, si humidæ sint, effundunt liquidum albidum, flavum; si siccæ, nil ex iis liquidi exprimitur. Materies videtur sensim cum pustula concreta & crustacea reddi.

Ait CELSUS, l. 5. c. 28. §. 16. „ Scabies vero est durities cutis rubicundior, ex qua pustulæ oriuntur, quædam humidiores, quædam ficciores. Exit ex quibusdam sanies, fitque ex his continuata exulceratio pruriens serpitque in quibusdam cito: atque in aliis ex toto desinit, in aliis vero certo anni tempore revertitur: Quò asperior est, quòque prurit magis, eò difficilius tollitur. Itaque eam, quæ talis est, *ἀργίαν* Græci adpellant, id est, *feram*. “

2) *Inpetigo, sive lichen, divisa in quatuor species, recensetur a CELSO loco laudato:*

„ Minime mala est, CELSUS inquit, quæ similitudine scabiem repræsentat; nam & rubet, & durior est, & exulcerata, & rodit. Distat autem ab ea, quæ magis exulcerata est, & varis similes pustulas habet, videnturque esse in ea quasi bullulæ quædam, ex quibus interposito tempore quasi squammulæ solvuntur, certioribusque hæc temporibus revertitur. “

„ Alterum genus est pejus & simile papulæ fere, sed asperius, rubicundiusque, figuras, varias habens. Squammulæ ex summa cute decidunt, rosio major est, celerius & latius procedit, certioribusque etiam,

quam prior, temporibus & fit, & desinit: *rubra* cognominatur. “

„ Tertia etiamnum deterior est; nam & crassior est, & durior, & magis tumet; in summa cute finditur & vehementius rodit. Ipsa quoque squammosa, sed nigra est, proceditque & latet, nec tardat. Minus vero errat in temporibus, quibus aut oritur, aut desinit, neque ex toto tollitur: *nigræ* cognomen est. “

„ Quartum genus est, quod curationem omnino non recipit; distans colore; nam subalbidum est, & recenti cicatrici simile, squammulasque habet pallidas, quasdam subalbidas, quasdam lenticulæ similes: quibus demtis profuit sanguis nonnunquam. Alioqui vero humor ejus albidus est; cutis dura atque fissa est, proceditque latius. “

„ Hæc vero omnia genere maxime oriuntur in pedibus & manibus, atque ungues quoque infestant.

3) *Papulæ*; *CELSUS* *ibid.* §. 18. „ Papularum vero duo genera sunt. Alterum est, in quo per minimas pustulas cutis exasperatur & rubet, leviterque roditur, medium habet pauxillo lævius; tarde serpit; idque vitium maxime rotundum incipit, eademque ratione in orbem procedit. “

„ Alterum est, quam *ἀγρια* Græci adpellant: in qua similiter quidem, sed magis, cutis exasperatur exulceraturque, ac vehementius & roditur, & interdum etiam pilos remittit. “

4) *Vitiligo* *CELSUS* *ibid.* §. 19., eaque triplex: *alphos*, *melas*, *leuce*.

„ *Vitiligo* quoque, quamvis per se nullum periculum adferat, tamen & fœda est, & ex malo corporis habitu fit. Ejus tres species sunt “

„ *Ἀλφός* vocatur, ubi color albus est, fere subasper & non continuus, ut quædam quasi guttæ disper-

sæ videantur. Interdum etiam latius, & cum quibusdam intermissionibus serpit. “

„ Μέλας, colore ab hoc differt, quia nigra est, & umbræ similis. Cætera eadem sunt. “

Λευκή habet quiddam simile ἄλφω, sed magis albida est, & altius descendit; in eaque albi pili sunt, & lanugini similes. Omnia hæc serpunt; sed in aliis celerius, in aliis tardius. Alphos & Melas in quibusdam variis temporibus oriuntur, & desinunt. Leuce, quem occupavit, non facile dimittit. “

„ Priora curationem, non difficillimam, recipiunt: ultimum vix unquam sanescit; ac si quid ei vitio demtum est, tantum non ex toto sanus color redditur. Utrum aliquod horum sanabile sit, an non, experimento facile colligitur. Incidi enim cutis debet, aut acu pungi: si sanguis exit, quod fere fit in duobus prioribus, remedio locus est; si humor albidus, sanari non potest. Itaque ab hac quidem abstinendum est. “

5) *Intertrigo*, quando cuticula discedit a cute; unde partes nudæ cutanæ dolent: a causis internis oriuntur, & ab externis. — Ab externis, sic excoriationes ab equitatione, a decubitu diuturno, ab urina in infantibus, dum illa non satis ex mappis aufertur, sed continuo manet cuti adplicata. — Ab internis causis, intertrigo nascitur utrique sexui ad genitalia loca, & feminis usque in vulvam anteriorem (ubi cutis desinit & tantum epithelium præfens) cum pruritu intolerabili, & sæpe cum pertinacia ad omnia remedia.

Confunduntur porro nomina hæc sæpe apud Auctores; nec fere datur in explicandis omnibus his nominibus, eorumque divisionibus, confusio major. Id in præcedentibus ubique obtinet inter Scriptores practicos; id etiam patebit in sequentibus.

6) *Pfora fera* ex collectionibus Auctorum videtur esse species papulæ, nempe secunda, quam *ἀγρία*, *feram* nominant.

7) *Lepra Græcorum & Judæorum* adparet esse species vitiliginis albæ; tertia igitur vitiliginis species. Si legamus in *sacra Scriptura c. 13. lib. Levit.*, videtur lepra Judæorum hac tertia specie designari: unde & Christiani Auctores antiqui lepram in *Evangelio* descriptam *vitiliginem* nominant. ARNOBIUS Auctor tertii sæculi, Præceptor LACTANTII, in libris suis *pro defensione religionis christianæ contra Ethnicos*, “ unus fuit è nobis, inquit, cujus fœdæ vitiliginis iustitiam obtemperabant. . . Ille notas albicantium vitiliginum manu admota deterfit. ”

8) *Elephantiasis*, seu lepra Arabum, horrendissimus omnium cutaneorum morborum; in quo tota cutis tumida, aspera, sicca, contorta, plena pustulis, ulceribus; quem morbum ARETÆUS CAPPADOX graphice describit *c. 13. l. 2. de cogn. morb. diut.*, ut & *c. 12. l. 2. curationis diuturnorum*.

Præter hos octo cutaneos morbos dantur nonnulli alii, ut *tinea*, *achores*, *favi*, in facie & capillitio: qui ad scabiem humidam potissimum pertinent; quo & referuntur *therminthi*, *epinyctides*, *phlyctenæ*.

Anakephalæosis.

1) Scabies	}	ficca	I.	Tinea.		
		humida			2.	Achores.
					3.	Favi.
					4.	Therminthi.
					5.	Epinyctides.
					6.	Phlyctenæ.

- 2) Inpetigo, I. { Ut Scabies humida, exulcerata.
 five Lichen. 2. — — rubra;
 3. — — nigra;
 4. — — pessima, in qua albidus
 humor, cutis dura, fissa; pro-
 serpens latius.

- 3) Papulæ. { 1) Minimis pustulis cutis exasperatur,
 ac rubet, & leviter roditur; medi-
 um habet pauxillo levius; tarde ser-
 pit.
 2) *Αγγρα*, in qua similiter quidem,
 sed magis, cutis exasperatur, exul-
 ceraturque; vehementius & rodi-
 tur & rubet, & interdum etiam pi-
 los remittit.
 3) Herpes Græcorum videtur hæc pa-
 pula esse: sed quando sunt in sum-
 ma cute pustulæ, milii femina refe-
 rentes,
 Herpes miliaris vocatur. (*)
 4) Herpes esthiomenos incipit ut ignis
 facer, sed sine notabili inflammatio-
 ne, aut feбри exedit cutim. Vidi
 olim in pluribus infantibus; unus
 paucarum septimanarum inde periit,
 reliqui brevî convaluere.

L 4

4)

(*) Est differentia a *miliaribus*, nam ardorem & ca-
 lorem molestissimum habet, & biliosum fundit hu-
 morem. Sic aliquando ex erysipelate genitus hic
 her-

- 4) Vitiligo { 1) Alphas, alba.
 2) Melas, nigra.
 3) Leukos, adhuc albidior alphas: in hac tertia altior descensus est materię, in eaque albi pili sunt & lanugini similes: est pertinacissima.
- 5) Intertrigo; ubi cuticula a cute discedit, ut in exco-
 riationibus &c.
- 6) Pfora fera; videtur esse similis papulę secundę
 speciei, quam ἄγριαν, feram, nominant.
- 7) Lepra Gręcorum & Judęorum, quę est species
 vitiliginis albę, id est, vitiliginis 3 speciei.
- 8) Elephantiasis; seu lepra Arabum. (*)

Dif-

herpes in febris hemitritę; & sic facile distinguen-
 dus a nostris miliaribus. Vidi simile quid ali-
 quando in acutis. Proserpit malum ita, ut papu-
 lę innumerę junctę propagentur, & ubicunque
 se propagant, illico sunt confertissimę: miliaria
 sparsim magis nascuntur. Cęterum talis herpes
 miliaris terminatur intra paucos dies. V. hic
 omnino P. FORESTUM l. 5. c. 22. GALENUS
 l. 2. ad GLAUCONEM hujus herpetis miliaris
 meminit; FERNELIUS quoque. In exulceratio-
 nes facile abit.

- (*) *Tinea pustulę crustacę, manantes in facie in-
 fantum. — Achores manantia ulcera cutis capitis,
 perforantia tenuissimis foraminibus cutim, ex qui-
 bus*

Difficile admodum, describere morbos cutaneos varios, VV. memoratos; quum eodem nomine non omnes eundem intellexerint.

CEL-

bus glutinosa sanies effluit. — *Favus* priori similis, alio nomine dictus *Kerion*; in quo foramina paullo majora, & humorem quasi melleum continentia: unde nomen habet a favo mellis. — *Therminthi* sunt nigrae pustulae, in cruribus maxime orientes; figura, colore, magnitudine cicorem, id est therminthum, referentes. HIPPOCRATES saepe de his loquitur. — *Epinyctides* sunt efflorescentiae, seu exulcerationes, leves, superficialia, subrubrae, & asperae; ad noctem potissimum prurientes & molestae. — *Phlyctenae* sunt pustulae rubrae prurientes, & serosum quidpiam in se gerentes. *Phlyctenas* vocant etiam tineam faciei; vide FOREST. *obs. chirurg. l. 2. obs. 8.*, & ait herpeti miliarum similes; unde has & illum vulgus *wild vuur*, *springend vuur* adpellat — *Studiosus Mac-Jou* habuit inpetiginem in nosocomio: is curatus fere succo sempervivi majoris: perpetuo adplicata balnea prodesse vidimus. Curavi etiam annosam inpetiginem aqua decoctionis fœniculi, aqua decoctionis malvae, perpetuo adplicata.

Curantur omnia hæc saepe satis cito unguent. ubi Mercurius adest, aut sulphur, aut pix. Liquor picis subito sanat. Verum, quod BOERHAAVIUS adserit, asthmaticorum plurimam partem ex sanatis imprudenter tineis, achoribus, favis, infantum nasci, idem videmus quotidiana praxi verum. HOFFMANNUS plures tales in-

CELSUS fufus fatis in iisdem describendis ; fed pulcra ejus in describendo latinitas non est ita diftincta, ut figna pathognomica, aut fatis clara, det ad diftinguendum unum ab alio, & ad determinandam fpeciem fingulam. FERNELIUS, FORESTUS, PLATERUS, maxime hic confulendi, fed manet tamen incertitudo.

Vi-

fortunatos cafus habet afthmatis, cœcitatîs, baryckoïæ, convulfionum, epilepfîæ, a fanata tineâ &c. Vidimus & in nosocomio plures cafus. Habuimus puellam paralyticam a curatis achoribus ; nec reftitutam, nifi dum achores rediiffent.

Optima ratio curandi hos infantes eft, cerevifiâ butyraceâ faciem & caput bis de die lavare, & quarto quoque die, pro ratione ætatis, lene purgans dare ex rheo, lap. cancr. pauxill. fcammon. & gr. ʒ. Merc. dulcis. Hac methodo per plures menses continuata efficitur id, ut crustæ omnes decidant & ut cutis vel naturalis coloris fiat ; vel rubra quidem, fed ficca maneat ; utque nunquam mali quidquam a curatione oriatur.

Ignis sacer, ignis S. ANTONII, ignis S. MARTIALIS, apud GUIDONEM de CAULIACO, intelligitur herpes esthiomenos. AMATUS, & Alii omnem herpetem miliarem & esthiomenum ad eryfipelas malignum reducere. Etiam in herpete miliari habetur tenfio, ardor, dolor cutis, & deinde exulceratio ; in esthiomeno hoc pejus. Eryfipelas exulceratum carnes etiam adfcit, herpes tantum exulcerat cutem : ergo eft fecundum FORESTUM differentia. *De H.*

Vitiosa quoque passim explicatio est: omnia a bile diducunt, eaque magis minusve acri, flava, viridi, nigra; aliquid in levioribus a falsedine: tum denique in quibusdam ab acri sanguine, ad bilem accedente.

Sed 1) videmus, cutis in uno homine longe aliam esse naturam, ac epidermidis, quam in alio. Non cutim quasi, vel epidermidem, habent nonnulli, ut ab oleosis, emplastrisque hi locum illum plenum habeant pustulis maxime prurientibus; illi totum corpus quasi scabie humida perfusum. Quum interim alii denuo ferant ea omnia sine incommodo. Tamen in illis æque parum, quam in his, poterat bilis adcurari.

Deinde habeat unus homo excoarationem v. g. ab ungula felis, ab aqua regia, a causa quacunque externa, ab acicula vestibis infixis &c.; intra paucos dies sponte curatur, dum alius indiget multis septimanis. Organum certe tactus in uno firmiter, quam in alio videtur. Dicetis, id fieri ratione humorum; respondeo, non posse tamen adcurari in his plus quam in illis acre ex omnibus regulis artis adhibitis.

2) Est intertrigo certe passim a causa externa: hanc scalptu auctam in pustulas & exulcerationes abire novimus. V. V. tamen, ut PLATERUS, a sudore bilioso mordaci explicat intertriginem, quæ ad genitalia oritur, incessu frequentiori tempore æstatis facto. Quid ibi humor? Certe tota causa externa est.

Certe, si videamus robur cutis & epidermidis in uno, teneritudinem in alio, videtur idem humor, qui in uno facit scabiem, vel sudamina, *ιδρωα*, facere herpetem, scabiem ulcerosam, agriam, herpetem eschio-

menon &c. in aliis, pro conditione epidermidis & cutis.

Cæterum omnia possunt dividi in ea quæ

1) epidermidem tantum in siccas pustulas & squammulas mutant;

2) quæ pustulas humidas, albas, flavas, lividas, aquosas, sub epidermide producant;

3) quæ purulentas easdem reddunt;

4) quæ cutim & epidermidem in squammas abire faciunt;

5) quæ ulcera in cute producant;

6) quæ cutim & subjectum panniculum adiposum exulcerant, pilos albos reddunt;

7) quæ simul cutim densam, asperam, squamosam, duram reddunt, dum subtus omnia exulcerantur. (*)

Horum omnium cutaneorum morborum (*Cel. HAENIUS* nunc ait) minus periculi, quam molestiæ ac fœditatis habentium; multi quandoque facile curantur, multi difficulter, nonnulli vix unquam.

Multum interest, nosse, an sit semper vitium ex corpore interno extrorsum repens, & ad cutim sese deponens, an vero cum humoribus bonis sit vitium pro-

(*) Occasione imperfectæ hujus morborum cutaneorum enumerationis commendasse multum liceat opus egregium *Cel. LORRY de morbis cutaneis*; rem hanc omnem exactissime disquirentis; tum & doctrinam de morbis cutaneis *Cel. Viri PLENCK*; quam ante paucos abhinc annos in germanicum traduxi, additamentisque hinc inde nonnullis auxi. En tabulam synopticam dispositionis methodicæ operis *plenckiani*:

proprium, aut epidermidis, aut cutis; in quo vitio humores pravi fiunt, non quia ita de corpore interno procedunt, sed quia a vitiosa cute detinentur, cogunturque ut stagnent, adeoque ut corrumpantur.

Si effemus certi de hac re, saltem possemus tuto sine multa mutatione corporis interni topica optima adplicare.

Un-

MORBI CUTANEI

dividuntur

in

Classes quatuordecim.

- 1) Maculæ.
- 2) Pustulæ.
- 3) Veficulæ.
- 4) Bullæ.
- 5) Papulæ.
- 6) Crustæ.
- 7) Squammæ.
- 8) Callositates.
- 9) Excrescentiæ cutaneæ.
- 10) Ulcera cutanea.
- 11) Vulnera cutanea.
- 12) Infecta cutanea.
- 13) Morbi unguium.
- 14) Morbi pilorum.

CLASSIS I.

Macula.

Maculæ fusca.

Lentigo.

Ephelis.

Fuscedo cutis.

Flavedo cutis.

Maculæ rubra.

Gutta rosacea.

Stigma.

Erythema.

Lichen.

Mor-

Unguenta sulphurata passim profunt in specie leviore; in pertinacioribus unguenta parata ex axungia quapiam, cum Mercurio vivo in aqua forti soluto: quibus rebus fere semper cedunt plures cutanei morbi per artem sanabiles.

Verum id incommodi habent hi morbi, quodsi à causa interna procedant, ad cutimque curentur, longe tetriora mala nascantur. Non laudabo hic

Au-

Morbilli.
 Scarlata.
 Urticata.
 Maculæ venereæ.
 Efferae.
 Psudraciæ.
 Rubedo cutis.

Maculæ lividæ.

Ecchymoma.
 Livor cutis.
 Vibex.
 Maculæ scorbuticæ.
 Maculæ gangrænosæ.
 Petechiæ.

Maculæ nigræ.

Melas.
 Melasma.
 Noma.
 Nigredo cutis.

Maculæ albæ.

Alphos.
 Albor cutis.
 Pallor cutis.

Maculæ incerti coloris.

Maculæ maternæ.
 Maculæ artificiales.
 Cutis variegata.
 Cutis fucata.
 Cutis unctuosæ.

CLASSIS II.

Pustulæ.

Pustulæ.
 Scabies.
 Variolæ.
 Varicellæ.
 Therminthus.

GLAS-

Auctores quosdam; nam fere exstat Auctorum Practicorum nemo, qui non referat truculenta passim exempla. Hinc ardor Medicorum ad adhibenda talia remedia parumper tepescit & retunditur.

Li.

CLASSIS III.

Vesiculae.

Sudamen.
 Miliare.
 Hydatis.
 Vesiculæ crystallinæ genitalium.
 Uritis.
 Zona ignea.

CLASSIS IV.

Bullae.

Phyma.
 Bullæ.
 Pemphigus.

CLASSIS V.

Papulae.

Vari.

Grutum.
 Herpes.
 Cutis anserina.
 Tuberculum.
 Phygethlon.
 Elephantiasis.

CLASSIS VI.

Crustae.

Crusta.
 Eschara.
 Scabies capitis.
 Crusta capitis neonatorum.
 Crusta lactea.
 Tinea.
 Lepra.
 Mentagra.
 Malum mortuum.
 Exanthema labiale.
 Exanthema subaxillare.

CLAS-

Liquor picis, aqua liquoris picis, unguenta cum liquore picis parata, abolverent paginam omnem in multis cutaneis morbis; nisi agyrtarum audax inperitia trifissima exempla quoque subpeditaret.

Hinc *Cl.* noster *Auctor* potissimum laudat sudorifera, veluti ex sanguine eliminantia causam mali, & per poros cutis, una cum materie jam ad cutim stagnante & corrupta expellentia. Verum quia crustæ
cu-

CLASSIS VII.

Squamme.

Furfuratio.
Desquammatio.
Exuvia epidermidis.
Porrigo.
Inpetigo.
Ichthyosis.
Tyriasis.
Asperitas cutis.
Rugositas cutis.

CLASSIS VIII.

Callositates.

Callus.
Cicatrix.
Clavus.

CLASSIS IX.

Excrecentiæ cutaneæ.

Verruca.
Cornua.
Hystricismus.
Condyloma.
Frambælia.

CLASSIS X.

Ulcera cutanea.

Excôriatio purulenta.
Intertrigo.
Aphthæ.
Fissuræ.
Rhagades.

CLAS-

cuti innatæ sæpe sudorem inpediunt, oportet pannis fumo sulphuris inprægnatis hanc crustaceam cutim blande fricare longo antea tempore.

Sæ-

CLASSIS XI.

Vulnera cutanea.

Excoriatio cruenta.
Sciffura.
Pressura.
Morsus.
Punctura.
Ictus ab insecto.

Ecchymoma.
Gryphosis.
Fissura unguium.
Tinea unguium.
Mollities unguium.
Scabrities unguium.
Pterygium unguis.
Arctura unguis.
Deformitas unguis.
Lapsus unguis.

CLASSIS XII.

Insecta cutanea.

Phthiriasis.
Helminthiasis.
Malis.
Crinones.

CLASSIS XIV.

Morbi pilorum.

Alopecia.
Calvities.
Hirsuties.
Xerasia.
Trichoma.
Fissuræ capillorum.
Canities.

CLASSIS XIII.

Morbi unguium.

Seline.



Sæpe purgantia hydragoga, cum unguento sulphurato, vel cum sulphureis frictionibus, brevi auferunt malum: sæpe parum juvant.

Generales curas edidit quandoque Mercurius ad lenem salivationem datus.

Aqua picis ad pintam per diem epota.

Aqua marina ad pintam quovis mane epota; in cutaneis, in scirrhis colli, & œsophagi.

Decoctum antimonii & Mercurii hoc modo paratur:

℞. Antimon. crudi

Mercur. vivi ana ℥j.

Ligni guajaci ℥iij.

Ebull. aq. pur. per IV. horas, sub finem adde:

Rad. glycyrrhiz. ℥j.

Ligni Sassafras ℥j.

Infund. fervide per horam: detur colat. ℥iv.

Idem antimonium & Mercurius alteri decocto subficiunt.

Quater de die sumat æger ℥v.

Vitiliginem albam pertinacem, lepræ speciem, semel multa opera curavi in femina 30 annorum, per frictiones sulphuratas quotidianas, & usum copiosum internum sulphuris, tum & varia interna remedia; quorum præcipua, lapides cancrorum ad unc. I. in pinta vini albi gallici tridui spatio adsumta, & interpolatis horum sub usu purgantibus hydragogis ac mercurialibus. Verumtamen phthisi pulmonali brevi post curationem, lente, sine prægressa inflammatione occupata, biennio circiter deinde periit. Ecquidem non potui ex artis principiis tutius agere, semper inter-

interpolando purgantia; verum animo nonnihil inquietus semper fui; quum cutanei morbi quandoque citius a cute recedant, quam ut totum virus ex sanguine expulsum sit.

Decocta lignorum cum æthiope minerali novi desperatum cutaneum morbum curâsse; sed, an non potius decoctis, quam æthiopi cura esset adscribenda, vehementer dubito.

Veteres videmus usos multis tum rodentibus, tum adstringentibus; sed neque felicitatem magnam inde in praxi vidi.

Cura sudandi in pertinaci malo, quam hic *Textus* noster commendat, tutissima videtur: sed præterea decocta antimonii & Mercurii, etiam potatam aquam marinam Vobis peculiariter commendo, quando videtis, rem pro voto non succedere, sed esse pertinacem.

Occasione hac communicabo Vobiscum historiam notabilem, usui quondam futuram Vobis.

Divitis cujusdam Opificis uxor quadragenariâ major, hysterica, cæterum sana, mensibus, tum ordine, tum copia laudabilibus gaudens, medio Decembri 1751. molestum percipere incepit pruritus ad pudenda. Ineunte anno 1752. me primum vocat; quum intra 2., 3., septimanas ille pruritus horrende crevisset, doloremque intolerabilem, quia a scalpendo minime abstinere posset, adjunctum experiretur.

Jam ante me Chirurgus domesticus plura dederat purgantia, ipsasque partes aquâ rosarum & sambuci, tum injectione, tum fotu, frustra conatus erat lenire.

Quum aliis in casibus meæ praxeos felix fuisssem, speravi, & hic me futurum eodem modo Methodus hæc erat:

℞. Aq. rosar.

sambuc. ana. ℥x.

facch. Saturn. ℥j.

M. ut partes continuo hinc foveantur.

℞. Rad. lapath. acut. ℥ij.

Ebull. s. q. aq. per horam; tum adde

Fol. alexandr. ℥℞.

Mann. ℥i℞

⊖ polychrest. ℥j.

Colat. ℥xx. det. us.

ut sumat omni mane ter ℥ij; quo alvus perpetuo laxaretur; tum ad noctem bis, ter, sumeret cochl. fyr. diacod.

Hac methodo quum plures curáveram, putavi, & me hic adlaturum levamen; at frustra

Cœpit malum, post adhibita remédia per plures horas mitescere, & quotidie periodice ad statam horam tanta cum ferocia redire, ut femina fieret fere furibunda. Dum mala quæcunque, olim perennia & incurabilia, incipiunt remittere & ad certas periodos se componere; ut dolores validi & intolerabiles capitis, aliorumve membrorum, per corticem sæpe curantur, instar febris topicæ; hinc, quum pruritus ferinus periodos adfectaret, & quia hysterica temperies irritata hoc morbo solamen requireret, corticem dedi; qui etiam toti diathesi hysterica conveniebat. Sane per octiduum magna spes inluxit, dein iterum evanida prorsum. (An forte, *Cel. HÆNIUS* in margine codicis hic notavit, corticem nimis parce dedi? crediderim.)

Consulitur tunc veteranus famosus Medicus, me incio. Is respondet, quo fundamento, nescio, usû

se didicisse in prurigine palpebrarum molesta aquam vitriolicam egregie juvare; esse inter structuram pudendorum & palpebrarum convenientiam magnam: unde consulebat, aquam ophthalmicam vitriolicam adplicare pudendis.

Adplicuere porro eam illico; verum in furias acta femina est, debuitque omnino ab illa aqua vitriolica abstinere.

Tamen convenientia illa pudendorum cum oculis, à veterano Medico proposita, altas animis egerat radices: hinc primo domesticam aquam ophthalmicam adplicare tentant, infelici cum effectu. Immo vocant Medicum ophthalmicum, ut, qui curandis oculis celebrabatur, etiam morbum hunc pudendorum curaret: nam inter utrumque convenientiam magnam dixerat Veteranus: verum neque ille quid adtulit boni.

Ab aliquo tempore quum non adfuisssem, iterum adveniam rogant. Quum enormiter doleret a remediis stimulantibus, à Medico oculario toti vaginæ adhibitis, sedavi per aliquot dies malum injectu olei lini tepidi, & haustu opiato. Sedatum malum mox recruduit.

Cl. GAUBIUS consulitur: is putat, esse parva invisibilia animalcula, hanc partem obsidentia; inde abigenda unguento neapolitano, aliove mercuriali, & pulveribus ore adfumendis ex sulphure & æthiope minerali.

His non juvantibus *Cl. WINTERUS* consulitur; qui fere eadem, quæ *Cl. GAUBIUS*.

Interim tubercula labiis vulvæ & vaginæ anteriori parti innascuntur, quæ crescentia pus fudere; numero erant abscessuli duodecim. Tamen ne hinc quidem

dolorum levamen ; licet femina cæterum sana semper,
& debito tempore catamenia haberet.

Tandem adhibitum est sequens remedium :

℞. ☿ crudi ℥j.

aq. fort. ℥ij.

hujus solutionis gtt. v. vj. viij. in unam unc.
aquæ instillabantur & fovebantur inde
partes.

Mense Majo & Junio usa est unguento factò ex

unguent. alb. camph. ℥ij.

—— nutriti sine corpore ℥j.

☿. crudi ℥℞.

M.

Intereaque temporis mane & vesperi usa est
pilulâ cum uno grano Mercurii præcipitati albi.

Julio mense sumsit quotidie ℥xij. decocti anti-
monii crudi.

Malum igitur ab aliquo tempore paullo minus
ferox, demum post septem menses incæpit fieri to-
lerabile admodum, & usu continuo unguenti ultimi
demum conticescere.

Cuinam remedio potissimum auscultaverit, dubium ;
saltem unguentum mercuriale cum decocto antimonii
crudi fuere illa, quorum sub usu morbus curatus vi-
detur.

Nunquam ecquidem adeo infelix fueram apud
feminas Nobiles, quam apud hanc civem: tamen est
casus, qui Vobis in praxi possit obcurrere, idque in-

inter Nobilissimas; unde volui in illo enarrando paulo fusior esse. (*)

Cæterum satis prudentes eritis, ut cum hisce malis non confundatis pruritum illum, quem in locis

M 4

pi-

(*) Apud P. FORESTUM *l.* 29. *obs.* 27. in *scholio* habentur duæ felices brevesque curationes ex RHAZE, hujus mali, per unguentum hoc:

℞. Lithargyrii auri ꝑij.

Conterantur & per diem mittantur in acetum forte; abjiciatur tum acetum & novum addatur, ad sextam usque vicem. Ponatur per quadraginta dies cum sale (marino credo, nam nil additur;) postea dissolvitur in mortario, cum aceti s. q.; inspissatur hac opera, & tunc per trihorium conterendo alternatim admiscetur aliquantulum olei violacei & aliquid aceti, in loco calido; tum additur

camphoræ ʒj.

Sed, sine tam multo labore, quo alii hic utuntur, FORESTUS *l.* 28. *obs.* 50. plures, etiam cum satyriasi, curavit:

℞. Litharg. auri, per 24. horas aceto forti inpositi, ʒj,

Olei violac. q. s.

ut agitando fiat molle linimentum: aitque, id arcanum fuisse italici sui Professoris. *de H.*

pilosis excitant, utroque in sexu, fœdi illi pediculi dicti inguinales & axillares. Hi abiguntur passim unguento neapolitano.

Hucusque de sudorem indicantibus; sed quid, si sudor nimius? Non adjecit BOERHAAVIUS, uti in sequentibus semper addit, quid agendum, si evacuantia nimis agant: ergo addam.

1) Ablatione stragulorum; 2) exitu ex lecto; 3) aëre frigidiusculo, sicco; 4) potu mucilaginoso & farinaceo; 5) derivatione aliorsum per alvum, urinas. 6) Dantur casus, ubi sudor nimius malus; tamen sanguis spissus, inflammatus, dilutione & saponaceis indiget, & sitis summa adest, & simul summa debilitas. Respondet hic BOERHAAVIUS *Aph.* 64I. „Si vero valida sitis una comitetur summam debilitatem, tum vinosa, immo & sæpe spiritibus ditiora, prioribus miscenda, propinanda, tuto erunt.“ Dæt in *Mat. med.* hanc formulam:

℞. Syrup. limon. ℥ij.
 Spirit. vini puri ℥i℞.
 Vini rhenani ℥iv.
 Aq. commun. ℥xiv.
 M. D. S. Bibat pro potu.

Inl. COMMENTATOR hoc confirmat, 1) quia debilia vasa sic stimulantur, ne diffuant tenuiora liquida epota per lateralia vasa, & anasarcam, aut hydropem faciant: 2) leniter vasa adstringuntur, & roborantur, ne potus aquosi iterum sudore abeant. Adfert exemplum operariorum, qui fatigati & sudantes Ω vini, aut juniperinum sumunt, & post aquosa bibunt; minus tunc a copioso potu sudantes. Loco

☞ vini, ☞ citri, aurantiōrum, melissæ, matricalis, dari possunt.

Infusum salviæ cum vino, vel cum aqua, seu decoctum, egregie juvat homines cætera sanos, sed nimio sudore diffuentes: tenues humores condensat, laxa nimis vasa adstringit.

APOPHLEGMATIZONTA.



§. 1193.

Hoc explicuit, dum de læso olfactu sermo erat.

§. 1194. 1) a *gravedine* &c. Non in omni *gravedine*, nam illæ inde irritantur, nisi fiat per primam speciem apophlegmatizontōn, scil. per aquam calidam. Cæterum, ne quis erret, fortiora apophlegmatizonta irritantia membranam SCHNEIDERI in naribus faucibusque, cum levi inflammatione, ut in plerisque *gravedinibus* fit, inflammationem augent, efficiuntque, ne *gravedo* coquatur, & specie mucii crithice solvatur.

Verūm, dantur tamen species *gravedinum*, coryzarum, catarrhorum, sine inflammatione. Homines mucosi sunt, qui semel, bis, in anno totum systema narium fauciumque mucō plenum habent, & pituitam

abundantem crisi quadam hinc excernunt; ita ut per annum aut semiannum, denuo tolerabiliter gerant. Si vero solito anni tempore coryza deficiat, capite laborant & dolore gravante per omnia membra, disponunturque ad apoplexiam mucosam, aut lethargum.

Hinc capitis, quousque verum fit, coryzas, catarrhos a magno morbo præservare, ut in proverbio est. In his ultimis verum est, non in prioribus, quos inflammatio membranæ; SCHNEIDERI ex frigore captoprehendit.

Sternutatorio morbo; quando vel ab acredine falsa humorum, vel a pulvere hellebori nigri, aliove acri, aut pulvere, aut vapore, violenta sternutatio sequitur.

Pure per nares destillante; quod certo quidem modo fit, cocto catarrho; verum maxime in vitiis narium inflammationem sequentibus, neque adhuc cum corruptione integra membranæ ossiumve, stipatis.

Morbis oculorum lacrymosis; dum nos gravedo corripuit, tumet ita membrana narium, ut canalis nasalis nequeat se intra nares exonerare. Hinc, tumente sacco lacrymali & ductibus lacrymalibus, usque ad puncta lacrymalia, lacrymæ ultra non possunt absorberi, ideoque & oculos replent, & juxta genas defluunt. Apophlegmatizanta tunc indicantur, ut referatâ hac viâ lacrymæ denuo fluant; quò oculi ab inflammatione præserventur.

2) *a temperie ægri* &c.; ut mox dixi.

3) *a revulsione facienda a pulmonibus* &c.

Membrana narium fauciumque eadem est cum illa, quæ, glottidem intrans, per totam superficiem aëream pulmonis continuatur. Hinc, si multum mucii, aut acris feri, per membranam narium evacuetur, forte

hoc

hoc revellitur a membrana laryngis & pulmonis: maxime id juvare potest, si tota membrana hæc sit inflammata.

1) In *brancho*, sive coryza cum raucedine; a qua neglecta facile peripneumonia fit.

2) In *peripneumonia*; maxime si nares ac fauces siccae sint. Ars hippocratica jubet, hanc siccam narium & faucium membranam humectare, ut eo versus duci pars quædam materiæ possit.

3) In *phthisi*; eadem ob causam: iussa sunt HIPPOCRATIS, a Modernis fere neglecta.

4) *Gravedine pulmonali*; quando catarrhus mucosus est, sine raucedine.

§. 1195. *Excitatur fotu, vapore, vel decocto per nares adtracto*; aqua calida, spongiam admota ad nares, ut vapor inde continua inspiratione introducatur in nares faucesque: eadem aqua calida simplex, sive lacte mista, sive cum radice althææ similibusve emollientibus decocta, cava manu excepta, inspirando in nares adducta, perque fauces iterum explosa, multum hic juvat: humectatur enim hinc membrana tota, & continua applicatione inflammatio ejus emendatur, ut coryza citius maturescat. Hinc talis fottus convenit in gravedine, coryza, brancho, peripneumonia, phthisi. Convenit etiam in nimia sternutatione. Casus visi sunt hominum, qui ad mortem sternutassent ab helleboro, nisi tali emolliente & calido fotu, ac adtractione pulvis hellebori sublatus fuisset, & membrana contra ejus acrimoniam defensa: humectatione tali etiam plus mucii prodit ad involvendum.

2) *Ejusdem melle, aut saccharo paullo acrioris redditæ*: mel semper habet quid stimulans: ipsum saccharum, sal essentialis, facit stimulum. Unde, si te-

nax nimium fit mucus, stimulo tali aquæ addito fit quasi sapo abstergens. In nimio tenaci aut mucositate, aut pure; in tenacitate materiæ in ozæna narium, prodesse hæc possunt.

3) *Ipsis his herbis viridibus contortis, sicque in nares inditis*: betonica sic contorta & indita, irritando prolicit copiam magnam seri & mucositate, in mucosis corporibus. Betonicæ foliis convolutis & in nares inditis, utuntur illi, qui volentes tabaci usum relinquere, sic bis, vel ter in septimana mucositate & lymphæ copiam magnam proliciunt. Consueverant enim ope tabaci mucum multum, & nimium sæpe per nares excernere; relinquentes tabaci excretio consuetudine facit caput hebes, dolens, aliaque mala. Betonica restituit hæc, primo bis ter in septimana, dein semel, usurpata.

4) *Omni stimulo acriori, ut saccharo cando*, quo solo, in pulverem redacto, multum mucositate excernitur; stimulo enim leviter excretionem promovet.

5) *Sale marino; ammoniaco, pulvere antimonii, aut semicaustico ex tabaco acerrimo*; ut omnes experimur a pulvere tabaci, quo solemus copiam notabilem mucositate quotidie per nares derivare; quæ derivatio demum ita in alteram naturam vertitur, ut tabaco carentes languescamus, & spiritum vix ducere per nares possimus. Si vero quis consuetudinis pertæsus illico eam mutet, potest inde in magnos morbos incidere. Novi virum litteratum, qui hac de causa in incipientem apoplexiam cadens, fere mortuus fuisset, nisi noti ejus Medicum monuissent abrupti cito tabaci usus: unde Medicus inter alia remedia quoque apophlegmatizantia naribus continuo injecit, pulveresque insufflavit; hinc factum id, ut, prodeunte plurimo mucositate, mox levaretur.

§. 1196. *Sistitur*, si nimia sit, maxime si fortis sternutatio comitetur, & destillatio acris.

- 1) *lacte*, involvitur enim inde omne acre, irritans membranam ad excretionem & sternutationem;
- 2) *Suffumigiis blandis*, quibus nimis flaccida & mucosa membrana aperiatur, detergeatur, roboratur. Cæterum, uti dictum est, abusus nocent: unde, ubi nimis, sensim paullo minus tabaci fumendum.

§. 1197. Viro bis in anno lethali fere angina laboranti BOERHAAVIUS suavit, ut ad mali præludia olibani vaporem naribus inhalarèt, ac omni vespera dormiturus parum nitri linguæ inponeret. Nunquam postea malo hoc laboravit.

SIALOGOGA.

§. 1198.

Evacuatio salivæ magna & artificialis indicatur

- 1) a crisi tali; ut in confluentibus variolis, quando, ut sæpius jam vidimus, natura cum eruptione variolarum, aut brevî post, fortem & continuam salivationem movet, usque ad exsiccationis inchoamenta. In tali casu per collutiones emollientes oris, cum continuo potu emol-

emolliente naturam juvamus. Verum, talis crisis non in omni epidemicorum specie: erat in speciebus variis tempore SYDENHAMI. Ter autem Ipse epidemicotatis variolis interfui, in quibus passim omnes a confluentibus curabantur, sine crisi per salivationem percepta.

2.) *A singulari natura morbi, hærente imprimis ad glandulas; strumas, induratas parotides, bubonesque, scirrhus quoque mammarum voluere salivatione mercuriali curare; sed in obfirmatis scirrhis res tentata non succæssit; hæret ibi materies jam extra circulationis territorium. Idem tentavère, si materies morbi hæreret ad membranas adiposas, in vitiligine illa, quæ dicitur lepra Græcorum, sed sine effectu. Commendant & in elephantiasi; tamen hæc habetur passim incurabilis. Indicatur cum effectu in lue venerea, qua salivatione tunc quinque, sex libræ putridi liquoris de die exeunt ex corpore, per quatuor, sex, octo septimanas, & veteribus expulsis humoribus, oleoque corporis omni, jam homo & macilentissimus fit, & novis omnino repletur humoribus.*

3.) *A natura morbi epidemici; ut nonnunquam visum. Amstelædami talis quondam epidemicus morbus fuit, in quo servabantur nulli fere, nisi qui salivarent.*

Veteres plura de his scripsere; videte SENNERTUM Tom. 3. l. 2. c. 9.; P. FORESTUS. l. 14. obs. 23. temporum epidemicorum meminit, v. g. anni 1565. quando per tres menses frequentissimæ salivationes erant, malæ, quas auferri oportebat: verum & socrus suæ & alius feminae meminit, quibus vera crisis ptyalismo ingenti contingeret.

§. 1199. *Corpus eo præparatur &c.; ut adsit liquidi copia multa, & quæ hic simplicia laudantur, ea vim*

vim habent sanguinem adtenuandi, ut sit ad salivationem aptior. Hinc, si crisis per talem evacuationem fieri debeat, decocta bardanæ, scabiosæ, parietariæ, chinæ profunt. Si intentio sit, per Mercurium ptyalysimum tentare, præstat, per 1. 2. septimanas corpus implere decoctis talibus, additis farzaparilla, fassafra, fantalis; sunt adtenuantissima.

§. 1200. *Excitatur 1) collutionibus oris*; nam sic omnia oscula laxantur. Si quis sanus aqua tepida sæpe os colluat, invenit, salivam copia sibi maxima proritari; donec nimis diu faciendo vasa omnia exhauriat, & exsiccat.

2) *Manducatione lenta &c.*; hinc saliva multa prolicitur, si indicetur. Si quis vero ad gratum oris halitum perpetuo his simplicibus, vel factis ex iisdem, qui prostant, pastillis, utatur, ille penitus exsiccat. In aula gallica quondam mos invaluit inter Aulicos, ut mastichinos pastillos ore continuo volverent, ut gratum halitum haberent; verum sputatio salivæ frequens exsiccavit omnes, reddiditque melancholicos: unde merito Melancholicos HIPPOCRATES vocavit *σιαλογες* Epid. 2.

3) *Hauriendo vapores acres &c.* ut stimulo excitato in ore undique adfluant humores, more consueto ad omnem stimulum adplicatum.

4) Optimum est, si vini emetici unc. I. aquæ pinta I. misceantur; sumatur cochleare omni bihorio vel trihorio. Hinc vomitus non excitatur, sed levem permanentem nauseam producit, unde salivatio perpetua. Scitis enim, ante vomitum criticum nos observasse in SEMELOTICIS salivationem præcedentem; ita & a vomitorio mox acturo percipiunt homines prægressam salivationem. Si quis purgans cum horrore ceperit,

& quasi evomiturus est, os ipsi aquâ repletur, etsi etiam vomitus non sequatur. Vinum igitur emeticum, ita aqua mistum, est quandoque egregium deobstruens, modo leves nauseas, nullos vomitus, ciens: diuturno tempore continuetur: habet aliquid simile actioni kermētis mineralis, a quo etiam multi habent nauseas.

5) *Iis, quæ &c.* Hæc nunc ratio salivationis mercurialis, variis intentatæ præparatis. Hæc vel ore adsumuntur; vel specie unguenti corporis partibus musculosis adfricantur, vel formâ vaporum excipiuntur; in calida atmosphæra, in corpore bene repleto humoribus, tunc tantum salivæ, quantum volumus, educimus. Varia hæc præparata ex *Materia medica* nostis.

§. 1201. *Nimia salivatio minuitur &c.*: in principio videtur fere augere ptyalismum, sed sedando sensim inpetum, minuit illum.

2) *Sedando inpetum &c.*; hinc enim adtenuati humores spiffescunt & acrimonia metalli involvitur.

Addito prudenter diacodio, vel opio; ut omnis vis humorum minuat. Verum contigit mihi, ut, dum opio voluiffem sistere ptyalismum mercurialem nimium, ex obposito augerem. Reseratis viis aliis per opium, natura ad viam maxime patulam in ore suum inpetum convertebat. Hinc cura illa per opium anceps est: sistit quandoque salivationem; promovet aliquando.

3) *Revellendo - - - - ubi tamen summa prudentia opus:* vidi Mercurio ad alvum determinato libras sanguinis exivisse; plures novi inde mortuos. Unde durante salivatione semper gaudemus, alvum rarissimam esse. Nobilis Britannus se Chirurghi leydenfis, natione Galli, curæ ad ptyalismum submiserat: salivatio erat violentior quadam die: dabat Chirurgus purgans mane;

pur

purgatur violente inde: vocatus ad vesperam BOERHAAVE vidit nobilem juvenem mori. Ergo, si tempus sit, ut homo a salivando cesset, oportet alvum enematis, aut tantum pauca manna atque cassia, laxam servare, ut possit leni vi eo duci materies: cavendum autem, ne tota vis Mercurii eò ruat: si eò ruerit, opiatis largis opus est.

Verum in praxi videmus sæpe, fieri salivationes nonnunquam horrendas a dissolutione humorum. Vidi hoc in vidua septuagenaria, quæ, ac si Mercurio uteretur, salivabat: incrassantibus & obtundentibus, interpolando purgantia, vincebam quidem ptyalysmum, & conabar emendare tenuitatem humorum, sed incassum omnia; nam hydropica facta est ex eadem causa, & putredine aquarum periit.

Est & salivatio sæpe in dentitione infantum. Oritur ab inflammatione gingivarum; unde tunc undique humores ad diluendum adpellunt: diarrhæa oritur a continua deglutitione hujus abundantissimæ salivæ: hæc non est purgantibus curanda, sed tantum remediis gingivas demulcentibus, & lenissimis paregoricis.

HOLLERIUS in *Aphor.* 3—24. „Nostris pueris raro accidunt aphthæ, quia gallicanarum matrum & nutricum frigidius est lac & humidius. Sed aphtharum loco pustulas habent & ulcera serpentina per totam faciem, per caput, post aures, & multam præterea salivationem.“ Curabat mellis rosac. syrup. violar, ana ℥j. spir. sal. dulc. ℥ij., continuo ori adplicando. Scorbutica ulcerâ oris idem faciunt; similiter curantur, vel aliquando illitu unguenti ægyptiaci, & adplicatione adstringentium.

*

*

*

Capiti DE URINA UT SIGNO *adpendicis*
 loco subjuncti tentamina recentissima cum lotio
 humano capta ex Tractatu: *Physikalisch &*
chemische Untersuchung der thierischen Feuch-
tigkeiten von J. H. Weber, in. Tübingen,
 1780. Consultum omnino videtur, ut huic fe-
 ctioni nectantur, eodem ex fonte petita, versa &
 prioribus non minus notatu digna, experimen-
 ta, ac animadversiones circa SALIVAM.

Fontes liquidi hujus, analysi chemicæ jam subji-
 ciendi, *Cl. Auctor* primum ait, *Anatomico* cuivis
 noti sunt. Constat, salivam secerni 1) per *glandulas*
maxillares ex sanguine, per *ductus warthonianos* in os
 effundi; secerni 2) per *glandulas parotides*, atque ope
ductuum stenonianorum scaturire in oris cavum; 3) de-
 mum ex *glandulis* prodire *sublingualibus*.

Præter salivam, ex hisce fontibus principibus pro-
 venientem, alia adhucdum occurrit salivæ species, vis-
 cidior quidem priorî, ac mucosa magis, orta ex in-
 numeris glandulis labialibus, palatinis, lingualibus, e.
 f. p.

Dum homo in statu versatur naturali, sano, saliva
 nunquam non in os secernitur. Adfluxus hicce, dum
 loquimur, augetur, magis adhuc dum manducamus;
 quum glandulæ salivales musculis interjectæ sint. Situs
 hic

hic salivalium glandularum satis demonstrat, liquidum hoc destinatum esse, ut, ceu necessarium quid, admisceatur cibus, minime vero humoribus excrementiis fore inferendum.

Ex chemico & physico salivæ examine patebit, eam vi craseos principiorum suorum pro summe essentiali ac necessario in œconomia animali liquore habendam esse.

Tentamen I. Inmisit *Cl. WEBER* retortæ vitreæ, duarum mensurarum capaci, uncias decem salivæ, matutino tempore, jejuno prorsum ab omni cibo, aut potu, corpore collectæ. Ne forsân saliva hæc putredinis quemdam subiret gradum, in loco frigido tandiu fuit adservata, donec decem unciaë forent obtentæ.

Retorta balneo arenæ inposita, nexum firmiter excipulum; operatio calore lenissimo instituta, quum alias plurimum intumescere solet calore majori torta saliva, adeo, ut, lotii humani adinstar, collum amplissimæ retortæ transscendat, & irritum reddat experimentum.

Lentissime successit operatio; tum, quod calor requisitus ad desillationem, foret lenis; tum, quod aquosum principium in saliva cum pinguibus ejusdem partibus sat arcte nexum sit.

Quæ primum in excipulum transgressa fuerunt fluida, odore carebant omni, ac sapore: omnia, queis subiciebantur, pericula chemica non nisi aquam demonstrarunt puram.

Quantum possibile erat, laticis hujus aquosi, calore nunquam non lenissimo, fuit evocatum, donec residuum ad ficitatem videretur deductum. Latex omnis obtentus æquabat uncias octo cum sex drachmis. Adplicatum jam retortæ aliud excipulum.

Auctus calor balnei: natæ in collo retortæ guttæ subflavæ, collectæ in excipulo, sex drachmarum dosi exhibuerunt.

Spiritum volatilem alkalinum fluidum nunc descriptum odore retulit; syrupum violarum colore tinxit viridi; efferbuit cum acidis; cum acido muriatico concre in sal vit ammoniacum.

Distingui poterat liquido eidem innatans tantillum olei, nonnihil flavicans, odore empyreumatico infectum.

Massa in retorta residua, texturæ rarioris, levis, friabilis, subgrisea, unciam fere dimidiam æquabat. Soluta in aqua pura; separatum, ope chartæ emporeticæ, liquidum limpidum ab admista terra, in acido nitroso vix non ex integro solvenda.

Qui chartam transierat liquor salsum in lingua excitavit saporem; solutam in acidis Lunam, solutam cerusam, inde dejecit; in Lunam illam corneam, hanc in Saturnum corneum

Admistus solutioni Mercurii sublimati corrosivi, subflavescentem produxit colorem.

Solutioni vitrioli Martis, solutioni vitrioli Veneris instillatus, præcipitatum dedit, colore albo donatum.

Tent. 2. Missæ per chartam bibulam unciam decem salivæ; expositæ tum calori leni in vitreo puro vase, cujus orificium epistomio chartaceo obseratum.

Elapsis sex octove diebus, liquor turbidus, antea, aquæ instar, diaphanus: odor maxime nauseosus, volatilis, in fundo vasis nonnihil sedimenti.

Saliva hæc putrescens submissa destillationi, uti in *Tent. 1*) ex retorta vitrea, eadem encheiresi, ope ignis plurimum remissi.

Expulsâ solum unciam unam liquidi, sejunctum excipulum; nexum aliud.

Liquor evocatus spiritum debiliorem alkalinum retulit; omnibus etiam instructus spiritus salis alkalini volatilis, ex urina putrida per destillationem obtenti dotibus.

Latex insequens ab aquâ pura vix diversus. (*)

Massa in retorta residua, phænomena exhibuit, quæ in *Tent. 1.* fuerunt adnotata.

Tent. 3. Unciæ decem salivæ recentis mistæ cum uncia una calcis vivæ; unde illico extitatus odor volatilis, nares fortiter feriens. Facta miscella in retorta vitrea, ut confestim adponi posset excipulum.

Ope caloris moderati expulsa uncia una, nonnihilque magis, humidi, cum acidis quidem non luctantis, cætera vero omnibus alkalini spiritûs fortioris dotibus præditi.

Residuum id peculiaris obtulit, quod, in aqua solutô hoc, separatum denuo per filtrum liquidum ad fundum deponat, si sal jungatur alkalinum, terram albam, in acido nitri, non vero in acido vitrioli, referendam.

Tent. 4. Destillata saliva prorsum putrida ex retorta vitrea, calore leni, donec prodiens liquidum nullum amplius spiritûs alkalini præberet indicium.

Sejuncto hoc omni, residuo admista uncia una calcis vivæ; conquassata miscella denuoque destillationi commissa, excipulo alio addito.

Obtenta sic uncia adhuc semis spiritûs alkalini sat fortis; priorî, qui abs addita calce viva expulsus, fortioris; eâ solum intercedente differentiâ, quod hæc effervesceret cum acidis, tranquillum illâ ineunte connubium.

Tent. 5. Saliva recens mista cum aqua calcis saturata, recenti; dejecta inde calx.

N 3

Idem

(*) Verba AUCTORIS sunt: der folgende Liquor war nicht viel mehr, oder weniger, als Wasser.

Idem oritur phænomenon , si saliva putrida adhi-
heat experimento.

Tent. 6. Sacchari Saturni , sive acetô destilla-
tô , sive acidô nitri parati , solutio aquosa , insillatâ
salivâ , etsi putredinem nondum passâ , Saturnum corne-
um magna copia dimittit.

Tent. 7. Solutio Lunæ , aquâ forti facta , clarifi-
cata , cum saliva recenti mista ; eâdem , uti plumbum ,
dejicitur ratione , Lunam corneam dimittens ex ample-
xibus.

Tent. 8. Mars ex solutione aquosa vitrioli viri-
dis , per additam salivam recentem , præcipitatur.

Tent. 9. Solutio etiam aquosa vitrioli cyprii per
salivam recentem turbida redditur ; elapso aliquo tem-
poris intervallo ex albo-griseum præcipitatum ruit ad
fundum.

Tent. 10. Solutio aquosa succi inspissati heliotro-
pii tricocci (Lafmus) per salivam recentem non muta-
tur.

Tent. 11. Misti cum saliva recenti violarum
syrupi color illico non mutatur ; elapsis aliquot diebus
color elegans syrupi cæruleus mutatur in novum , in-
ter viridem & cæruleum dubium.

Tent. 12. Saponis in aqua solutio per salivam
non mutatur.

Tent. 13. Solutio aquosa scoriarum reguli antimo-
nii , per chartam emporeticam depurata , ab addita sa-
liva non adficitur.

Tent. 14. Saliva recens per chartam emporeti-
cam filtrata , mista cum solutione salis alkalini fixi , (*)
non

(*) Auctor ait : mit einem Lianor von fixem Laugenſalze ; an
fo-

non efferbuit; saliva turbida, nonnihil viscidior reddita; demum flocculi fundum petierunt vasis.

Additum miscellæ acidum nitrosum, expulsi jam flocculis albis; diaphana inde reddita, soluti flocci.

Idem acoris vitriolici, cum saliva eadem mista juncti, effectus; ea solum disparitas, quod miscella post aliquod tempus denuo redderetur sponte sua turbulenta.

Tent. 15. Saliva recens missa per chartam bibulam, cum aliquot guttis olei vitrioli mista, sedimen album deponit, acido nulli patens.

Tent. 16. Saliva recens leni calore ad mellis consistentiam inspissata, cum oleo vitrioli (qua dosi? *de W.*) in retorta vitrea mista, sub initium leniori, tum majori æstu torta, dimittit spiritum salis muriatici, cum sale alkalino vegetabili sal digestivum, cum alkali minerali sal muriaticum, genuinum, cum alkali volatili sal ammoniacum, largiens. Notandum simul, olfactum detegere quoque spiritum sulphuris volatilem.

Tent. 17. Mista saliva pellucidissima, recens, cum spiritu alkalino, ope cinerum clavellatorum ex sale ammoniaco expulso; nata quidem nulla effervescencia, aut lucta liquorum, sensim tamen turbulencia enata, miscella opaca reddita; terra alba fundum vasis petiit.

Terra hæc in acidis solvitur; solutio tamen per oleum vitrioli facta, diaphana non manet, sed uti in *Tent. 14.* (per errorem typi *Tent. 13.* hic citatum) dictum fuit, sese gerit.

N 4

Tent.

solutionem aquosam salis alkalini fixi vulgaris, magis aut minus saturatam, an spontaneum illius deliquium, oleumve sic dictum tartari per deliquium, intellexerit, ex voce hac generali non patet. *De W.*

Tent. 18. Per spiritum salis ammoniaci volatilem, qui ope calcis vivæ expulsum fuit, hinc ipse causticus est, salivæ recenti admistum, nulla producitur præcipitatio, nil mutatur.

Tent. 19. Saliva exsiccata, cum anatico pondere cinerum clavellatorum depuratorum mista, tum ad requisitum gradum calcinata, lixivium præbet phlogisticatum, Martem in cæruleum berolinense dejicientem.

Tent. 20. Adferuerunt aliqui, quodsi aurum ac Mercurius cum saliva terantur, aurum solvi, Mercurium figi; utrumque mihi non successit.

Tent. 21. Cibi masticati, aut cum saliva remissis, tumque in vitreo vase adservati, calore leniori citius multo abeunt in fermentationem, aliis, sine saliva addita fermentationi subiectis.

Tent. 22. VERHEYENII experimentum imitatus miscui partes duas farinæ triticæ cum parte una salivæ; partes duæ aliæ farinæ hujus cum aqua pura redigebantur in pastam: utraque miscela, vasi vitreo commissa, exponebatur leni calori: miscela prior citius multo fermentationem subiit alterâ.

Tent. 23. Saliva recens cuprum ferrumque solvit, si metalla hæc per aliquod temporis spatium in illa adserventur.

Tent. 24. Saliva recens cum oleo in vase vitreo probe conquassata, liquidum exhibet, lac adspectu referens.

Idem oritur phænomenon, si panis, butyro, aut pinguedine, inunctus, diu masticetur.

*Conseſaria**ex tentaminibus cum saliva institutis.*

Auctores multi salivam, uti & bilem, pro substantia habuerunt, saponi analogam; pro liquido scilicet sumserunt, ex sale alkalino partibusque oleosis exactissima crasi junctis, composito. Adsumserunt hoc de omnibus illis corporibus, quæ apta nata sunt, oleosas partes cum aquosis uniendi; atque hinc sensu proprio liquorem vocant saponaceum.

Attamen per omnia mea tentamina nullum in saliva deprehendere potui sal alkalinum fixum, cum partibus pinguis, oleosis, nexum, seu iisdem ligatum; multo adhuc minus prorsum liberum, ac nullo alio corpore mistum, ex saliva sejungi valet.

Sed & sal volatile alkalinum, in saliva manifeste adeo demonstrandum, partim acido, partim fixo sale ligatum est. Quodsi enim saliva sapo foret; seu, si salia alkalia fixa & volatilia in eadem pinguis aut olei ope mutuo soluta essent, miscella hæc, uti in sapone, sive volatili, sive fixo sale alkalino facta sit, disjungi deberet, quamprimum adderetur corpus, majorem adfinitatem cum salibus alkalinis fovens, quam quæ salia hæc inter ac pingue, seu oleum, intercedit; sal nempe acidum. Id vero non contingit. Nulla obcurrit experientia, ubi sejunctum ex saliva in conspectum prodisset pingue quoddam corpus, post miscellam salivæ cum sale quodam acido.

Ex tentamine primo, quod exhibuit, per residuum a destillatione salivæ, in aqua solutum, argentum & plumbum in aqua forti soluta dejici, in solutione aquosa Mercurii sublimati corrosivi colorem subflavescentem excitari, demumque ex solutione etiam vitrio-

li ferri ac cupri præcipitatum album exturbari; ceterò concludendum videretur, in capite hocce mortuo, hinc & in ipsa saliva, sal contineri alkalinum fixum.

Plane tamen erronea foret hæc sequella; præcipitatio siquidem argenti atque plumbi ex aqua forti debetur sali muriatico, seu acido muriatico, in saliva contento; aut sali ammoniaco, quod saliva pariter recludit, uti ex dicendis patebit. Demonstratur hoc ex eo, quum ambo illa metalla per caput idem mortuum dejiciantur in Lunam corneam ac Saturnum corneum.

Erroneum pariter foret, si quis adsumeret, præcipitatum ex vitriolorum solutione obtinendum produci a sale alkalino fixo, in capite mortuo salivæ contento.

Præcipitatum hoc debetur alteri causæ, prout etiam ex subsequenti elucescet. In saliva adest terra calcarea, per acidum muriaticum soluta: terra hæc calcarea unitur cum acido vitriolico vitrioli in gypsum, quod fundum petit vasis; quum nil adsit, a quo gypsum hoc sustineretur solutum.

Acidum autem muriaticum, partim, vel & ex integro, terrâ calcareâ privatum, solvit metallum, quod per terram calcaream ex salibus vitriolicis fuerat dejectum.

Unicum phænomenon, quo vestigium salis cujusdam alkalini fixi in saliva contenti indicari adhuc posset, illud est, quod in solutione Mercurii sublimati corrosivi aquosa color aliquantum flavicans generetur; quod tamen & inde venire poterit, si terræ calcareæ quid ab acido suo secedere queat, à quo antea in saliva hærebat solutum, ac si terra hæc per ignis æstum in statum causticitatis deducatur: quod quidem in distillatione salivæ, imprimis dum sub finem ignis vis in-

tenditur, haud impossibile est; quum idem adpareat, si solutio terræ calcareæ per acidum muriaticum igne violentiori destilletur. Secedit tum acidum muriaticum a terra calcarea, atque terra hæc æstu continuato caustica evadit.

Ex reliquis phænomenis destillationis hujus patet, 1) partes constitutivas salivæ arcte satis invicem necti, ac ne aquam quidem lubenter inde recedere: 2) aquosa liquida maximam partem craseos salivalis constituere: 3) in saliva contineri partes oleosas, salque alkalinum volatile.

Interim tamen evictum nondum est, quo corpore sal volatile alkalinum, sub finem demum destillationis, igne admoto vividiori, crasin salivalem relinquens, in saliva ligetur? Ligari autem quodam corpore, certum est, alias enim ad initium operationis, ante aquosa adhuc liquida, prodiiisset extricatum, & sub primam caloris actionem petiisset excipulum: sal volatile alkalinum in corporibus, unde fugatur, delitescere naturaliter; ignis æstu, opeque miscellæ aliorum corporum nullô pacto productum; inter Chemicos hujus ævi est evictum.

Sal alkalinum volatile in corporibus ligatur:

- 1) per acidum vitriolicum,
- 2) per acidum muriaticum,
- 3) per acidum vegetabile,
- 4) per acidum nitrosum.

Ab acido primo sal alkali illud sponte, sola propulsus ignis vi, recedit; ast nullum in saliva demonstrari valet acidum vitriolicum.

Si cum acido nexum foret muriatico, una cum hocce acido pariter petiisset summa, salque ammoniacum adfixisset collo retortæ; quum corpus nullum adfit,

fit, quos miscellam hanc spiritus alkalini volatilis cum acido muriatico posset disjungere.

Si autem sal hoc volatile nexum esset acido vegetabili, ambo simul, unà cum liquidis, destillatione ferment in excipulum propulsa.

Cum acido demum nitroso unitum ideo esse nequit, quum miscella hæc in retorta detonationem excitaasset.

Quodsi sal alkalinum volatile, ceu sapo starkeyanus, seu ligatum partibus oleosis, delitesceret in saliva, id inde patere deberet, si admisceretur salivæ acidum; tum enim deconponenda esset talis unio, sal volatile amplecteretur acidum, atque oleum incumbere summitati liquidorum salivalium.

Vel ex hisce jam elucet, ipsas oleosas partes ope salium alkalium cum aquosis in unum corpus in saliva non jungi; uti quidem credere quis posset, & revera creditum antea fuit: sal enim alkali fixum, ut *fixum*, in saliva non deprehenditur, & quodsi etiam adforet, crasis salivæ per adjunctum acidum, uti diximus, mox deconponeretur.

In Dissertatione mea *de fermentatione* quæstionem proposui — — quo vinculo in alkohole oleosæ partes cum aquosis nectantur? atque demonstravi tum argumentis vero valde similibus, vinculum hocce nil nisi aërem fixum posse constituere.

Hoc ipsum ligans & in saliva adsumi debet, non quidem ex eo, quod nullum aliud inveniri ibidem queat; sed quod cernamus, in fermentatione corporis cujusdam ad usque putrefactionem nunquam non sejungi inde aërem, atque prout hæc recedit, non solum liberari sal alkalinum volatile, sed & terram partesque oleosas ex liquido sensim extricari.

Aër hic exacte adeo cum corporibus est unitus, ut ope antliæ pneumaticæ extrahi, adinstar aëris communis atmosphærici minime inde queat: solus calor aptus natus est, ut illum sensim vinculis suis exuat, elasticum reddat, ac expellat. Quod vero aër remissus non nisi sensim perficit, id ipsum candescentiæ ignis citius præstat; aërem fixum illico in motum deducit, prorumpit hic ex corporibus, atque salia volatilia alkalina, una cum oleosis partibus, simul fugiunt liberata.

Aëri nunc dicto tribuenda pariter est maxima expansio, quæ sub destillatione cornû, aut unguularum, ut sal inde obtineatur volatile alkalinum, observatur. Rarefactio hæc tanta est, ut, maximis licet excipulis, vapores, hac sub operatione prodeuntes, coerceri colligique nequeant. Non tamen adeo violenta amplius est, dum alkali volatile, per destillationem cornuum jam obtentum, rectificatur.

Aër itaque fixus nulla ratione pro *petitione principii* habendus; corpus constituit verum essentielle in humoribus humanis aliisque corporibus: sine aëre fixo corpus non foret id, quod revera est, atque deperditione illius corpus, jam tardius, jam velocius, in corruptionem (*) tendit; prout nempe aër hic tardius, aut velocius ex crassi corporum evolvitur.

Secundum experimentum demonstrat præsentiam salis alkali volatilis in saliva: salia enim alkalia volatilia non per putrefactionem primum produci, sed vere in corporibus existere, in quibus post putrefactionem

(*) Hæc verba in libello AVCTORIS denuo desiderantur.

nem, & hac durante, deprehenduntur, evictum nunc jam fatis habetur.

Tertium experimentum indicat, per calcem vivam sal alkali forte ex saliva recenti liberari; quod tamen solutiones nullas terrarum in acidis factas præcipitat.

Concludendum, secundum principia vulgaria Chemiæ, hinc foret illico, in saliva verum sal ammoniacum recondi: quum tamen per tentamen primum, mediante igne vivaciori sal ejusmodi non obtinuerim, quod tamen accidere debuisset, si sal alkali volatile acido muriatico junctum in saliva contineretur; (*) conclusio illa non valet.

Aliô acidô sal volatile alkali salivæ ligatum pariter esse nequit; si enim acidum vitrioli vinculi obiret vices, vestigia hujus acidi deberent detegi, calx in gypsum foret versa, nec ab acidis amplius deberet solvi, prout tamen fit, dum salivæ jam fuerat admixta, atque sal alkali volatile exin fugaverat.

Si junctum foret acido nitroso, salis ammoniaci hæc species sub destillatione salivæ detonaret, igne validiori ad siccitatem usque deducta.

Cum acido demum vegetabili si esset nexum, una cum acido hoc comitaretur prodeuntia sub destillatione liquida.

Vero itaque simillimum, quin & certum plane habetur, acidum non esse, quô alkali volatile in saliva ligatur; tum, sine auxilio corporis alterius, aut
pu-

(*) Totâ sequens, quæ ex præmissis utique fluit, in libello denuo obmissa conclusio. An vitiô Typothetæ? — *De W.*

putrefactionis, id non extricari, aut sensibus percipi posse.

Hinc, quod jam supra monui, etiam hic patet, sal hoc volatile alkalinum in saliva recenti per aërem fixum adeo ligari, ut per sensus illud capi nequeat. Dum vero per calorem lenem in putrefactione aër fixus salivæ in motum deducitur, ac elasticus redditur, recedit a sale volatili alkalino aliisque corporibus, quibus hærebat adnexus, tumque mirum plane non est, si tunc primum alkali volatile in saliva percipiatur, quando putrefactionem jam subivit.

Quod caput mortuum a destillatione salivæ residuum, per sal alkali fixum præcipitari queat, demonstrat, præter sal muriaticum etiam acidum muriaticum, terræ calcareæ junctum, salivæ inhærere. Horum binorum salium origo facile perspicui poterit, si cogitemus, homines singulis diebus non solum sal muriaticum vulgare, sed & cum hoc aliam ejus speciem corpori ingerere, acore muriatico, terræque calcareâ compositam, quæ fixo æque ac volatili alkalino sale dejici valet.

Tentamen quartum indicat, aërem fixum per putrefactionem salivæ nondum plane expulsam inde fuisse, sed remansisse adhuc aëris hujusce partem, quæ partem salis volatilis hæctenus ligans, per calcem autem vivam demum liberetur. (*)

Quod

(*) In libello AUCTORIS sequitur hic locus sequens: daß aber der flüchtige Lauggeist, der vermittelst des äzenden Kaltes aus dem Speichel ausgetrieben wird, kann man aus meiner Abhandlung vom Kalte und den äzenden Körpern deutlich lernen. Desselte hic denuo videntur quædam, aut erroribus typographi-

Quod ab aqua calcis recente, per experimentum quintum, tum saliva recens, tum putrida præcipitur, aut, ut clarius loquar, calx viva caustica in aqua calcis denuo vertatur in crudam, hincque ex aqua recedat; demonstrat præsentiam oleosarum pingiumque partium in saliva manifestissime; nam, uti in ante adducta dissertatione demonstravi, quod calx viva non per aërem fixum, uti *Cl. BLACK*, aut per acidum causticum, uti *Cl. MEYER* adseruit, sed solum per partes pingues in crudam denuo reduci possit, præcipitatio hæc, aut crudescentia calcis vivæ in aqua calcis oleosis unice partibus salivæ adtribuenda est, quibuscum calx viva connubium inivit.

Tentamen sextum, & septimum aperte demonstrant existentiam salis muriatici in saliva.

Ad octavum nonnunquam tentamen, queis expositum, vitriolum ferri & cupri per salivam recentem nonnihil præcipitari posse, quæ antea de hoc præcipitato dicta fuerunt, repetenda sunt: hac scilicet præcipitatione sal nullum alkalinum liberum in saliva demonstrari; nulli namque alteri causæ præcipitatio hæc debetur, quam terræ calcareæ salivæ, ab acido muriatico solutæ. Cum hacce terra unitur pars acoris vitriolici in gypsum, quod præcipitatum hoc in hac miscella constituit.

Ten-

phicis metamorphosata; nam, si subponamus solum verbum sextum der esse superfluum, totum nondum ideo clarius redditum; quum sine citatione *Dissertationis de calce & corporibus causticis* noverimus, per calcem vivam spiritum alkalinum volatilem ex saliva expelli. *De W.*

Tentamen decimum demonstrat, in saliva recenti nullum adesse acidum; alias enim solutio succi inspissati heliotropii tricocci color cæruleus in rubrum verti debuisset.

Color syrugi violarum, per tentamen undecimum ideo non mutatur, quod neque liberum acidum, nec liberum alkali in saliva deprehendatur; quod autem, elapso aliquo tempore, in viride tamen non nihil inclinet, ratio est, quod saliva initia putrefactionis subierit, hinc salis alkalini volatilis quid liberatum sit, a quo color cæruleus syrugi parum mutatus.

Experimento duodecimo, quod sapo per salivam non coagulatus fuerit, ac decimo tertio, quod Mercurium sublimatum corrosivum non dejecerit, evincitur, in saliva nullum adesse acidum liberum.

Ex tentamine decimo quarto manifestò cernimus præsentiam terræ calcareæ in saliva, eamque esse solutam ab acido; idem evincitur per tentamen decimum quintum, vi cujus terra hæc cum instillato salivæ oleo vitrioli gypsum largitur.

Præsentiam acidi muriatici in saliva demonstrat tentamen decimum sextum.

Tentamen decimum septimum decimo quarto plane accedit, terram pariter in saliva exhibens calcaream.

Quod per tentamen decimum octavum nulla præcipitatio ex saliva oriatur, si cum spiritu alkalino volatili caustico misceatur, ratio est, quod salia volatilia caustica terram nullam ex acidis dejiciant.

Quod, per tentamen decimum nonum, saliva exsiccata, cum cineribus clavellatis, aut sale tartari, calcinationis ope lixivium præbeat phlogisticatum, a quo ferrum colore cæruleo præcipitatur, existentiam olei animalis in saliva evincit.

In tentamine vigesimo primo, & vigesimo secundo aër fixus primas obtinet. Aër fixus corpus illud est, quod in omnibus fermentationibus præcipuum tenet locum: quò major aëris hujus quantitas in corporibus adest, eo vividius citiusque fermentatio procedit; dummodo non deficiant circumstantiæ simul agentes. Hæc pariter ratio, cur substantiæ fermentationi subeundæ aptæ natæ, citius multo meliusque fermentent, si cum saliva misceantur.

Adferit *Celeb.* BÖERHAAVIUS, Indos Americanos potum palato illorum gratissimum, inebriantem, methodo huic populo peculiari, conficere. Vetulis nempe incumbit, ut frumentum americanum masticent, & pulvem inde natam, una cum saliva copiose admista in vas exspuant terreum, huic fini destinatum. Liquidum hoc præstans cum aqua dilutum coquitur, & ad fermentandum reponitur.

Ex tentamine vigesimo tertio & vigesimo quarto suspicari denuo deberemus salis liberi alkalinii in saliva præsentiam, ceu remedium, quo partes olei ac butyri pingues cum partibus aquosis salivæ exacte uniantur, ac succum simul constituant lac referentem.

Attamen per omnia tentamina sal hoc liberum alkalinum in saliva recenti detegi non potest.

* * *

Ex omnibus, quæ hucusque per experimenta & inde deductas conclusiones circa salivam fuerunt adlata, adferi cum multo fundamento potest, liquidum hoc ipsum partibus conponi sequentibus:

- 1) aquâ purâ;
- 2) partibus oleosis;
- 3) aëre fixô;
- 4) sale volatili alkalinô;
- 5) terrâ calcareâ;
- 6) sale genuinô muriaticô;
- 7) sale, ex acido muriatico, terraque calcarea concretô.

Partium harum, seu corporum nunc enumeratorum, quæ crasin liquoris absolvunt, quem *salivam* dicimus, non nisi priora quatuor ceu principia vera constitutiva habenda sunt; reliqua duo ad vires ac dotes liquidi salivalis nil plane faciunt; accidentalia solummodo sunt, hinc pro veris elementis corporis hujus, in humana œconomia adeo necessarii, minime admittenda.

Salivæ utilitas.

An nostrî ævi Physiologorum ullus salivam humôribus excrementitiis adnumeraturus sit, multum dubito. Liquidi hujus crasis peculiaris ejusque principia, jam in antecessum satis demonstrant, eum a CREATORE non solum in bonum quemdam finem productum, sed & in eum positum fuisse locum, ubi scopus cui destinatus, eum reddidit necessarium.

Prima, quam saliva homini, æque ac animalibus, præstat utilitas, dependet ab illius parte aquosa; per hanc cibos dividit, ac ut in partes minores redigantur, adjuvat: præterea facit, ut cibi, jam masticati, facilius deglutiantur; ceu liquidum saliva, illis inhærentia, solvit, cibosque eo gratiores ac sapidos,

res nimis acres mitiores reddit; linguam & palatum contra varia incommoda tuetur.

Quodsi liquidum hoc desit, loquella ægre succedit, lingua palato adhærescit, cibi insipidi videntur, ingrati, nec deglutiri commode queunt.

Altera, ac inter cæteras insignis maxime utilitas salivæ debetur peculiari crasi partium oleosarum, cum aëre fixo saleque volatili alkalino. Per unionem hanc saliva redigitur in speciem singularem saponis, in saponem nempe tenuem, subtilem, dotibus, non vero nauseosó, saponis communis præditum.

Proprietas hæc egregiam exferit utilitatem, ut salivâ mediante non solum partes pingues, mucilaginosæ, dividantur, emolliantur, sed & pingues oleosæque ciborum partes cum salinis, aquosis & mucilaginosis succis intime nectantur; ut juncta simul hæc in corpus redigat homogeneous, ac in ore jam succum præparet, lacti æmulum: hinc in ore jam, saliva adjuvante, dimidiam partem liquor conficitur, a quo conservatio nostra in integrum dependet.



E M E T I C A.



§. 1202.

*V*omitoria indicantur 1) a fœditate &c.; toties explicavi hoc: sed prudens Medicus primo examinet, an fœtor ore procedens non sit ex corruptis dentibus, ac gingivis: hinc primo lustretur os, antequam emeticum præscribatur; nam 1) emeticum non juvaret; 2) in provento scorbuto putrido vis emetici agitatione sua noceret vasis internis debilibus, acri humore distentis. Ut vasa facile fluunt sanguine in gingivis, ita sæpe in internis visceribus: lethales hinc visæ hæmorrhagiæ.

2) *Spontaneo vomitu*, una cum magna ejus facilitate; modo causa non sit ventriculi scirrhus: sunt enim homines, qui suspicione laborant scirrhi ventriculi, & facillime evomunt, quæ ventriculus ingessit; quales plures novi; ubi emeticum 1) non auferret causam; 2) eandem irritaret. Videndum præterea, an non forte causa sit hernia, quam aut ignorat æger, aut tegit Medico. Sed cæteroqui, si ex causa examinata adpareat homo ille esse cætera sanus, sed ita quoad ventriculum comparatus, ut ad minimas indigestiones facillime vomat, quemadmodum & infantes solent & canes, talibus, si vomitus spontaneus non subficiat, vel continuus & nimius sit, poterit blande vomitus artificialis conciliari.

Nullibi, HAENIUS hic in margine codicis notavit, minus Medici sunt hippocratici, quam hic.

1) Tota Germania, tota Gallia, tota Anglia, Italorum multi omnem fere acutorum & chronicorum curam ab emetico ordiuntur.

2) HIPPOCRATES contra videndus *Aph.* I—22. 24., 2—29, & 4—10, & diserte vetat 4—17. & maxime in *fragmento heurniano* a No. 17 ad 27.

3) Ipsa praxis tamen casibus innumeris ostendit, generalem illam doctrinam esse perniciosam; ut patet ex HOFFMANNO, DECKERS, TORTI *de febris*.

4) BOERHAAVE laudandus, qui praxin hippocraticam unice & docuerit, & sequutus sit.

5) Qui BOERHAAVIUM & HIPPOCRATEM sequuti, æque, & forte verius, praxeos felicitatem testantur, quam qui non sequuti,

3) *A natura materiæ cognitæ, ut mobilis, vel immobilis; mobilis* est materies vel biliosa putrida, copiose ventriculo ejecta; vel acida colostrata, copiose exiens; vel glutinosa multa copia sponte ejecta. *Immobilis* est, quando nausæ adfunt, vomitusque inanes, educentes vel nihil, vel id, quod vi ex ventriculo exprimitur. *Mobilis*, quando facile & multum ejicit homo, nec inde tamen vomitus cessat: *immobilis* est symptomatica sæpe initio acutorum materies. *Mobilis* est materies critica, si signa coctionis prægressa sint, si status morbi jam adfuerit, si signa perturbationis criticæ vomitum prænuntiaverint, ut sunt nausæ, retractio hypochondriorum, & tandem nunc tremula agitatio labii in-

fe-

ferioris, ac levis salivatio. Si hic nunc natura deficeret, esset adjuvanda, eo, quo mox dicitur, modo.

4) *A loco adfecto repletionem & obstructionem, infra diaphragma; maxime si ea adfectio primaria, nec aliud repugnet.*

Ita 1) ventriculò repletò, ut homo fere apoplecticus futurus sit; ubi ora ventriculi, superius inferiusque, arctissime clausa; ibi vomitus prodesset, si posset fieri. Verum 1) emeticum non intrabit forsitan; 2) si intraret, produceret facile, sub violenta actione vomendi, rupturam vasorum in cerebro; quum jam copia sanguinis magna in cerebro contineatur. Tamen anxietates non tolerandæ maximum malum minitantes, indicant vomitorium. Mox dicam, quid sit faciendum.

2) Hepar, lien, systema venæ portarum & mesenterium laborant obstructione, quam tollendi spes est; quam neque ulla vel scirrhi, vel subpurationis, vel acrimonia notabilis signa comitantur, & in quo toto corpore nil præterea culpandum est: ibi indicatur vomitus, haud ideo, quia in ventriculo malum quærimus, sed ut vomituum subcussione deopilarentur obstructa abdominis viscera vasaque

Verum, non tantum, quando locus adfectus sub diaphragmate est, sed & supra. In vomica pulmonis clausa *magnus HIPPOCRATES*, ut vidimus alio loco, emeticum dedit, ut abscessus rumpere-
tur sursum, pulmone prius bene repleto emollientibus, & superficie aëra pulmonis prius bene humectata vapore aquæ calidæ, ut resistentia ibi minor esset.

Attamen casus dantur, ubi emetica etiam operantur bene in subpuratione ventriculi. Signa inflammationis ventriculi in nobilissimo viro prægressa erant,

figna abscessus sequuta: tres, quatuor septimanæ absque ruptura ejus erant elapsæ. Senior quidam Medicus, HIPPOCRATEM in abscessu pulmonis sequutus, dedit ipecacuanham; unde ruptus abscessus, pusque multum vomitu excretum. Verum animadversum est, pus non omnino exivisse. Medicus bis ter in hebdomade repetivit emeticum lenè, & per septemdecim annos sanus ac vegetus, vinorumque meracorum strenuus potator vixit.

Anceps hæc cura videri potest, estque revera aliquo modo talis: potest enim abscessus rumpi extrorsum, quod minor quandoque ibidem tunicarum resistentia; unde pure elapso in cavum abdominis ac putrescente, horrenda ibidem mala queunt excitari.

Verum, rogabit quis, an non idem discrimen est in HIPPOCRATIS methodo, abscessum pulmonis rumpendi per emetica; quippe & ibidem potest abscessus minus resistentiæ invenire ad membranam externam, quam aëream; tuncque pus in cavum thoracis elapsum empyema facit?

Est tamen aliqua differentia: nam 1) in vomica clausa pulmonis pars adfecta cum pleura semper coaluit, ut tunc sit ille locus firmior ad retinendum pus; nec probabile, illud in cavum thoracis depluere, nisi longiori tempore corruptum fuerit, aut pondere suo extenuaverit & humectaverit ita membranam externam pulmo in loco ab illa concretionè remoto; quò fit tunc, ut in cavum thoracis cadat. 2) Si ceciderit violenta actione emetici pus in cavum thoracis, superest adhuc curatio una per paracentesin, maximam spem faciens, dum pus tempore illo adhuc bonum est.

Hæc minus in ventriculi abscessu ita se habent: etenim pus extrorsum rupto abscessu non potest ex
ab-

abdominis cavo educi. 2) Ventriculus non ita coalescit cum vicinis loco inflammationis, maxime si inflammatio sit in laterali aut postica ejus regione.

Hinc anceps cura non instituenda, nisi bonorum Medicorum maturo consilio habito, & monito ægro, ejusve familia, periculi, quod aliquando inde potest oriri.

Cæterum & pulmonis abscessus clausus manens, abscessusque talis ventriculi, sunt terribilia mala: in hoc primo chylopoësis vitatur, in illo hæmatopoësis. Pure acri facto vel ejus effusiones expectandæ sunt in cava corporis, vel sanguinis cacochymia, corruptio purulenta, febres hecticæ, mors post longas misérias: quæ res omnes quoque ægro dicendæ, una cum periculo curæ per emetica: electio ejus rem determinabit. (*)

O 5

5)

(*) Videndum autem præscribenti emeticum, an non repugnet alius morbus simul præfens, v. g. phthisis pulmonalis, hernia exstans umbilici, inguinis, quæ tantum brachierio cavo retinetur, ne totum abdomen in herniam cadat, graviditas &c. — Tamen graviditas non semper vetat: cum *Inl. PRÆSIDE* semel epilepticam gravidam emeticis curavi, ab insultu omni; considerans, quod paroxysmus epilepsiæ plus noceret foetui & mulieri, quam actio ipecacuanhæ; omnia etiam signa docebant, in ventriculo hæere aliquid irritans, unde paroxysmus incitaretur. Iteratis emeticis demum per 12. annos libera fuit: nunc a biennio ob jurgia domestica morbus rediit, & necavit eam, ut litteris mecum communicatum est. *De H.*

5) *A natura generali, morbi, vel epidemica*; huc referunt morbos omnes, qui cum vomitu juncti sunt, ut variolas, morbosque multos acutos. Verum male! nam variolæ a miasmate intra ventriculum suscepto oriri videntur; & sive vomitorium detur, sive non detur, cum plena eruptione variolarum demum vomitus ac nausæ cessant. Si dentur casus, ubi post emeticum vomitus cesset ante plenam pustularum eruptionem, utique vidi multos casus cessantis vomitus prima vel secunda die, sine emetico dato.

2) In acutis morbis est sæpe introversa sola perspiratio, quæ vomitum excitet, dilutione multa inde depellenda; ita, ut irritatione emetici plus ibi nocere, quam prodesse debeat.

Verum, si sint morbi acuti, qui passim subsequi soleant prægressæ ventriculi colluviei, indicatur emeticum, si nihil vetet. Sed de his paullo post adhuc aliquid.

Epidemici quoque morbi indicare emeticum possunt. Per tres annos SYDENHAM curam hinc felicissimam habuit, quarto ab eo desistere debuit.

6) *A constitutione anni*; ait HIPPOCRATES *Aph.* 4—4 „Purgandi æstate quidem magis superiores ventres, hyeme vero inferiores: “ & 4—6. „Graciles & facile vomentes sursum purgandi, vitantes hyemem.“ Vere enim & æstate bilis sæpius mobilis invenitur; minus autumnò, aut hyeme. Verum epidemia id indicans, mutat hanc regulam; mutantque eandem omnes morbi aliis anni temporibus emeticum, postulante.

§. 1203. *Vetantur a contrariis horum*; convertamus jam datas regulas. Ergo I) vetantur emetica, quando nausæ & vomitus non à materie notabili collecta orti, sed ab introversa tantum perspiratione.

Ve-

Vetantur 2) a febris concomitante, quam citra manifestam causam maximeque urgentem, vel citra indicationem epidemicæ constitutionis, irritare non licet; expresse enim dicit Textus post HIPPOCRATEM: *sine febris concomitante.*

Vetantur 3) a difficultate magna vomendi, quam multi homines habent.

Vetantur 4) ab ignorata mobilitate materiæ; nam prius oportet materiem fluxilem esse, aut vomitus potest nocere.

Vetantur 5) Si obstructiones viscerum jam metum scirrhi faciant.

Vetantur 6) *Si quid repugnet;* graviditas, herniæ, menses, calculi renum. (*) Horrenda res illa frequentia vomitionum sine necessitate, si cogitemus, forte quartam hominum partem herniis multis regionibus laborare. Maxime repugnat inflammatio aliarum partium.

Vetantur a morbo quocumque emetica non indicante ex natura sua, vel ex epidemica constitutione: ergo perversissima regula, in omnibus acutis ab emetico incipere.

Vetantur a constitutione anni; si nihil erit, quod in adversa anni constitutione urgeat.

§. 1204. *Præparatur corpus &c. I) reddendo materiem mobilem, diluendo;* ut enim facile procedat, oportet

(*) Ab apoplexia: caput jam nimis obrutum humoribus: opus hic esset valido emetico, quia functiones naturales languent. Si operetur emeticum valide, metus, ne caput omnino obruatur; id quod experientia sæpe docuit. *De H.*

oportet reddere materiem mobilem & quasi fluctuantem ; quum alioqui ventriculus nimis irretetur, totumque corpus ; immo, si materia non satis mobilis, anxietates oriuntur intolerabiles, at actione violentissima caput sanguine obruitur, herniæ facile fiunt &c.

Hoc fit *diluendo*, ut & tenuior reddatur, & ex rugis ventriculi facilius solvatur.

Adtenuando, si nimis tenax sit, quam ut possit solvi a tunicæ villosæ plicis. Mel, nitrum, succi saponacei acidi, in causa putrida hoc faciunt. Si spissum gluten sit in mucoso homine, aqua cum amaris id efficit. Si acida caseosa materies, tunc adtenuant illam simul absorbentia & inmutantia.

Resolvendo, per saponem & stimulantia, secundum indicationem directam. Gummiferulacea, myrrha, salia neutra, resolvunt gluten spissum frigidum : cæterum adtenuantia simul sunt resolventia. Hæc omnia, si tempus ferat.

2) *Vias laxando, lubricando, per emollientia, oleosa, blanda*, ut minori cum vi stimulus emetici partes adficiat, utque acris putrida materies vomitu ejicienda minus in transitu noceat : maxime, quum talia sæpe citra emeticum jam excitent vomitum. — Tamen fatendum est, aquosa, mellita, oleosa, copiose sumta, sæpe inhibere actionem emetici, ut toties jam vidimus ; sed, si non inhi-beant, efficiunt vomitum faciliorem.

3) *Prius mittendo sanguinem &c.* uti pariter toties vidimus ex SYDENHAMO. Fit hoc, quò caveamus, ne inpedito transitu sanguinis per aortam descendentem, vasa crepent in cerebro, aut pulmone, aut ventriculo ipso. Quum post BASILII VALENTINI *currum triumphalem antimonii* editum adeo frequens esset, infortunatos casus videre, jussu Regis & Senatus (Parlamenti) PAPINUS, alique Parisini aperue-

re cadavera aliqua eorum, qui post emetica obierant, & invenere sæpe ipsa vasa in cranio rupta, cerebrumque sanguine compressum, inundatum. Hinc illi in antimoniata vehementer investiti sunt. Bonus noster BOTHERHAAVIUS sæpius dixit, infortunia illa potissimum accidisse ex neglecta venæsectione ante emeticum.

§. 1205. *Excitatur 1) irritando spiritus &c.*; sane adspectus poculi, ex quo olim emeticum, aut ingratißimum medicamen, quis hausit, quandoque subficit, ut vomitus cieatur. Adspectus alimenti, quo quis olim valde ægrotavit, jubet homines mobiles, maxime feminas, & puellas, de mensa surgere, ut vomitum prævertant.

Aut agitatione quadam non consueta, in mari &c.; HIPPOCRATES ait *Aph. 4—14.* „Ubi quis biberit helleborum, ad motiones quidem corporum magis oportet ducere, ad somnos vero & quietem minus.“ Declarat autem navigatio, quod motus turbet corpora. Et *4—15.* „Quando vis magis ducere helleborum, moveto corpus: quando vis cessare, somnum facito, & non moveto.“

Non consueta; novi, qui nunquam adsuescunt motui in mari, aut in rheda, sed qui, pueri, adolescentes, senes, semper inde vomant; plurimi vero adsuescunt.

2) *Irritando fibras faucium & pharyngis penná, aut simili quadam re*; hæc methodus in ea necessitate maxime laudanda, ubi levem ventriculi evacuationem velimus efficere, sine motu magno, aut corporis perturbatione. Convenit post summam ventriculi ingurgitationem, ubi sine vomitorio & cum vomitorio, omnia mala timenda sunt. Leni tali irritatione extemplo quandoque hos homines periculo exemi.

3) *Copia magna ingesta aquæ insulsæ cum oleo, melle, saccharo, & similibus, tepidis*; quum enim ventriculus repletus sit prava materie, aqua, oleum, mel, saccharum, materiem pravam diluunt, inciduunt, a concretionem cum ventriculo solvunt, & quum præcipue tepide fumantur, nausea augetur, ut a tepidis fit. Calida valde, ac frigida, nauseas sopiunt: sed homines facile mobiles a tepido alimento, aut potulento facile nauseant; præcipue, si olim tepidis adsumtis vomitum promoverint: sola recordatio subficit, ut vomant. Americanæ fruticis paraguaiæ folia olim solebant instar theæ infundere & bibere, indeque egregie vomere: est insulsa fatua herba, nauseas excitans, dum tepide sic bibitur. Erat præcedenti sæculo mos apud Batavos, ut semel, aut bis in anno, ad prophylaxin, vomitum provocarent, uti multi nunc venæ sectionem, vel purgantia adhibent (qui mos & apud Romanos multos olim in usu erat, sæpius in anno, quin & singulis mensibus, scopo prophylactico sumendi emeticum; uti notum de C. JUL. CÆSARE, eum omni mense peculiarem habuisse *diem emetiken*) Boni amici se ad præfixum diem invitabant, ut sociatâ operâ vomerent. Bibe- bant hujus herbæ infusum, & in commune vas, in medio positum, omnes vomebant; & quia vomitus unius alteri creat nauseas, hinc adspectus totius illius vomentis societatis unumquemque eorum ad faciliorem vomitum incitabat. Narrantes audivi senes Batavos, quod olim solerent Pater- ac Materfamilias cum liberis suis ad certum diem anni infuso hoc adsumto communi sodalitate egregie vomere.

4) *Omni acri valde & simul viscoso, anethi &c.*; omnes hæ herbæ habent viscosum, quod nauseas creat,
&

& acre, quo ex nausea vomitum cieant: his oportet ipecacuanham addere.

5. & 6.; hæc non explico, quia ex *Materie medica* & ex *Chemia* abunde nôstis. Verum hujus clas-
fis utriusque dosis fit admodum limitata, & non detur,
nisi indicatio sit, fortem concussum facere. Ecquidem
SYDENHAMO frequenti in usu vina emetica erant, sed
magno viro edusque ignota ipecacuanha; qua, ut mi-
tiori, usus procul dubio fuisset, eam si cognovisset.
Est hæc ipecacuanha tam blanda, ut ipsis infantibus
nunc queamus emetica dare.

§. 1206. *Horum quidem delectus* &c. v. g. in
onusto nimium ventriculo potius levi faucium irritatio-
ne provocho vomitum, quia 1) vix intrabit in constri-
ctum ventriculum emeticum: 2) si intret, poterit in
repletissimo adeo viscere facere, ut fere crepet — Si
in acuto materies turgere videatur, vel pennâ, vel
aquâ tepidâ &c. moliri oportet, an vomitus succedat,
antequam ad fortiora deveniamus.

2) *Dosis*; est fragmentum genuinum HIPPOCRATIS
de remediis purgantibus, quod HEURNIUS ab ob-
livione & interitu vindicavit, quodque videtur esse ex-
ordium deperditi operis HIPPOCRATIS de *Helleboris-*
mo: in hoc fragmento HIPPOCRATES ait N. 15.
16. 17. 18. „ At si dicat, se nunquam aut emeticum
aut purgans adsumsisse, petatur ab illo, num, dum sanus
existeret, alvus ipsi ad inferiora facile mobilis fuërit,
& an facile quandoque vomuerit? & an, postquam se
quandoque nimiâ alimentorum copiâ explevisset, in
diarrhæam incidere solet? — „ Cuncta hæc exa-
minare oportet, ut possis ei recte consulere. Fœdum
enim est, occidere eum, cui pharmon dederis.“

En in pulcro hoc fragmento compendiò omnia, quæ dosin debeant determinare: addamus modo, quandoque dari occasiones, quæ jubeant illico dare drastica, & dosi magna, dum venenum in ventriculo susceptum est. Nimia vis opii, napellus, cœnanthe, cicuta &c. Etiam mutat dosin copiosum gluten v. g., quod expellere animus est; in eo enim dosis fortior petitur, quum vis emetici alioqui illi inviscetur.

3) *Formulâ*; aut pulveris, aut haustus; aut largioris infusi, decoctive: haustus præfertur sæpe, quia tunc brevi sequitur vomitus: sed, si materia sit tenax nimium, infusa sæpius sumta quandoque melius promovent. Sed hoc potius scitur, quando epidemica mala vomitum postulant; tunc ex pluribus exemplis discitur, quæ formula cæteris præstet. Id interim verum, quod præstet in genere, unica vice integrum dare, quum rarius obtineamus ab ægris, ut sæpius adsumant nauseosa.

4) *Tempestivitas*; æstas & ver aptissima esse, ex observatione docuerat HIPPOCRATES; nisi aliis temporibus etiam aliquid urgeat.

Verum *tempestivitas* consideranda maxime in acutis, chronicisve morbis. I) In acutis tempus nunquam est, nisi materies turgeat; τὰ δὲ πολλὰ ἐν ἐργῶν. Exceptis his casibus nunquam. Adeo convictus videtur HIPPOCRATES hujus regulæ, ut, quando in validis acutis indicationem emetici videret, tamen per alia remedia ægro subcurreret, donec morbus ad finem decurreret.

§. 1207. *Promovetur potu copioso, leni, aquoso, mellito, tepido, post singulos &c.* sumto emetico expectet æger per $\frac{1}{8}$, $\frac{1}{4}$. horæ, num vi ejus vomat. Ubi vomuerit, tunc tepida aqua præsto sit, ut deglutiat

tiat bonum haustum; si vomuerit, iterum; idque, quoties vomuerit; donec ultimam aquam tranquille in ventriculo fervet. Si vero vomitus intra $\frac{1}{4}$. horæ non sequatur ab emetico, bibat tepidam æger; alioqui, vel nihil operaretur emeticum, vel fieret modo purgans, idque aliquando sat rude, violentumque. Si butyrum insulfum, si mel, si oleum tepidæ aquæ addatur, eo rectius promovebitur vomitus.

Oportet quoque monere, quod præstet ægrum locare in commodo sedili, quam in lecto: hoc semper adverti in meis ægris, quod longe commodius vomant cruribus pendentibus, remotisque ab abdomine femoribus, quam in lecto, ubi homo se ad vomendum inclinans femoribus ventrem premit.

Juvat quoque, interrogare, qui herniosi sunt, an bene firmiterque adpositum sit brachierium, ne vi vomendi hernia exprimatur: in lecto vomenti facilius hernia elabetur.

§. 1208. Si vomitus sit nimius, aut si datum sit emeticum in morbo, aut citra morbum, in corpore, in quo ab actione emetici pravi effectus metuendi essent ratione motus sanguinis, aut spirituum, impediendus est: ut alia occasione in *Pathologicis* docui. Vini meraci frigidi pauxillum pane exceptum deglutiatur homo, vinum aromaticum pane exceptum; calide ventriculi regioni adplicet emplastrum de ladano q. s. cum scrupulo opii ad ventriculum; grana aliquot opii per epicrasin data, demum sedant vomitum. Sed aliquando non sistitur quacunque arte, vel repullulat: convenit antiemeticum Riverianum. Non sistitur subin vomitus, si celet homo herniam, vel si habeat scirrhus in ventriculo, intestinis, hepate; angustationem, aut obstructionem, pylori. Vidi omnium horum exempla ipsis oculis in cadaveribus.

*

*

*

MERERI mihi visa est, ut capiti huic de Emeticis subjungatur *Dissertatio inauguralis medica Cl. Caroli Arnoldi MEYER*, hannoverani, quem inter amicos numero, de eximio *Ipecacuanhæ*, nec non aliorum quorundam emeticorum, refracta dosi exhibiturum, usu; *Gottingæ* 1779. edita. recentiorum imprimis Auctorum cognitione conscripta.

§. I.

De indicatione ad emetica.

Indicationum iusta formatio quanti apud ægrorum lectos momenti sit, nemo facile dubitabit. Quum vero ea ipsa non nisi ex perfecta morborum notitia petenda sit, patet simul, ob latentem sæpius morbi genium & characterem, haud facili negotio indicationem formari. Sunt interim, quibus indicatio ad vomitoria adeo aperta sæpe esse videtur, ut quemcunque forsan tyronem illi satisfacere posse, credant. Signa enim, quæ necessitatem vomitoriorum indicant, quando saburra biliosa, vel alius quisunque fomes in ventriculo & duodeno subest, tam distincte in Medicorum scholis narrantur, ut pro pathognomonicis fere habeas. Sympto-

ptomata enim quæ, ut signa biliosæ corruptelæ & consequenter ut indicationes ad vomitoria, recensentur, præcipua hæc sunt: anxietas circa præcordia, dolor in regione ventriculi, ructus fœtidi, nidorosi, frequentes, amarities oris, nausea, anorexia, habitus icterodes, lingua sordida, dolor capitis, vertigo, vomitus spontanei. Verumenimvero rarissime, immo fere nunquam, & in morbis, ubi vomitoria necessario requiruntur, omnia hæc symptomata simul juncta incidunt, sæpe, præterquam vertigo, dolor capitis, amarities oris, oppressionis sensus circa præcordia, nulla alia signa biliosæ corruptelæ adsunt.

Ab altera parte plurima horum, supra recensitorum, symptomatum adesse possunt & nullam tamen inde, ad usum emeticorum, indicationem formare licet. *Inl. DE HAËN*, qui in usu emeticorum vituperando multus est (*R. M. T. III. p. 22.*), luculenter satis, quam incerta hæc signa sint, demonstrat, atque uberiorem hujus argumenti expositionem superfluum reddit, utpote in praxi versatissimus. „ In omnibus, ait, fere morbis (sermo est vero illi de acutis) nausea, vomituritio, præcordiorum anxietas, os amarum fœdumque plus minusve adest, si id turgere dicendum, turgerebit in omnibus fere morbis materies; enarrata ad præcordia symptomata oriri solent aliquando a deglutito epidemiarum miasmate. “ Paucis tantummodo exemplis dicta corroborare liceat. In morbo nigro & vomitu cruento, antequam morbus declaratus, symptomata ex supra recensitis pleraque præcedunt. In volvulo sæpius vomitus spontanei, lingua sordida, ructus, dolor in regione ventriculi, dolor capitis, amarities oris, &c. initio præsto sunt, absque dolore locali. Quam facile hæc omnia Medicum non bene exercitatum eò deducere possunt, ut emeticum, quod certe

in his morbis incongruum est, immo causa mortis esse potest, adminifret; præfertim, si contraindicantia maxime obscura observatoris oculos simul effugiunt? Casus memini, non solum vomitus cruenti ob vomitorium perverse datum lethalis, sed & aliûs, quem huc pertinere credo, & qui memoratu haud indignus videtur.

Aliquot ante menses occurrit mihi femina LVIII. annorum (H.), quæ de amaritie oris, sensu plenitudinis circa præcordia, nausea, doloribus capitis, que rebatur; vomitu simul ejiciens biliosas sordes, quæ quidem unà cum lingua fordida indicationes pro emeticis videbantur, siquidem de dolore in abdomine locali, de hernia, vel quacumque alia pathematum causa nulla omnino suspicio nascebatur. Eccoproticis incausum adhibitis, jam in eo erat, ut vomitorium ægra sumeret, quum sua sponte, die septimo, sub usu eccoproticorum continuato, maxima vehementia vomitus vere stercoraceos, alvo pertinaciter obstructa, pateretur, & volvuli tunc demum signa manifeste adparerent. Extrema simul gelida erant, sensus aboliti, summa obpressio virium, nec dubia amplius manebant volvuli exquisitissimi phænomena, qui interim heroicis remediis, ut opio, oleo lini, enematibus e fumo tabaci, sale amplicano, ac ægre quidem, sanatus est.

Expertus etiam Medicus sæpius in præscribendo emetico hallucinari potest, & dubitanter agat necesse est, si constitutionem ægroti, aut morbi genus, &c. nondum satis perspexerit.

§. II.

De dosi dubia emeticorum.

Medici, incommodum toties ex emesi nascens quum viderint, summo studio emeticorum dosin examinarunt.

nârunt. Videtur etiam ea ita jam definita esse, ut Medicus experientia doctus in hac re errare facile non possit. Accidere tamen potest, ut vel exercitatissimus hæsitet, ea qua solet dosi præscribere evacuantia. Subest forsân idiosyncrasia quædam, corporum tenerior habitus, vel alia quædam causa. Damnum præterea, quod ex fortiori dosi emetici provenit, magnum sæpe est, nascuntur enim nonnunquam inde hæmorrhagiæ, apoplexiæ, abortus, herniæ, prolapsus. (*).

Magnus BOERHAAVII COMMENTATOR (Comm. ad §. 656.) narrat exemplum, in quo mors atrocissima effectus emeticorum male adsumtorum fuit. Dosis emeticorum tum adeo incerta est, ut ex minima subinde inreparabiles læsiones oriantur; quum è contrario maximam dosin aliquoties mitis modo effectus excipiat. Mulierem vidi viginti, & quod excurrit, annorum, quæ, adsumtis per errorem drachmis duabus pulveris radicis ipecacuanhæ, vix semel vomitum, nec quidem vehementem, experta fuit: ut similes casus taceam, in quibus plura tartari emetici grana ne semel quidem ventriculum subverterunt, ut in Maniacis, aliisque (**).

P 3

§. III.

(*) Frequentiâ quoque, non solum dosi, adsumtorum emeticorum peccatum fuisse, demonstrat inter alia notum illud exemplum, quod BOERHAAVIUS de nobilissimo Barone DE WASSENAER in libro singulari, cui titulus est: *atrocis, nec descripti prius morbi historia, Lugdun. Batavor. MDCCXXIV.* eleganter narrat.

(**) Videantur hic, quæ circa hanc rem adtuli in Tomo IV. operis hujus, pag. 438. de W.

§. III.

De emeticorum usu in refracta dosi.

Hæc quum ita sint, merito Medici aliam quæ-
siverunt methodum, qua emetica, certe ex numero
medicamentorum non rejicienda, tutius administrari
possint. Subpetit quoque jam alia methodus exhiben-
di emetica, nulli incommodo obnoxia tutiorque. So-
lent nimirum præclari Medici ex non longo inde tem-
poris spatio emetica in *refracta dosi* præscribere; præ-
fertim in vitiis primarum viarum, ubi celerrima eva-
cuatio, aut etiam drasticorum usus, non indicatur. Sane
in statu bilioso, quando fordes vel plane nondum mo-
biles sunt, vel ex parte crudæ, vomitorium, una dosi
vel semel datum, raro evacuando omnia ita e ventricu-
lo & vicinia eliminat, quin ista hinc inde adhuc hæ-
reant.

Præstat igitur non solum, partitis dosibus evacuan-
tia illa exhibere, sed & certior erit tunc Medicus,
hoc modo nunquam nocere se posse; quod quidem ma-
ximi omnino momenti est. Accidit forte, quod nec
prima, nec secunda dosi emetici per epicrasin admini-
strati, ventriculum ad vomendum irritet, id quod non
solum non nocet, sed multo magis è re est, fordes
turgescences, nondum satis mobiles, digerendo, &
quamprimum ad evacuationem aptæ sunt, eliminando,
sicque instar digestivorum sine incommodo ægroti tutius
& efficacius evacuationem producant, quam si consue-
to more, prius digestiva & postea evacuantia, tum ite-
rum digestiva, & sic porro, adhibentur. Vomitus et-
iam fiunt faciliores, non ita adficiunt ægrotum, quam
ubi emeticum semel datum esset, quod sæpius, sor-
dibus nondum turgescensibus, vomitus inanes facit,
ægro-

ægotum summopere debilitantes. Vis quoque emetici, dum in refracta dosi datum fuerit, in manu Medici est; quamprimum videt, satis evacuatum esse, subsistere potest. Jam igitur in morbis plurimis, in quibus evacuatio per os indicata est, melius emetica refracta dosi, quam una majori, administrantur, nec desunt summi ex arte medica viri, qui hanc methodum commendarunt, PRINGLE, PYL, STOLL, &c.

Non est, quod addam, dari casus, quibus hæc methodus minime conveniret, e. g. post venenum deglutitum & in paucis aliis morbis, qui celerrimam depletionem exigunt, & facile a gnaro dignoscentur. Ut vero clarius fiat, quid per methodum, emetica in refracta dosi administrandi, intelligam, subiciat formulas adferre. Solvuntur e. g. in unciis quatuor aquæ menthæ s. vin. grana duo tartarini emetici & de hac mistura quater per horam, & sæpius, cochlear sumitur, donec emesis valida satis fiat & sordes sursum eliminatæ esse videantur. In nosocomio viennensi solet solutio granorum quatuor tartari emetici in libra una aquæ adhiberi, cujus quartam partem singulo horæ quadrante ægri potant (STOLL, *Rat. med. T. I. p. 58.*) Eadem ratione & radix ipecacuanhæ per epicrasin adhiberi potest, sicuti nonnulli in dysenteria ea usi sunt; de qua re infra ulterius.

§. IV.

Vis resolvens emeticorum in genere.

Jam de vi resolvente, quam possident emetica, si refracta dosi exhibeantur, disputandum est. Hac virtute omnino emetica vulgatiore, ut tartarus emeticus, scilla & radix ipecacuanhæ, ea dosi exhibita, ut

nec vomituritiones, nec vomitus excitent, pollent. Nam tum mox eccoproticorum, mox diureticorum, mox expectorantium & diaphoreticorum virtutem adfciscunt; quæ vires præsertim in radice ipecacuanhæ juxta observationes quorundam Medicorum hujus ævi eminent. Gaudet præterea hæc radix vi etiam anti-spasmodica, immo in quibusdem morbis ut specificum quasi agit; quod quidem argumentum uberius excutienti animus est.

§. V.

De tartaro emetico.

Tartarus emeticus innotuit jam anno 1662., quo tempore HADRIANUS A MYNSICHT in libro suo, *Armamentarium medico-chymicum* inscripto, primus de illo agit. Historiam ut & varias methodos illum parandi tradidit, præter infinitos alios, nuperrime Cl. OSTERMANN, *Diss. de Tartaro emetico*, Gætt. 1776. Partes constitutivæ sunt acidum salis tartari & partes sulphureo-regulinæ antimonii. Multi sunt Medici, qui ad emesin ciendam tartari emetici usum illi radice ipecacuanhæ præferunt; gustus non adeo nauseosus est; unde etiam non adeo cito, sed efficacius, quam hæc radix operatur. SYDENHAMUS antimonialibus solum ad emesin movendam usus est. Cl. BAKER, qui una cum Cl. AKENSIDE dysenteriam 1762. Londini epidemicam in singulari libro *de catarrho & dysenteria epidemica* descripsit, loco radice ipecacuanhæ in hoc morbo tartarum emeticum adhibuit. Cl. ARMSTRONG (*Essay on the diseases most fatal to infants. p. 81. 95.*) in tussi convulsiva etiam hoc medicamentum radice ipecacuanhæ anteponebat. Præter vim emeticam
enim

enim possidet purgantem potenter resolventem, diaphoreticam pituitam incidentem. *Cl. BRISBANE* (*Select cases p. 51.*) „ Several, ait, metallic substances, and particularly mercury and *antimony* when dissolved and united to saline substances — seems to mix easily with the animals fluids acting, as it would appear, not only as evacuant and by irritation, but also by resolving and deobstruent powers. “ In morbis a fordidibus primarum viarum ortis, optimum resolvens tartarus emeticus in parva dosi præbet; irritatione, qua adficit intestina, adhærentes, & tenaces sordes incidit & eluit. Obcurrunt sæpius morbi ab obstructione viscerum abdominalium, chronici ac difficillime sanabiles, præcipue melancholia, mania, epilepsia, hydrops &c. in hisce tartari emetici protractus usus, ea dosi, ut vomituritiones, emesis vero raro, efficiatur (*Eckel-Kur*), validissimum est remedium. Nota est Gallorum usitatissima methodus, grana quatuor tartari emetici in libris quatuor aquæ solvendi eamque solutionem, ad nauseam usque, resolvendi scopo, porrigendi: *l'emetique en lavage* vocant. Efficacia ejus, quæ in his morbis, ex obstructione viscerum abdominalium oriundis, magna observatur, videtur quoque antispasmodica, tollit spasmos intestinorum & viscerum vicinorum. Dosis ea esse potest, ut tartari emetici grana quatuor solvantur in aquæ cujusdam unciis octo, atque hujus mixturæ omni bihorió, aut trihorió, cochlear unum, aut duo, porrigantur. Addi possunt extracta amara, resolventia, salia media, secundum indicationem; cui satisfacere e re est. In convulsionibus infantum aliisque morbis spasmodicis extollit *Cl. HIRSCHEL* (*Gedanken die fallende Sucht betreffend, S. 42.*) *B. WERLHOFIUS* (*Opp. T. III. p. 726.*), ejusmodi solutionis adhibebat cochlearia duo, iisque insultum epilepticum, per plures horas continu-

as jam durantem, eodem momento subflaminavit; ægrotus per aliquod tempus liber redditus est, nullo inde vomendi conatu excitato. Certe in hac parva dosi, in his morbis, ubi emetica & purgantia adeo difficillime operantur, rarissime, aut nunquam, vomitum faciet. BRISBANE (*l. c.*) bis hydropem, nascentem ex mensium obstruptione, hoc medicamento sanavit; quotidie dosim auxit; adeo, ut denique grana decem sine ulla emesi dederit. In hoc morbo summam efficaciam exigua ista dosi expertus est DONALD MONRO. Similem observationem narrat quoque OSTERMANN (*l. c.*) & *Inl.* BALDINGER (*Adnotat: ad Pharmaciã Edinb. p. 264.*) MONRO (*Diseases &c.*) commendat in febribus remittentibus non solum ut emeticum, sed ob vim suam diaphoreticam & laxantem. SYDENHAMO & vis ejus in febribus innotuit, ut & *Cl.* BRISBANE, cui in morbis cutaneis etiam satisfecit. DUNCAN (*Medical. Essays*) scillam & tartarum emeticum in parva dosi, in phthisi pituitosa, aut catarrho chronico, efficacissimum remedium esse ait. In paralyti omnium generum sæpius illa methodus profuit. In amaurosi, quæ plerumque paralyti nervi optici & curatu difficillima est, *Cel.* SCHMUCKER (*Chirurgische Wahrnehmungen, I. B. S. 447.*), *Cel.* THEDEN, & *Inl.* RICHTER (*Obs. chirurg. fasc. II. p. 85.*) tartarum emeticum in parva dosi administratum efficacissimum remedium esse, observationibus suis demonstrarunt. In peripneumoniæ illo stadio, quo fracta phlogosi vires ægrorum languebant, & sputa ob dejectas vires protrudi non poterant, solutio tartari emetici ea dosi exhibita, ut nec vomitum, nec alvum moveret, STOLIO (*R. M. T. I. p. 16.*) satisfecit.

§. VI.

De Scilla.

Prostat in pharmacopoliis alba & rubra radix, hæc vera usitator, efficaciorque est. *Scilla* ut medicamentum V. V. jam innotuit Medicis. AURELIANUS (*Edit. AMMIANI*, p. 355.) in paralyfi commendat: PLINIUS (XXII. 2.) in surditate aurium: in libro de *Euporistis* (*lib. III.*) qui plerumque GALENO adscribitur, de aceto scillitico multa prædicantur. Inventor hujus medicinæ PYTHAGORAS esse dicitur. Præparatio radice usitatissima olim hæc erat, quæ etiam in *Pharmacis* variis, ut *Augustana* p. 416., *Argentoratensi* p. 128., & a QUINCY (*l. c. p. 134.*) narratur: radix recens scillæ pastæ panis involvitur, eaque in clibano ad panis consistentiam coquitur; exempta cultro ligneo, aut osseo, in laminas dissecta, quæ filo trajiciuntur, ut una alteram non attingat, loco sicco ficcatur. Methodus illa adhibebatur, ut acrimonia radice temperetur. Quum vero maxima pars virium sic pereat, apud Anglos in defuetudinem abiit, nec in pasta farinacea involvunt, sed minori æstu ficcant (*Conf. Pharmac. Coll. Regal. Londin. 1763. p. 22.*) QUINCY (*l. c.*) LUDWIG. (*Adversar. medico-pract. T. II. p. 695.*) tunicas radice in partes discerptas, lente & per aliquot menses in umbra siccatas, adhiberi suadet. VAN SWIETEN (*Comm. Tom. IV. p. 259.*) recentem magis commendat.

Possidet scilla multas partes mucilaginosas, in quibus vero vires propriæ non sunt, ut nec in partibus spirituosis & resinosis: sed potius partes gummosæ abscondunt principium activum eidemque proprium,

prium, quod nervos adficit eosque singulari stimulo irritat. In pulvere adhibita sæpe granum unum vomitus ciet (LUDWIG. *l. c.*;) sunt vero etiam, qui grana quinque sine vomitu ferunt. *Cel.* SPIELMANNUS (*Mat. med. P. 229.*) scrupulum dimidium pro dosi significat; quæ vero nimis magna erit, nisi de radice tosta sermo illi sit. Si in pulvere adhibeatur radix, quod quidem rarius fit, plerumque cum nitro præscribitur; saltem STAHLIO & HOFFMANNO in usu id erat. Nitrum scilicet, ut observatum est, extollit vires scillæ ejusque sæpius, ubi per se non efficax est, potentiam auget. Rarius scilla ut emeticum, sæpius autem ut resolvens, stimulans, diureticum adhiberi solet, ac magis præparata, quam in substantia, nisi usum ejus & præparatorum in adfectibus infantum, ubi emetica indicata sunt, excipias, ideoque hic potissimum uberius examen meretur. Inter præparata *Syrupus WÜRTEMBERGENSIUM*, *pulvis compositus STAHLII*, *trochisci ANDROMACHI*, & multa alia ejusdem indolis, nullam plane merentur adtentionem; alia vero frequentius omnino in usu sunt magnique æstimanda, ut *acetum*, *oxymel* & *vinum scilliticum*.

Acetum scilliticum est infusum radices cum aceto, quo partes agentes extrahuntur. EDIMBURGENSIUM formula præ aliis nobis adridet: hæc est: ℞. radices scillæ siccatæ uncias quatuor, aceti destillati libras duas, spiritus vinosi tenuioris uncias duas: macera scillam cum aceto per dies octo, dein adfunde spiritum & quum fæces subsederint, defæcatum effunde. Est quidem præparatum efficacissimum, sed protracto usu nimis nauseosum. *Oxymel scilliticum* laudes illi certe præripit: mel, quod in hoc præparato est, vim solventem radices auget; est enim

enim sine dubio optimum resolvens vegetabile; reddit etiam præparatum minus nauseosum, indeque diutius usus ejus continuari potest; quod quidem requiritur, si in morbis chronicis cum fructu adhibere velis. *Vinum scilliticum* imprimis VAN SWIETEN (*Comm. T. IV. p. 259.*) magnopere extollit. Infundit vero radicis scillæ recentis unc. sem. cum vini libr. duab. Dosis adulto fuit unc. sem. *Pilulas scilliticas* EDIMBURGENSIUM insignis, ad plures morbos chronicos, præsertim infarctus viscerum, utilitatis esse, neminem latet.

§. VII.

Vsus scillæ.

Est scilla medicamentum, quod, rite adhibitum, heroicas possidet virtutes; perverse vero adhibitum & maxime nocet; vires enim deprimit ventriculi; sub nervorum nimia sensibilitate convulsiones sæpe producit: ubi scirrhus cum febricula, aut inflammatio, cancrum inde timent CRANZ, (*Mat. med. T. II. p. 83.*), BERGIUS, (*Mat. med. p. 266.*), TISSOT, (*de Hydrope, Edit. Balding. p. 208.*) Nilominus caute adhibita summum remedium in morbis quibusdam chronicis, præsertim in hydrope & asthma.

In hydrope commendarunt multi, quos SPIELMANNUS (*Mat. med. p. 229.*) recenset. TISSOTUS ea dosi exhibet, qua renes, alvum non purgat. Radix per se, quoad vim, certe omnibus præparationibus anteponenda; attamen pluribus intolerabile est remedium; præstat itaque oxymel scilliticum. Nonnulli aqua cinnanomi, vel & alio aromate, vim

eme-

emeticam radicis frangere solent. Angli ptisanæ è juniperi baccis scillam nuptam largiuntur; quod & TISSOT utile esse invenit. Hic alias gr. duo, vel tria, cum saccharo trita exhibuit, quæ sæpe, ut refert, anxietates horrendas in hydrope pectoris tollunt citissime. Summum est remedium in omnibus speciebus hydropis, in anasarca, hydrope pectoris, oedemate pedum &c. Taceo innumeras observationes, quæ de hac re in litteris Eruditorum occurrunt.

In asthma non minus probata vis radicis est: *Frid. HOFFMANNUS*, (*Med. rat. syst. T. IV. p. I. sect. 2. c. 2. obs. 3.*). Mirabilem esse vim scillæ, in auferendo asthma inmanis paroxysmo, contendit etiam *WAGNERUS* (*observ. clin.*) Undecim hic adfert observationes, ubi scilla in substantia in asthma periculo pleno, hydrope, tumoribus oedematosis, & cachecticis, nephritide pituitosa, calculo, urinæ subpressionè, satisfecerit. Præstat etiam in asthma convulsivo, materiam enim viscidam, quæ partes irritat, resolvit, removet: præterea etiam quadam vi anodyna prædita est, quæ & hic in censum venit.

In laudes scillæ ad adfectus calculosos, quos *WAGNERUS*, Medicus lubecensis, & *ACTA NATURÆ CURIOSORUM* perhibent, longius excurrere, loci angustia vetat.

In morbis infantum plurimis, ubi summa defectio virium est &c. sæpius enema cum oxymellis scillitici uncia una, ob vim stimulantem, optimos exserit effectus.

§. VIII.

Usus radicis ipecacuanhæ scopo alterandi.

Solemnior adhuc, quam usus tartari emetici, aut scillæ, in parva dosi hodie est methodus, qua radix ipecacuanhæ ita administratur, ut vim resolventem & antispasmodicam exserat. Inventum, quod in permultis morbis summam sibi adquisivit laudem, quo cura morborum, alias curatu difficillimorum, facilius reddita est, Anglis debemus; postea eadem medendi ratio in Suecia invaluit, & jam in Germania vulgaris est. Jam ante quidem subpellex antispasmodicorum & resolventium in Materie medica abunde instructa erat: attamen sunt casus, in quibus nullum e classe antispasmodicorum, huc usque adhibitorum, in usum vocare licet. Alia non sufficienter agunt, alia in minutissima etiam dosi nimis valide; alia nimis exæstuant, vel eorum usum vetat plethora, vel cacochyliæ in primis viis præsentia, alia denique obsruunt alvum, ut præsidia pro salute ægrorum ab illis petita valde dubia maneant, ac periculi plena: sæpius quoque Medicis tot contraindicationes obstant, ut nullum antispasmodicum, quod tuto sine ulla noxa adhiberi liceat, illis in promptu sit. Radix ipecacuanhæ autem, omnium dictorum incommodorum expers, in summa plethora, in corporibus delicatulis, in fordibus primarum viarum &c. tuto administrari potest. Non vero vis radicis, in parva dosi administratæ, solum antispasmodica est, sed habet etiam vim resolventem; quinimmo agit in quibusdam morbis ut specificum, ita ut vis, qua effectus producat, definiri non possit. Jam aliqua de usu hujus radicis in genere & præsertim de usu in minori dosi adferenda; nec minus morbi, in quibus usus ejus præclarus est, recensendi sunt.

§. IX.

Historia radicis ipecacuanhæ.

Guil. PISO (*Hist. nat. & med. Indiæ occidentalis* p. 231,) primus est, qui mentionem ipecacuanhæ facit, postea LEIBNITZIUS (*Miscellan. Nat. Curios. Dec. 3. Ann. 3.*) historiam ejus tradidit, ut & Inl. MURRAY (*Mat. med. T. II. p. 526.*) & Inl. SPIELMANN (*Mat. med. p. 616.*)

Anno 1649. Europæis primum innotuit & 1672. a Medico quodam GRAS Lutetias Parisiorum primum adducta; 1684. passim in Europa venalis, 1690., ut QUINCY (*l. c. p. 143.*) contendit, 1686., HELVETIUS, qui sibi soli voluit reservare hanc mercem, quum mercator gallus GRENIER, qui magnam ejus copiam in Lusitaniam advexerat, socium eum sibi junxisset, LUDOVICO XIV. persuasit, ut juberet, copiosa cum ea, in nosocomio *Hôtel de Dieu*, fieri experimenta; quod GRENIER ægre ferens, aliis hanc radicem etiam vendidit, unde in tota Europa divulgata est. Eo tempore dosis Ludovico aureo vendebatur. Ante annum 1709. in terris hannoveranis jam vulgatiores erat; quum enim dysenteria, epidemica tum temporis, in his regionibus grassaretur, auspiciis Electoris scriptum divulgatum est, cui nomen: *Nothwendiger Unterricht, wie man sich bey der itzt grassirenden rothen Ruhr zu verhalten; Hannover 1709.* — P. 3. hujus scripti dicitur: „*sinder einigen Jahren, hat man die westliche Wurzel Ipecacuanha, als ein sonderlich specifical in der rothen Ruhr gut gefunden.*“ — „*Vermögende nehmen davon flugs anfangs 10 - 15 - 20 - 25 - 30. Gran, mit dünner Fleischbrühe, oder Haversuppe.*“

Nomina varia, quæ huic radici dantur, adfert NICOLAI (*Syst. Mat. med. T. II. p. 269.*) De patria ut & de genere plantæ maxima inter Auctores adhuc versatur discrepantia. Optime litem composuit *Inl.* MURRAY (*l. c.*), qui & differentiam speciei albæ, fuscæ, Brasiliensium, griseæ, cinereæ, seu peruvianæ, quam LEWIS (*Mat. med. p. 323.*) albidam nominat, optime determinavit.

§. X.

Ejusdem analysis chemica.

Omnes Auctores, qui unquam analysin chemicam radicis ipecacuanhæ rimati sunt, in eo conveniunt, inesse illi plures partes gummosas, quæ aqua, quam resinosas, quæ spiritu vini, extrahi possunt; quamquam & ipsi quoad proportionem earundem longe differant. Secundum *Cl.* LEWIS & NEUMANNUM duplum extracti gummosi, quam resinosi extrahi patitur, GEOFFROY $2\frac{1}{2}$ spirituosi, $3\frac{1}{2}$ vero aquosi: CARTHEUSER ex uncia una corticis radicis drachmas tres extracti aquosi, scrupulos quatuor spirituosi, NICOLAI ex eadem quantitate corticis radicis scrupulos quatuor spirituosi, drachmas sex vero aquosi extracti obtinuerunt. Terrestris substantiæ semper maxima pars residua fuit. Decocto aquoso partes adstringentes insunt, quæ non in infuso reperiuntur, illud enim cum vitriolo Martis nigrescit, cum hoc tantum fuscescit, secundum experientiam BERGII, (*Mat. Med. p. 1036.*) Emesin partes resinosa præcipue cient, gummosum enim extractum, aut plane non, aut debilius hanc virtutem possidet. Patet inde, ad emesin movendam non infuso, aut decocto, aquoso utendum esse, quum partes resi-

nosas aut paucas, aut nullas possideant, in cortice autem præcipue partes resinosa lateant. *Inl.* MURRAY (*l. c.*) illam unice efficacem esse, juxta testes hujus rei fide dignissimos TISSOT, MEDICUM, ROSENSTEIN, refert. Præterea multas partes volatiles radix continet, unde ii, qui in pulverem eam redigunt, os obtegere solent, partes enim, quæ nares & fauces adtingunt, ita eas irritant, ut hæmorrhagia & tussis vehemens inde observatæ sint; quare sunt, qui radicem conterentibus & in pulverem redigentibus, aqua eam conspergere suadent (Vid. PARMENTIER, in nova editione sua libri *Chymie hydraulique*, par Mr. le Comte DE LA GARAYE, Paris 1775.) Pulvis radicis diutius in theca reservatus, inprimis si theca sæpius aperta fuerit & pulvis aëri expositus, multum efficaciam suam deperdit. Subtiliores partes eas esse, quæ operantur, inde præcipue patet, quod minutissima dosis eodem sæpe effectus ac solita major habeat. In *Philosophical Transactions Vol. LXVI.*, ut & in *Medical and Philosophical Commentaries by a Society of Edinburgh, Vol. IV.* exempla de mulieribus existant, quæ asthma ex partibus subtilioribus sub contritione radicis nares ferientibus, adfectæ sunt.

Partes igitur constitutivæ radicis ipecacuanhæ sunt plures partes terrestres, multæ gummosæ, quas substantia medullaris potissimum possidet, non paucæ resinosa, quæ cortici præsertim insunt, aliquot denique volatiles.

§. XI.

Vis emetica radicis.

Post primùm detectam radicem, ad emesin irritandum potissimum adhibebatur, unde nomine *Brechwurz* est

est insignita. Febres intermittentes, præsertim quæ ex ventriculo oriuntur, sæpius vomitorio, initio exhibito, plane ejus ope subflaminare licet. In tussi convulsiva etiam, & in quacunque evacuatione per os indicata, usus ejusdem valet. (*)

Auctores, qui conscribendæ Materiæ medicæ operam dederunt, dosin radicis pro usu emetico scrup. unum, drachm. semis ad drachm. duas permittunt: hoc vero inconstantissimum est, prout sola pars corticalis, aut & lignosa, adhibetur; prout grossiuscule, aut subtiliter, prout diu, aut recenter in pulverem redacta; prout aëri exposita fuerit, aut non; vel & juxta dispositionem corporis, cui dare velis. Exempla in promptu sunt, gr. duo radicis vomitum excitasse; GEOFFROY gr. dec. non minus valide, ac scrupulos duos operari; A LINNE & ROTHERAM (*Diff. de medicamentis purgantibus, Upsal. 1755.*) ad vomitum efficiendum grana quatuor ad scrupulum unum sufficere adfirmant.

Quin ipse vidi factorem, cui præscripseram omni trihorio granum unum, cum scrupulo uno sacchari albi, mox secundam dosin vomitu rejicere. Ex altera parte supra (§. III.) jam exemplum adduxi, ubi drachmæ duæ fere nullius erant efficaciam. Satius igitur esse videtur, refractam dosin & hisce occasionibus abhibere. *Cel. STOLL. (Rat. med. T. I. p. 192.)* in morbis, quos malignos denominat, (quos vero fe-

Q 2

brim

(*) In *Medical Essays and Inquiries T. I. N. XXI.*

PYE on the powers of ipecacuanha in very small doses. Dedit hic Auctor hanc radicem ad gr. duo, emetin excitandi causâ, quæ dosis plerumque illi satisfacit.

brim putridam ex biliosa dicere mallet) singulis horis grana decem radicis porrigit, donec vomitus sequatur. Huc referenda etiam est methodus WAGNERI, Medici lubecensis, quam narrat STOLL (*l. c.*), qui in febris exanthematicis, petechiis, purpura, & consimilibus, quos morbos gastricos esse dicit, misturam dedit ex unciis tribus aquæ cardui benedicti & drachma dimidia radicis ipecacuanhæ, cum sale quodam medio; unde vel dimidiâ, vel integra horâ, cochlearis dimidium sumebatur, donec ipecacuanha effectus fortiretur.

Exiguæ hæ doses continuas vomituritiones, subinde & vomitum excitant. Adfert IDEM AUCTOR pag. 194., effectus ac usus radicis sic propinatæ; nil aut vero de vi diaphoretica radicis, quæ, ut mihi videtur, hic imprimis ob anxietatem, quam perpetui ad vomendum conatus & vomituritiones efficiunt, valida esse solet, nec inter effectus radicis levioris momenti recensenda.

Hæc methodus, radicem refractâ dosi propinandi, ut semper nauseam ac vomituritiones, raro vero vomitum, æger experiatur, in morbis ab infarctu viscerum abdominalium magnæ efficaciam est; irritat enim radix iteratis subcussionibus ventriculum & viscera adjacentia, hepar imprimis ac ductus biliosos deobstruendo stases chronicas sæpe sensim tollit; ad quem scopum supra §. III. tartarum emeticum commendavi.

§. XII.

Usus radicis in dysenteria.

Morbi, in quibus ab initio magni æstimabatur, erant alvi fluxus omnis generis, ut ex Regis LUDOVICI

ei XIV. edicto, quod LEIBNIZIUS conservavit, videre licet. Haud multo post in dysenteria specificum esse voluerunt nonnulli Medici, & ad hunc usque diem reperiuntur, eandem ipsi laudem tribuentes. Habet haud dubie hæc radix vires, quæ eam in dysenteria cæteris vomitoriis utiliore reddunt. Vis ejus emetica fordes acriores e ventriculo & duodeno aufert, partes terrestres tonum intestinorum leniter adstringendo restau- rant, simulque vi vere styptica carent. PISO (*l. c. lib. II. cap. IX.*) „ quippe præterquam, ait, quod tuto & efficaciter tenacissimos humores per ipsam alvum, sæpissime autem per vomitum ejiciat & a parte adfecta derivat, vim quoque adstrictivam post se relinquit.“ (*Cfr. Donald MONRO, Account of diseases, p. 79.*) quamdiu fomes materiæ acrioris in tractu intestinorum hæret, evacuat illum, post eum vero eliminatum ut adstringens agit. LAMBSMA (*Ventris fluxus multiplex, p. 251.*) post bene purgatum corpus diutius quotidie aliquot grana radicis, ægro porrigere, non aliquid movendi causa, sed ad adstringendum, mucô quasi intestinis obductis, apud quosdam in usu esse refert.

Dysentéria plerumque a subpressa transpiratione oritur, aut saltem hæc morbi violentiam auget; ut ergo Medicos ad restituendum transpirationis negotium attendere oporteat; ex hac parte radix ipecacuanhæ utilis quoque, & videtur possidere vim quamdam diaphoreticam. QUINCY exinde extractum aquosum commendat, quod hanc possideat virtutem, quamquam debilius sit ad vomitum irritandum. Nec silentio prætereundum summum illud diaphoreticum a Practico consummato DOVER primum compositum, cujus partes constitutivæ agentes opium & ipecacuanha imprimis sunt. In nosocomiis Angliæ omnibus ac pharmacopoliis prostat & frequentissime in usu est. Historiam hujus pulveris Do-

VERI, ut plerumque dicitur, & modum componendi varium egregie descripsit *Inl. MURRAY* (*T. I. p. 298.*)

Uti vero omnes fere Auctores, qui unquam post inventam ipecacuanham de dysenteria scripserunt, in usu ejus radicis (quæ & inde radix *antidy. enterica*, *Ruhrwurz* dicitur) commendando conveniunt; sic quoad dosin & scopum quam maxime a se invicem discedunt. *DEGNER* (*Hist. medica de Dysent. biliosa contagiosa 1738. p. 100.*) semper in pulvere a drachma dimidia ad scrupulos duos dedit: omnibus vomitoriis eam præfert, si opus erat, & iterato dedit: etiam in dysenteria, quam sanguineam dicit. *Inlustris ZIMMERMANN* (*von der Ruhr, S. 80.*) dedit quadraginta grana, minores doses Medicum fallere ratus. *Donald MONRO* (*l. c. p. 70.*) initio se ut plurimum vomitorium ex radice ipecacuanhæ a gr. decem a viginti dedisse refert, addito vero gr. uno, duobus vel tribus tartari emetici, quod & *Inl. PRINGLE* aliquoties fecit. *LAMBSMA* scrupul. dimidium ad drachmam dimidiam satis sibi fecisse, ex vino, vel jusculo. *BERGIUS* (*l. c. p. 103.*) dysenteriam se sæpissime in prima quasi herba præcisam vidisse, mature propinata radice ipecacuanhæ ad drachmam dimidiam. Sunt alii, qui refracta dosi radice usi sunt. *PRINGLE* (*Diseases T. III. cap. IV. Sect. IV.*) grana quinque dedit, donec vomitus aut purgatio peralvum sequebatur; plerumque gr. quindecim illi sufficere, & refractas doses ut plurimum magis sordes evacuare prædicat, quam gr. triginta semel adsumta. *QUINCY* (*l. c.*) refractas doses nobiliores esse una majori contendit. Post morbum jam debellatum, quotidie aliquot grana ad morbum penitus vincendum commendat. *AKENSIDE* (*Comment. de Dysent.*) unâ alterâve post emetici operationem horâ, ipecacuanhæ gr. unum in aquæ menthæ uncia una & dimidia & spirituosi drachmis

mis tribus, vel aquæ alexiteriæ simplicis unciis duabus cum confectiois cardiacæ drachma dimidia, sextâ quâvis horâ datum specificum esse contendit, experientiâ fretus. Eadem methodo sanavit dysenteriam post drachmam unam, horrendam dosim! merc. sublimati ortam, interpositis demulcentibus oleosis. Alii hanc radicem opio & aliis anodynis junxerunt, etiam cum rheo, ut RUSSEL (*vid.* MONRO, *l. c.*) quo radicem plus laxantem reddiderunt.

Ex his omnibus constat, dosim hujus medicamenti valde incertam esse. Certior est effectus, si cortex radicis solus adhibeatur, aut si radix recenter in pulverem redacta, aut denique aëri non exposita sit, minores doses tunc tam valide agunt, ac aliæ majores, præcipue si reiteratæ doses fumantur. Qui vero virtutes involventes ac adstringentes in usum vocare velit, ille totam radicem in decocto, aut extractum tum aquosum adhibeat necesse est. De indicatione ad hujus radicis usum in dysenteria agere non est hujus loci. Non autem in omnibus dysenteriarum speciebus promiscue adhibendam hanc radicem, Observatores monent fide dignissimi: nec desunt historiæ epidemiarum, in quibus parum profuit; ut e. g. STOLL (*R. M. T. I. p. 126.*) in dysenteria, quæ Viennæ Austriæ 1776. grassabatur, ubi ipecacuanham sibi non satisfecisse, sed purgantibus opus fuisse affirmat. In dysenteria biliosa, ubi fomes in ventriculo & duodeno unice latet, per totum tractum intestinorum sensim diffusus, omnia vomitoria indicata sunt, præcipue autem ipecacuanha, in quo quidem omnes fere Auctores consentiunt; nisi nostra ætate unum fortasse excipias BAKER (*de catarrho & dysenteria epidemica*), qui tartarum emeticum antepōnit.

§. XIII.

Usus antispasmodicus radiceis.

Possidere hanc radicem vires antispasmodicas, resolventes, immo agere in quibusdam morbis ut specificum, jam supra dictum est. Illam simul multis aliis e classe antispasmodicorum anteponendam esse, ex eo evincitur, quod vix genus hujusmodi medicamentorum sit, quod non caute adhiberi debeat; siquidem non solum nervorum irritabilitatem & orgasmum sanguinis plerumque augent, sed in genere ob multas alias contraindicationes, quæ usum solitorum sæpius vetant. E contrario, nulla unquam contraindicatione, quæ Medicum ab usu hujus radiceis deterrere possit, facile aderit; nec plethora, nec sordes primarum viarum, nec ipsa inflammatoria stasis, nec denique congestiones sanguinæ usum ejus interdiciunt; tuto una cum evacuantibus & antea, ea in usum vocari potest. Unicum forsitan quod nocere posse videtur, est vis emetica radiceis, quam & in parva dosi adhibita nonnunquam exserit: melius ergo, hanc ob causam, ubicunque constitutionem & idiosyncrasiam ægroti non noverit Medicus, faciet, si non ultra quartam partem granuli, omni bihorio & trihorio porrigat, vel & granum integrum cum decocto hordei, aut alia potione mucllaginosa. Ubi vero vomitus nocere non possunt, hæcque parva dosis non subficit, validiorem, ut granulum dimidium, aut integrum, omni tri- aut bihorio, immo sæpius, largiatur; tantum enim abest, ut vomitus inde orti ægrotum in vitæ discrimen adducant, ut potius sæpius convenient, nunquam adeo validi futuri, ut multum ab iis timeri debeat. Vim antispasmodicam melius exercere radix videtur, si minutissimi

ma dosis sæpius, quam si major rarius administratur, consentientibus & hic Scriptoribus, suo pondere non destitutis. *Inl. RICHTER* (*Abhandlung von Brüchen*, I. Th. S. 218.) quartam partem granuli bis in hora dedit; immo in Prælectionibus enarrat casus, ubi eandem dosin ter aut quater de hora iterandam suavit. *Cel. DALBERG* (*Abhandlung der schwedischen Akadem. der Wissenschaften*, Th. 32. S. 314.) quartam, aut tertiam partem granuli omni trihoriô, aut quadrihoriô, præscribit: *BERGIUS* (*eod. loco*) granuli dimidiam partem omni bi- aut trihoriô, *KAEMPFF* (*Enchiridion medicum*, p. 170.) quartam, aut tertiam partem granuli omni tri- aut quadrihoriô. Hæ vero exiguæ doses semperne subficient? securius est quidem, istis incipere, sique votis respondeant, his subsistere. Ast, sicuti dosis omnium antispasmodicorum augeri debet, quoniam adfuescit ægrotus iis, eoque inefficaces fiunt; sic, ubi hæc parva dosis non subficit, augere eam, aut potius pluries porrigere malle.

Quum vero tam parva quantitas intra cavum oris, faucium, vel œsophagi sine dubio hæreat, in ventriculum ipsum raro descensura, cum saccharo albo plerumque præscribitur.

§. XIV.

Morbi, in quibus adhibenda ipecacuanhæ.

Morbi, in quibus radix ipecacuanhæ præcipue vim suam antispasmodicam exerit, inprimis sunt: *Hysteria, Hernia incarcerata, Ileus, Asthma convulsivum, Hæmorrhagia uteri, Hæmoptysis, Tussis convulsiva, Diarrhæa, febris intermittens, Phthisis.* Jam de his singulatim quædam,

una cum observationibus clinicis, ubi radix ipecacuanhæ dicta ratione administrata efficax fuit, adferam.

§. XV.

Hysteria.

Ad sedandum paroxysmum hystericum commendavit *Inl. RICHTER* in Prælectionibus, summum esse antispasmodicum, opio anteponendum; præsertim, ubi canalis intestinorum adficitur, opinatus (*Abhandl. von Brüchen, Th. I. S. 218.*) formula ejus in hoc morbo hæc est: ꝛ. Pulv. radiceis ipecacuanhæ gr. sem., sacchari albi gr. octo: divid. in doses duodecim, sign. omni quarta parte horæ pulveris dimidia pars sumatur.

Alter hic memorandus Auctor est *Cl. MICHAELIS*, qui in libro egregio *de angina polyposa, sive membranacea*, pag. 241. observationem de femina hystERICA narrat, cui opium, assam foetidam, incassum præscripserat, & quæ tandem in gravissimo aliquo cardialgiæ insultu ipecacuanham sumsit, post primum jam pulverem, qui semigranum radiceis continebat, brevissimo, semiquadrantis horæ tempore, omnis dolor evanuit. Idem remedium post, sæpe cum egregio effectu, nec unquam sine aliquo levamine in tussi titillante hystERICA, anxietate, debilitate summa, insomniis à summo nervorum tumultu ortis, nec opio quidem debellandis, in usum vocavit.

§. XVI.

Hernia incarcerata.

Inl. RICHTER in utilissimo libro de herniis, omnes hernias incarceratas in tria genera dividens, in 1) acu-

acutam inflammatoriam, 2) lentam, 3) spasticam; in nulla radicem ratione jam significata propinatam, de qua jam sermo est, nocere, in spastica vero valde commendandam esse, docet. Quum vero diagnosi, utrum spastica, an sola inflammatoria incarcerationio sit, adeo difficulter formetur, neque ex usu hujus radicis noxa fieri unquam possit, è re esse videtur, eam ubi & aliquod signum spasmodorum manifestum est, quod in plurimis certe incarcerationionibus contingit, in usum trahere.

§. XVII.

I l e u s.

In hoc morbo, quem plerumque magna inflammatio intestinorum comitatur, nocent ob ipsum illum inflammatorium statum pleraque antispasmodica, alias etiam heroica; at post venæsectionem, semicupia tepida, radicis ipecacuanhæ exiguæ doses quam maxime indicatæ sunt. Interim ob vomitus, ad quos in hoc morbo adeo proni ægroti esse solent, præstat eam hic in minutissima dosi exhibere. Exemplum, ubi morbus vehementissimus post semicupia, cataplasmata emollientia, linimentum volatile, vesicatoria, enemata, venæsectionem, oleum lini, opium, irrita administrata, & per septem dies alvi obstructio pertinax fuerat, radicis ipecacuanhæ granulo dimidio, omni dimidia hora exhibito, (nondum deglutitis granis sex) cum optimo successu sublatus est: narrat *Inl. RICHTER* (*Abhandl. von Brüchen Th. 1. S. 219.*), etiam antea in suo opere (*Chirurgische Biblioth. Th. 3. S. 641.*)

§. XVIII.

Asthma convulsivum.

Auctor, qui, quantum ego scio, primus huic morbo radicem ipecacuanhæ obposuit, est AKENSIDE (*Medical Transactions Vol. I. n. 8. of the use of ipecacuanha in asthma.*) Morbus ab ipso descriptus est asthma convulsivum, sive nervosum. Dederat antea tincturæ thebaicæ guttulas centum, quæ in alio ægroto delirium, in alio initium hydropis effecerat; quam ob causam hanc radicem præfert. In paroxysmo dedit scrupulum unum, ut vomitus faceret; post, ad debellandam dispositionem, quovis mane gr. tria, vel quinque, aut altero mane à gr. quinque ad decem, per mensem integrum, aut hebdomades sex continuas. Quinque grana plerumque vomitum excitabant, tria vero nullam sensibilem evacuationem; ut virtute antispasmodica agere viderentur. Sunt mihi de insigni utilitate radicis in hoc morbo observationes duæ propriæ, quas hic adferre liceat. Anno 1776. mense Januario mulier ætate jam provecta, Hannoveræ in nosocomium transferebatur, quæ jam per tres menses continuos recubare ob tussis violentiam & dyspnœam non poterat, sed noctes diesque integros sedere cogebatur. Initio granum unum pulveris radicis ipecacuanhæ, post tres dies vero gr. tria, omni quadrihorio ei porrigebantur; quæ nullam sensibilem excretionem faciebant, indeque vi sua antispasmodica agere videbantur. Post quindecim dies tussis sedata erat, ac ægrota pro lubitu non solum recubare poterat, sed perfecte postea cum sanitate in gratiam rediit, unice hujus remedii ope.

Eodem tempore typographus ad idem nosocomium delatus est, qui, ut ajebant, inflammatione pleuræ

ræ antea adfectus fuerat: morbus vero rite inquisitus asthma esse inveniebatur; eadem methodo, ac in priorî observatione, & illi radix ipecacuanhæ propinata est: sanatus ea sola, nosocomium non longe post reliquit.

§. XIX.

Hæmorrhagia uteri.

Sanguinis fluxus uterinus sæpius a spasmis oritur, & symptoma hystericum est. Multum ibi hæc radix promittit, nec refragatur experientia. In Suecia primum usus præclarus ipecacuanhæ ad hunc morbum obtinuit; post vero alii etiam Observatores ejus efficaciam corroborarunt exemplis; ut non amplius utilitatem radicis in hoc morbo in dubium vocare liceat. BERGIUS virtutem, quam in hæmorrhagiis uterî sistendis radix ipecacuanhæ exserit, partibus ejus adstringentibus tribuit (vid. Königl. schwed. Abhandl. Th. 32. S. 319.): fateor, radicem vim adstringentem possidere, quod ex supra §. X. adlatis, sat luculenter apparet. (*) An vero tanta ei insit vis adstringens, ut in minutissima illa dosi, qua ipse BERGIUS, & etiam DALBERG, ad conpescendas hæmorrhagias uteri usi sunt, ad remotiores a ventriculo partes & uterum eam extendat, valde dubito. (**) Minutissima illa dosis videtur

(*) DEGNERO etiam vis adstringens radicis jam innouit (*Hist. med. de dysent. contagiosa. p. 132.*)

(**) Inl. MURRAY eandem mecum jam fovisse sententiam (*Mat. med. T. I. p. 538.*) cum voluptate video.

detur potius stimulo in ventriculo & vicinia producto, spasmis infimi ventris obcurrere. Nec deesse exempla, quæ hanc vim antispasmodicam confirmant, ex supra adductis documentis constat.

In observatione prima a *Cl. DALBERG* narrata, tertiam partem granuli quater in hora, sicque ne granulum quidem integrum, ægra sumserat; in observatione tertia granula duo cum quarta parte, quum hæmorrhagiæ jam sanatæ essent. Observationes quinque, in quibus ea methodo radix administrata, in hoc morbo votis respondit, adtulit: *Cl. BERGIUS* autem unam (*p. 320.*) tantum; idem vero & in *Mat. med.* (*p. 103.*) plures eadem viâ feminas sese sanasse adfirmat. Ex ejus sententiâ ipecacuanha sine relapsu malo medetur; ideoque in hoc morbo ut specificum agere illi videtur, & curatæ sæpius sunt, etsi totum pondus ab ipsis consumtum vix scrupulum excefferat. *Cel. DALBERG*, cui honor deberi videtur, quod primus in sanguinis profluviis uterinis ea dosi hanc radicem adhibuerit, anno 1768. primum cum ea experimenta instituit. *Cl. SAXTORPH* (*Diss. de sanguinis fluxu uterino, Hafniæ, 1774. p. 17.*) semel cum fructu se adhibuisse radicem hanc in fluxu uterino observat. *Cl. KAEMPF* (*Enchirid. med. p. 170.*) etiam commendat; dubium vero relinquit, utrum ipse cum illa experimentum instituerit, an auctoritate aliorum nitatur. Mirari autem quis possit, quod adlegati Auctores testimonium *BAGLIVII* silentio præterierint, qui jam pridem in hæmorrhagiis vim ipecacuanhæ probavit (*Opp. 109.*) „ Radix ipecacuanhæ est, inquit, specificum, ac ferme infallibile remedium, in fluxibus dysentericis, aliisque hæmorrhagiis, ut nuper mihi retulit *SHERARD* Medicus anglus. “ Interim nec methodum nec observationem ullam hic Auctor adfert. *BARBEYRAC* (*Medic. const. p. 95.*)

commendat pariter hanc radicem in menſtruis nimis & SIDOBRE (*de variolis & morbillis p. 57.* miras radicis facultates, ad ſanguinis profluvia coercenda tribuit.

§. XX.

Hæmoptiſis.

Pauciores exſtant Auctores, qui in hoc morbo radicem commendant, ac in antea dictis. Contra *Cl. BERGIUS* nunquam in hoc morbo juvaſſe adfirmat, experientia procul dubio niſus. In hæmoptiſi vero ſpaſtica, quæ haud raro obcurrit, multis aliis antiſpaſmodicis antepoſuerem, quum non exæſtuet, ut ſolita antiſpaſmodica & cauſa morbi ſæpius in ventriculo lateat. *Cel. RICHTER* in prælectionibus hanc commendat formulam: ꝑ. Amygd. dulc. unciam unam, tritis adfunde aquæ fontanæ libras duas, in qua coctione ſolutæ ſunt gummi arabici drachmæ duæ. Adde pulveris radicis ipecacuanhæ gr. quinque. *M. S.* omni trihorio cochlear unum ſumendum. Conſentit *MICHAELIS* (*l. c. p. 141*), qui felicem effectum inde in hæmoptiſi obſervavit. Non nocet, ſi etiam vomitus inde ſiant, ex obſervationibus *Inl. DALBERG* & *Inl. MURRAY*; ſed è contrario ſæpius effectus ſalutares præſtant. Mihi quoque parva doſis radicis in hæmoptiſi ſubfecit in caſu jamjam enarrando.

Juvenis ſcilicet viginti annorum, cui corpus gracile phthiſicum eſt, autumnò an. 1778 de adfectibus variis è ſordibus primarum viarum ortis queſtus, me conſuluit. Jam antea pluries, nunc vero quotidie mane, ſanguinem tuſſi ejiciebat, quod vero ſemper me celavit, donec tandem tertio mane eum conveniens, ipſe id viderem.

Sordes primarum viarum jam evacuatae erant, venæsectio ex meo consilio instituta, cæteraquæ, quæ conveniebant, irritò in auxilium vocata: die sexto demum omni horæ quadrante: quartam partem granuli radices ipecacuanhæ cum saccharo albo propinavi. Illico hæmoptysis subflaminata adsumto vix grano sesquialtero radices, ac nunquam ex eo tempore adfectus hæmoptoici redierunt. Metum phthiseos postea aquæ minerales selteranæ simul subtulerunt.

§. XXI.

Tussis convulsiva.

Morbus hic vere spasmodicus, cujus fomes in ventriculo plerumque latere videtur, quum vomitu paroxysmus cedere soleat; præ aliis vomitoria & resolventia exigit, ut quam primum causa eliminetur; experientiam consentientem habeo, juxta quam plerumque etiam cum levamine in usum vocantur. Utrique indicationi ob vim antispasmodicam & resolventem, post sufficientem evacuationem prægressam, minutissimæ doses radices ipecacuanhæ satisfaciunt; tenacem enim pituitam non solum efficaciter incidit, obstructa in pulmonibus referat, & ventriculum vomendo liberat, sed & insultum convulsivum sopire consuevit. Commendarunt eam ad hunc finem *Inl. RICHTER* in prælectionibus suis; *MEZGER*, *COLOMBIER* (*Code de Medecine militaire T. III. p. 88*). *AASKOW* (*Acta Societ. hafniensis Vol. I.*) in epidemia, quæ a. 1767. grassabatur, radicem hanc à gr. $\frac{1}{4}$ —5 dedit. En aliam observationem, quæ manifeste supra dicta confirmat.

An. 1776. m. Decemb. quum tussis convulsiva Hannoveræ epidemice grassaretur, *Cel. WICHMANNUS* ad duos vocatus est pueros, eodem morbo afflictos, quorum alter decem, alter duodecim annos natus. Ambobus omni quadrihorio gr. unum radicis ipecacuanhæ cum magnesiæ drachma dimidia dedit; aliquoties inde vomitus orti, nonnunquam bis aut ter in die alvus laxa. Post quatuordecim dies ambo convalescerunt, absque ullo alio medicamento adhibito.

§. XXII.

Diarrhæa.

Quæcumque supra de utilitate ipecacuanhæ ad dysenteriam memoravi, & huc referenda sunt. Haud levioris autem efficaciam hæc radix est in omni generis diarrhæa, ubi materies acris causam morbi alit, quæ tractum intestinorum irritando spasmos producit. Huc pertinet methodus *Cl. AKENSIDE* in dysenteria jam supra §. XII. adducta. *MICHAELIS* (*l. c.*) sibi radicem in hoc morbo satisfecisse adfirmat. Ante aliquot menses, quum diarrhæa Hannoveræ grassaretur, in dysenteriam nonnunquam transiens, expertissimus *WICHMANNUS* sæpius cum fructu granum dimidium ipecacuanhæ cum drachma dimidia magnesiæ albæ adhibuit.

§. XXIII.

Febris intermittens.

Ufus radicis in hoc morbo maximi certe momenti est & indubiis experimentis nititur. Nullæ

mihi quidem observationes, scriptis Eruditorum consignatæ, occurrere, quod in hoc morbo adhibita fuerit, itaque eo majorem à Medentibus me consequuturum esse gratiam confido, si expertissimi WICHMANNI methodum hic adferam, de ejus utilitate partim autopsia convictus. In pauperioribus, quibus cortex peruvianus nimis pretiosus est, eadem ratione, qua alias cortice, hac radice utitur. Evacuationibus rite præmissis, omni trihorio granum unum cum scrupulo uno sacchari albi, aut magnesiæ præscribit; infuso theæformi florum chamomillæ adjuvantis instar adhibito. Scrupuli duo ita administrati plerumque febrim tollunt, etiamsi nec sursum, nec deorsum evacuent; scrupulum tertium die octavo post sublatam febrim porrigit. Ubi opus est, roborandi causa unciam unam corticis peruviani subjungit. In epidemia magna annorum 1777. & 1779. numerosas febres hac methodo sanavit, nec mihi ipsi defunt fausti successus exempla.

Juvenis, viginti annos natus, a longo tempore feбри intermittente irregulari laborabat. Facies pallida, totum corpus jam leukophlegmaticum, parvam de recuperanda sanitate spem relinquebat. Interim omni trihorio grana duo radicis ipecacuanhæ cum magnesiæ drachma dimidia sumenda suasi. Nullæ inde excretiones sensibiles, nullus vomitus ortus & post quatuordecim dies febris debellata erat, per sequentes octo dies medicamenta nulla plane illi porrigebantur, juxta methodum WERLHOFII, qua ad intermittentes cortice utebatur: illis vero præterlapsis, per octiduum iterum eadem methodo radix administrata est. Ut adjuvans infusum florum chamomillæ hausit æger: habent hi flores, in substantia adhibiti, vim quamdam febrifugam, raro vero solum infusum; ut

ita-

itaque medelæ gloria magis ipecacuanhæ, quam chamomillæ debeat.

Ex numerosissimis, quos *Celeber*. WICHMANNUS mecum communicavit, memoratu dignissimis casibus haud infimum locum obtinet, nec memoriâ indignus videtur sequens. Per plures menses vir quinquaginta annorum cum feбри tertiana luctatus atque modo ad remedia domestica, modo ad magis congrua, immo corticem peruvianum, confugerat; subinde recidivam passus & macie confectus cum tussicula nocturna, molimina phthistica mentiente; auxilium Observatoris denique inploravit, a quo nonnisi ipecacuanhamæ supra descripta ratione accepit. Atque hæc, elapsis aliquot hebdomadibus, ipsi cortici palmam præripuit, ægrotum ex imminente periculo eripiens. Unice roborandi scopo, fugatâ jam febrî, sumsit postea corticem.

§. XXIV. .

Phthisis.

Observatio, qua Medicus quidam flor. sambuci, oxymelle scillitico, post vero parvis dosibus radicis ipecacuanhæ phthisin sanavit, exstat in *Journal de Medecine* 1775. Aout. Post primas doses sputa purulenta diminuta erant. Observatio alia indubia mecum communicata est, ubi DOMINICETTI, per balnea vaporis in vicinia londinensi magno apparatu instituta (*) celebris, phthisticam, præterquam balneis

R 2

il-


(*) Vid. Bemerkungen eines Reisenden durch Deutschland, Frankreich, England und Holland, (Auctore GRIMM) 1775. Th. III. Seit. 211.

illis, unice radice ipecacuanhæ, sanavit. Erat puella octodecim annorum nobilis, cui a refrigerio transpiratiô subpressa erat; unde macie confecta pulmones tussi quasi rejiciebat; etiam in eo erat, ut ultra decem, aut quatuordecim dies eam non vivere amplius posse Medici opinarentur. Quum igitur omnis spes evanisset, Medico illi DOMINICETTI Chelseam tradita est, qui balnea vaporis, & pro usu interno radicis ipecacuanhæ gr. unum bis in die adhibuit. Intra viginti & unum dies transpiratio & menstrua restituta erant; vires adeo prostratas antea, ut semper portari deberet, intra illud ipsum tempus recuperavit, ita ut nunc sola scolas ascendere & descendere posset. Post hebdomadas quinque, pristina sanitate cum vigore virium perfecto restituta, cum agilitate saltavit. Nec sequentibus duobus annis postea 1778. valetudo in pejus mutata est.

Hisce omnibus non dubito, quin plures adhuc adjici possent observationes, quæ vel in scriptis Auctorum hinc inde sub farragine aliarum obrutæ sunt, vel in scriniis Medicorum Clinicorum latent. Dignum saltem argumentum videtur, in quod Practici in posterum penitus & majori adtentione inquirent.



PURGANTIA.



§. 1209.

*I*n intestina &c.; omnia explicui in SYMPTOMATOLOGIA.

§. 1210. *Indicatur hæc evacuatio* 1) *a fluxu alvi non conliquativo*: materia sordida, corrupta, glutinosa, acris, in intestinis hærens, indicat certe sui expulsiorem: nam dolores iliaci, colici, corruptio chyli, ac totius sanguinis, nunc timenda.

Verum notemus, bene hæc ita se habere, quando illa materies ibi vel sensim creverit, vel ex sanguine, aut bilis officina, vel systemate venæ portarum, aut aliunde illuc translata fuerit, cum integris visceribus.

Etenim phthisis, sive pulmonis, sive hepatis, sive lienis, sive alius cujuscunque visceris, id habet, ut adtenuata præ corruptione purulenta materies a vasis absorbeatur, & per systema mesentericum intra intestina deponatur. Hæc diarrhæa, si multis, vel dysenteria, si gravibus comitetur doloribus, si notabilis sit, vitam brevi terminat: & quo plus promoveatur, eo citius: nam homo tunc brevi per purgantia quasi emulgetur totus. Medici in potestate non est ultra, hominem hunc servare; sed, ut postea in CURA PALLIATIVA patebit, per demulcentia &

opiata moderatur hanc alvum; quo fit, ut tranquillus, & paullo lentius æger extinguatur.

2) *A materie peccante ejusque loco* &c.; si nondum adfit alvi fluxus, sed pondus, anxietas, dolor, borborygmi, alvus constricta, adsint, doceor, in intestinis materiem hærare, quæ expellenda; hinc in colicis clausis.

3) *Est idem.*

4) - - - - - *epidémica*; videte SYDENHAMUM *sect. 4. c. 3. de feбри epidémica dysenterica*: indicabantur in illa bis, ter, purgantia.

5) *A revulsione*; centies in anno, qui multa praxi gaudet, capitis dolores purgante tollit. Capitis dolor chronicus sæpe a nimia extensione vasorum encephali. V. s. in pede sæpe juvat, sæpe tantum, ad tempus, redeunte dolore. Purgantia adsumta ex mass. pil. Coch., RUFFI, scammon. bis, ter in septimana, per tres, quatuor septimanas exhibita, sæpe rem totam curant, estque ratio in promptu: vasa sunt nimia copia extensa; hinc dolent, & quia duro ossi adponuntur, vehementer pulsant. V. s. vasa deplens sedat malum. Si depletis vasis vim contractilem penitus recuperent, ut possint in æquilibrio manere cum sanguine, curata est kephalæa, modo id æquilibrium perennet. At vero, si plethora cito renascatur, antequam vasa robur antiquum recuperaverint, kephalæa renascitur. Unde v. s. sæpius repetenda; qua ex re fit, ut corpus debilitetur, & vasa debilia ad minimum raptum sanguinis versus caput iterum dolori causam præbeant.

Ex obposito purgantia sæpe repetita minus quidem deplent vasa, sed a minima derivatione, quam per systema mesentericum purgantia a capite faciunt, vasa paullo minus extensa parumper possunt se contrahere; iterato purgante, antequam plenitudo nimia
rena-

renata fit, iterum parum; & sic multiplici repetitione demum robur antiquum nanciscuntur.

An ergo semper kephalææ ex hac causa natæ alterutro horum restituantur in sanitatem?

Minime; si enim præ distensione nimia & diuturna, vasa robur penitus amifere, vel maximam partem, distenduntur perpetuo, & dolent; sive ipsa præ extensione; sive peticranium, in quod premunt. Idem verum, si in dura matre vitium hæreat.

Unde sæpe conducit, abradere totum capillitium, & pannis siccis, aromatico fumo inbutis, quotidie bis, vel ter, fricare caput, ut, si in vasis externi capitis vitium hæreat, hæc hac lege roborentur; quod scitis in nosocomio cum insigni effectu in inveterata kephalæa cum vertiginibus factitatum esse.

In percussione, aut vulnere capitis, ubi effusus cruor apoplexiam aut minatur, aut facit; in effusione sanguinis in thoracem, abdomen, purgantia antiphlogistica, sed liberali manu, continuo usu adhibita, egregij usus sunt, & summæ sæpe efficaciz in his morbis. Hæc illa *cura resorptionis*, vel *revulsionis*, & v. s. & purgantibus iteratis constans, quam ex BOERHAAVIO, & *Inl. PRÆSIDIS Commentariis*, & propria praxi, toties Vobis laudavi in vulneribus atque contusionibus capitis, thoracis, abdominis; in artuum fracturis cum contusione; in contusione notabili omnium in corpore partium.

In anginis serosis, phlegmaticis, purgantia sunt infiniti usus revellendo: in anginis vere inflammatoriis haud adeo, quamquam etiam ibi eccoprotica profint; non, quod materiem morbi crudam inde revellant, sed quod derivatione humorum ad inferiora efficiant, ut in loca inflammata minor fiat humorum adpressio. Conamur saltem tunc, ut et in phrenitide et plerisque inflammatoriis

riis morbis partium superiorum, per enemata frequentia systema mesentericum laxissimum fervare, ut eo turgente minus obruantur superiora.

6) *A signis coctionis*; si coctio prægressa, si motus critici, si denique symptomata critica faciant colicos dolores, ambigui quandoque hæremus, utrum natura crisin sit molitura per renes, an per intestina, si renes simul doleant: id enim in renum adfectibus solemne, ut dolores colicos adjunctos habeant. Si vero intestina tantum doleant, & non renes, potius expectamus crisin per alvum. Si & renes doleant et intestina, crisis forte per utramque viam fiet. Monui alia occasione ex variis HIPPOCRATIS locis, crises quandoque contingere & per urinam, & per alias vias; quandoque, idque decretorie, per solas urinas.

Igitur in omnibus his casibus enemata ex æquo profunt utrique eventui; emolliunt quippe intestina & renes, ita ut per utramque hanc viam fieri posset evacuatio; juvante decocto hordei cum melle & nitro. Si non sat cito votis respondeat, decoctum tamarindorum cum sale polychresto utramque absoluit paginam; juvatque simul abdomen & lumbos obvolvere cataplasmatibus, fomentis.

7) *A statu ægri*; si æger talis sit idiosyncrasie, ut, si quid ipsi desit, natura per alvum se expediat malis; si homo ille adsuetus sit, bis, ter, quater in anno diarrhæa corripit, & illa non adparente ægrotare; utique indicatur tunc ante omnia purgans: nisi nova atque insolita ægritudo ipsum manifesto aliquo errore invaderet; v. g. pleuritis, aut alius morbus à refrigerio corpore calente suscepto: tunc enim foret sequenda vera morbi indicatio.

§. 1211. *Vetatur a contrariis.*

1) Ergo vetatur ab alvi fluxu colliquante, ut ante exposui.

2) Quando nulla sunt indicia materiæ latitantis in intestinis: quid enim purgare velimus, ubi, quæ purgetur, non adest materies?

3. 4) Vetatur, si epidemici natura non indicat.

5) Vetatur in morbis, ubi revulsio nulla juvare potest, immo noceret; in pleuritide, peripneumonia &c. enemata tamen, ut antea dictum, juvare possunt.

6) *Vetatur a cruditate*; contra præceptum HIPPOCRATIS in *fragmento heurniano*, N. 19 - 27.

7) Vetatur, si natura ægri repugnat; ut in Hystericis, Hypochondriacis, multisque aliis, qui à purgantibus male habent.

§. 1212. *Materies movenda &c.*; diluendo, solvendo, dividendo materiem, ut in vomitu dictum.

In pertinaci alvo juvant egregie frictiones abdominis; sed sæpe dolores ventris illas non ferunt. Cataplasmata toti ventri adposita, continuo renovata, epithemata quoque ex emollientibus parata cum levissime stimulantibus floribus, vidistis sæpe in nosocomio egregii effectus fuisse. Balnea, semicupia juvant emolliendo totum infernum systema, maxime ventris.

§. 1213. *Excitatur* 1) *diluentibus*; si enim talia hauriantur calido corpore, & atmosphæra, fiunt diaphoretica ac sudorifera. Sed attendite, frigus oportere esse modicum, alioqui augere posse ventris dolorem.

Etiam potus hos non oportet esse fervidos actu, quum sic diaphoresin excitarent, sudoresve; non oportet esse frigidus, aut potius diuretica fierent, ut ca-

pite de DIURETICIS videbimus, sed moderate calida. Juvant eò aquæ selteranæ, aquisgranienſes, inprimis ſedlicenſes, carolinæ, aquæ vitriolicæ, aquæ ſalinæ; ut multæ per Germaniam celebrantur. Sal ebſhamenſe, ſal carolinum, ſal ſedlicenſe, aqua multa dilutum. Serum lactis, lac ebutyratum, roob pomorum acido-dulcium, roob mororum, roob ribeſiorum, roob ſambuci, roob ceraſorum, aquâ calidâ dilutum. Ipſi horræi fructus recentes in aqua, aut ſero lactis cocti; uti ſatis patet ex abuſu horum, quo cholerae, diarrhææ, dysenteria oriuntur.

Excitatur plurimis hominibus alvus omni mane hausto per fiſtulam fumo tabaci. Cum ſaliva aliquid hujus ſtimuli deglutitur, ut hinc inſtina in alvum promovendam proritentur.

Excitatur aliis bono vitro gelidæ, omni mane ſumto; vel ſolo, vel poſt chocoladam; aliis & jejune, & poſt jentaculum.

2) *Lubricantibus, ſimulque acrimoniâ facilè ſtimulantibus utcuſque.* Olea blanda, recentia, preſſa; olea recenter preſſa, blandaque vix poſſunt dici ſtimulo agere; ſi enim quid habeant, id plane in oleo obtuſum hæret, quamdiu eſt recens preſſum. Sed acrimonia hærens in inſtinaſ quandoque ita inſtina contrahit, ut alvus pertinaciter claudatur. Oleum epotum & involvens hanc acrimoniam contractionem ſolvit, ſoluta contractione alvus ſolvitur.

3) Fæces ſiccæ implent inſtina, ut fere crepent, & quaſi unum corpus efficiant cum inſtinaſ: oleum epotum largiter emollit fæces & interponit ſe inter mollem fæcum, inſtinaque. Ne miremini hoc: oleum, utut craſſum adpareat, eſt penetrantiſſimum & longe penetrantiuſ aquâ. Si campana in antlia pneumatica corio madido inpoſita aëra externum utcuſque admit-

tat,

tat, corium magis humectatur aquâ, ut turgescens ingressum aëris impediat : verum, nonnunquam adfusa aqua non sufficit, adfunditur oleum : penetrat illud per minimos poros, per quos aqua adeo subtilis non poterat penetrare, & via obcluditur aëri externo.

4) Oleum largiter epotum, & nunc à nobis consideratum, ut solvens alvum, ipsum illud oleum alvi fluxus, aliis remediis non sistendos, sedat. Innumerae dysenteriae longe mitius se haberent, ut dixi & demonstravi nuperrime in binis dysentericis in nosocomio, si Medici hac ratione agerent. Vidistis in juvene dysenterico, quum valida febris laborans & intolerabilis ventris dolore, post copiosissimam alvum, quam, antequam ad nos advenerat, habuit, inmisso enemate oleoso & epoto emulso, cataplasmate quoque emolliente ventri toti circumdato; vidistis, inquam, simul & semel totam dysenteriam curatam, febrimque continuam mutatam in tertianam, sine ullis fere remediis sexto paroxysmo in sanitatem integram abivisse.

Si ibi purgans dedissem, quia dysenteria aderat, utique alvum enormem, pessimam, doloresque enormes produxissem. Dolor enim inmanis, qui aegro in intestinis aderat, oriebatur ex eo, quod acris dysenterica materies abraserat mucum naturalem tunicæ villosæ intestini. Acre purgans ultra datum crudeliter nudos hos villos adficiens, eò undique adlicuisset humores, ut ubique ab acris applicatis ad nuda sensiliaque loca fit; ipseque demum sanguis ex nudis vasis prolectus his se miscuisset humoribus. Dum talis alvus prodit, & continuo redditur stimulo, solent Medici aegro proponere, pessimam latitare materiem, eamque denuo post paucam ab opiatibus quietem, purgante expellendam esse: iterum purgant. Enectus fere pauper aeger dat materiem foetidam, putridam a sanguine, qui tem-
pore

pore quietis effusus ex vasis minimis in cavum intestini ibi putruerat. Horrore adfecti Medici iterandum purgans dicunt, ne includatur intestinis pessimus hospes. Sic sensim omnia intestina depauperantur, donec tenesmi molestissimi, frequentissimi oboriantur, & plures ægri tunc plane emaciati pereant.

Ex obposito, eo, quo egimus, modo illico omnes fere conpescuimus dolores; ultra 47. horas oleum in ventre mansit, & posthac iterum materies naturalis stercorea prodiit.

Verum, nolim credatis, sic Vos omnem curaturos dysenteriam: contrario enim modo agentem me vidistis præterito mense Junio in Custode ægrorum. Pari ratione internis externisque remediis ille tractatus post 24. horas quietis & blandæ tranquillitatis copiosissimam & frequentissimam dejecit alvum, cum sopitorum augmento dolorum. Concludebamus, in illo rem aliter se habere, ac in priori ægro; in priori materiem pravam alvo penitus exivisse, superstitemque intolerabilem dolorem minus malignitati materiæ, quam nudis deberi papillis: hinc oleosa, emollientiaque omnia nudas has partes denuo oblinivisse, sanasse: hinc & dysenteriam penitus curatam esse, cum omnibus suis sequelis.

At vero in posteriori hoc ægro conclusimus, oleosis emollientibusque nimiam ademptam nervis sensibilitatem; attamen copiam malignæ materiæ in intestinis restitisse, antiquos quæ renovaret dolores; hinc drachma rhei ipsi data; unde fœda denuo alvus copiosaque. Hac operatione ad finem deducta & enema oleosum, & emoll. cataplasma, & emulsum paregoricum, involvens denuo adhibuimus. Conticuere dolores; alvus post triduum bona rediit; homo curatus est, continuatis per multos a curatione dies iisdem auxiliis.

Oleum ergo alvum claudit, alvum referat; prout est conditio adfumentis.

Inter olea potanda amygdalinum præfertur, quia minus ingratum: verum, si mihi detur integrum, quid velim præscribere, oleum lini præfero; tum propter miram, quam habet penetrabilitatem, tum præpter tardum rancorem. Penetrabilitatem observavi sæpius, modo mihi inexplicabili: sæpius videram in urina sequente post enemata ex solo oleo lini injecta, guttas oleosas collectas. Putavi vas fuisse impurum; cura sollicita vasorum habita est; tamen idem phænomenon. Quibus, quæso, viis hoc oleum ex intestinis in vesicam penetravit? forte oleum amygdalinum ejusdem penetrabilitatis est; sed, quum non adhibeatur ad 8. 10. unc. in clysmatibus, ideo demonstrari non potest tantarum virium esse. Ergo saltem præferendum illud, de quo id demonstratum habetur; estque pluries mihi repetita hæc experientia.

2) Præferendum est oleum lini, quod longe tardius amygdalinò corrumpatur: hinc, si ratione purgantis eo utamur, perinde est, qualenam adhibeatur; si vero ad sistendam alvum, oleum amygdalinum, per 47. horas in intestinis hæsitans, facile ibidem rancescere & priores potuisset renovare dolores: id quod ab oleo lini non ita timendum. Oleum olivarum quoque tardius, quam amygdalinum, rancescit.

Redeamus in viam! Jura pingua, decocta emollientia, horumve extracta, sive mucilagines, agunt pari, sed debiliori modo, quam exposita olea. Si his jusculis, aut decoctis quid salis addatur, emolliunt simul, atque stimulant, ut **TEXTUS** vult.

Sequuntur sex classes purgantium, quæ a prima mitissima sensim viribus agendi crescunt ad quintam classem usque: sexta classis ex omnibus variis hisce sim-

plicibus conposita dicta respicit: quæ porro quum ex *Materie medica*, & *Chemia* nôstis, properabo ad sequentia.

§. 1214. *Horum delectus*, ex mitioribus, vel fortioribus:

Dosis, major, minor;

Formula, in pulvere, haustu, decocto, pilulis, condito;

Præparatio, infundendo, coquendo, extrahendo, destillando;

Oportunitas, in principio morbi, aut fine: sive ratio dandi prophylactice, aut therapeutice;

Indicantur ut de vomitoriis dictum est; quare eadem ad purgantia adplicentur.

Inprimis vero ex indole materiæ educendæ; ea enim si alkalina, vel acida, vel empyreumatica, vel glutinosa sit, prorsum alia ubique purgantia postulat.

Varias adpellationes purgantia nacta sunt: en maxime obvias:

- 1) *Eccoprotica*;
- 2) *Purgantia per epicrasin*;
- 3) *Minorativa*;
- 4) *Laxantia*;
- 5) *Cholagoga*;
- 6) *Phlegmagoga*;
- 7) *Hydragoga*;
- 8) *Melanogoga*;
- 9) *Panchymagoga*.

1) *Eccoprotica*; *ἔκκοπρότινα*, κόπρος *stercus*: est mitissimum genus, tantum stercora educens; ut multis hominibus est haustus aquæ frigidæ, jejuno ventri-

culo sumtus; pluribus aliis tabaci fumus jejuno ventriculo per fistulam haustus; vel haustus coffeæ, feri lactis; potus Théæ, Ciocoladæ: ita, ut multis sit ecoproticon primus haustus, qui vel frigidus intestina stimulat, constringitque, ut fæces expellant, vel calidus intestina laxat, fæces diluit, sicque exire compellit. Fumus tabaci nonnihil inviscatus & cum saliva deglutitus stimulo suo intestina ad deponendum incitat. Aquæ minerales salinæ id quoque faciunt. Hac ratione etiam sal marinum, gemmæ, fontium, montium, est ecoproticon, quatenus mistum alimentis intestina stimulat ad excretionem. Ita vinum potest ecoproticum dici, quod epotum blando suo stimulo intestina compellit ad excretionem. Omnia alimenta acriora hanc ob causam sunt ecoprotica.

Quare alimenta acriora, copiosius adsumta, vel stimulo nimio intestina constringunt, ut sistatur alvus; vel ita irritant, ut fiat diarrhæa materiæ alimentosæ, non coctæ.

Vere itaque HIPPOCRATES jam adfirmavit, & alimenta posse vera pharmaca fieri.

2) *Purgantia per epicrasin*; quasi per admistionem, aut adtemperationem: GALENUS l. 2. de Alim. ἐπικρασιν exponit „cacochymix curationem, per quam paulatim evacuatur, quod vitiosum est, inque locum ejus, quod bonum est, reponitur.“ Hæc conveniunt in multis chronicis; 2) apta quoque sunt in morbis, ubi absolute purgandum est, v. g. in ileo, in colica clausa, quando possumus ita de hora in horam purgans dare, donec fluat alvus; in quibus morbis quandoque quintuplo, decuplo plus requiritur, quam quidem alias. 3) Conveniunt, ubi vomitus nimius purgans rejicit: repetitis igitur vicibus, dum pars ad intestina sensim pervenit, purgatio sequitur. 4) Con-

veniunt in hominibus vix ullis purgantibus mobilibus: larga nimium dosis aucter tunc data, omnia sursum deorsumque quandoque movet, & corpus reddit ægrum. Hinc strenua dosis, sed per epicrasin data, semper scopo medico mihi satisfecit.

3) *Minorativa*; vix differunt ab eccoproticis.

4) *Laxantia*; quoque similiter agunt.

5) *Cholagoga*; $\chiολη$, *bilis*; *bilem ducentia*: in hac classe posuere rheum, folia alexandrina, cassiam, tamarindos, succum rosarum pallidarum &c.

6) *Phlegmagoga*; *pituitam ducentia*: v. gr. aloë, gummi maxime ferulacea, sapo venetus, pil. RUFFI, cochixæ, agaricus.

7) *Hydragoga*; aquam evacuantia; scammonium, gialappa, colocynthis, medianus sambuci cortex. turbiti &c.

8) *Melanogoga*; quæ bilem atram potissimum purgant, ut helleborus albus.

9) *Panchymagoga*; composita ex singulis quatuor ultimarum classium. CROLLIUS proposuit hac ratione suum *panchymagogen*, in *Basilica sua chymica*. Tale quid etiam profabat in *Pharmacia viennensi*. Extractum catholicum habet fere ea quæ panchymagogen.

An distinctiones ita ad amissim se habeant, ut præcise purgantia cholagoga in nullum alium, quam in biliosum humorem, agant; hydragoga nil nisi serosa educant &c., meritò dubitabitur, quia hoc impossibile est. Tamen id verum fateamur, multum interesse, quid dederimus.

HIPPOCRATES, de helleboro agens, hinc inde sparsim in operibus suis, ait, in ventriculo si ille maneat, & eò versus adliat quasi humores atrabiliaris, perque vomitum expellat, tunc bene agere, sed sæpe & ex ventriculo ad intestina transire. — Videmus spasmos,

mos, convulsiones, hypercatharses oriri ab helleboro lethales. Hinc remedium suspectum & fere venenum, nisi sapienti manu dirigatur: unde HIPPOCRATES, curaturus DEMOCRITEM, quem insanire ab atra bile *Abderitani* ad HIPPOCRATEM scripserant, misit epistolam ad CRATEVAM, summum Botanicum, & iussit eum, quo in loco montium helleborum debeat quærere, quomodo colligere, & quibusnam in vasis exacte clausum, nequa vis pereat, ad se transmittere. Verum perdidimus ea scripta, quibus & vera præparatio, & dosis, & dandi methodus HIPPOCRATIS contineantur; ut ultra de hisce sciamus nihil.

Id saltem tum ex cognitione *Materiæ medicæ*, tum ex Antiquorum monumentis patescit, varia sua actione, varia humorum educatione, inmensum differre purgantia: neque enim rheum aquas educit, quemadmodum scamnoneum, aut jalappa; neque manna, aut cassia, gluten adeo expellunt, quam aloë; neque cæteris paribus cassia corpus fatigat, uti colocynthis. Ita, ut pro ratione morbi aut calidi, aut frigidi, pro ratione materiæ peccantis, etiam purgans sit eligendum, præparandum, exhibendum. Si homo purgandus putrida colluvie scatens, non dabimus scamnoneum, colocynthidem, quæ etiam ex corpore non putrido putridos educunt humores: ex manna, tamarindis, rheo, cremore tartari, paratum pharmacum prodest, & sic de reliquis. (*)

§. 1215.

(*) Est etiam differentia in agendo: fortiora, ut colocynthis, scamnoneum, jalappa, simul unita, [nam seorsim debita dosi sæpe violenter agunt] agunt sæpissime ratione blandissima, ut homines

§. 1215. *Promovetur* &c. ; incerti passim vacillant juniores Medici circa hoc. Rogant sæpe numero ægri, quid debeant sumere post purgans, non est lex universalis: jus solitum stimulo suo juvat actionem purgantis; sed quatenus pingue impedit, ne nimios excitet cruciatus. Calida autem hæc, v. g. jus, serum lactis, oportet adsumere, quum cæterum colici dolores excitentur, dum purgans in corpore est. De hac re generalis regula nunquam statuenda. Vidi, qui vix purgarent, si biberent, quia purgantis stimulus fere quiescebat; si vero nihil sumerent, bene purgarentur. Hoc usu discendum, quando homines ita, quod experti sint, nobis narrant. In genere jus carniū est optimum & consuetum; multi etiam bene habent a potu Theæ, aut Coffeæ.

Verum, ut quæ praxis doceat, huc referamus, dantur casus, ubi opium purgantis actionem unice promoveat.

SYDENHAMUS in *schedula monitoria* ait, in iliaca passione, si æger purgantia evomeret, se dedisse gutt. XXV. sui liquidi anodynī, & dein paullo post purgans. „ Hoc enim, inquit, tempore catharticum sub laudani tutela adsumtum retinebatur, ac suo tandem defungebatur munere. Verum, si anodynorum virtute ac vi jam penitus infractis, vomituritio ac dolor demum redierint, cathartico interim in corpore resistente, in hoc casu ex dejectionibus per inferiora, spe
omni

fere caligas conspurcent, si non sint expediti: mitiora tamen, ut rheum, folia alexandrina, plura tormina excitant. Ita, ut purgantis vim ex faciliiori aut difficiliiori actione metiri non debeamus. *De H.*

omni inpræsentiarum abjecta, ad usum paregorici, supra descripti, revertendum, idemque eousque repetendum, quartâ, vel sextâ quâque horâ, donec intestinâ quies omnimodò inducatur, ac proinde motus eorum naturalis deorsum versus restituatur. Quo quidem tempore catharticum, quod hæctenus, ob contrarium intestinorum motum, in corpore sisteretur, jam operationem suam per sedes exseret: quantumlibet ex tam repetito narcoticorum usu, plane contrarium effectum iri videatur. “

Confirmat eâ, quæ hic dicit, exemplo contingente, quo tempore hoc scribebat. (*)

HUXHAM, *Dissert. de morbo colico Dannoniorum*, jubet, purgantia opio jungere, sic enim facilius, soluto spasmo, purgans operari: probat ex RIVÉRIO, *cap. de dolore colico*, qui dedit aloës ℥j, scammon, gr. vj. laud. op. gr. ij, & *Centur. II. obs. I. gr. v.*

Non solum opium, hac ratione datum, promovet actionem purgantis, verum etiam ipsa purgantia, unâ cum opio data, quandoque operantur egregie, quum cæteròquî tantum evomerentur. Vidi tunc operari in incipiente ileo purgans datum per epicrasin ex elect. diaprun. ℥iſſ, laudan. puri gr. iij, aq. meliss. ℥viij, ut omni quadrante horæ sumeret unciam.

S 2

Non

(*) Immo, narraui Vobis alia occasione casum desperatum, ubi patet Medicus, instante, ut videbatur, morte, dabat quadruplam aut quintuplam dosin puerò suo, ut cum minoribus torminibus moreretur, idque omni trihorio repetens cum aqua & syrupo menthæ: vomitus cessat stercoreus & enematicus, mitigantur dolores, & aperta alvo jam pro morte redit sanitas. *De H.*

Non dico, omnem ileum, vel hac methodo, vel methodo SYDENHAMI, tolli; absit! sunt enim morbi hi & hisce similes plane inmorigeri. De ileo agens docui, qui tunc agendum sit: nempe primum per fumum nicotianæ ano ope apti instrumenti injectum, dein per largum mercurii crudi haustum. Exempla bonorum effectuum tunc simul exhibui, vidimusque unam ex rationibus, cur ileus lethalis, hanc esse, quod nimis sero, vel nimis parce, hæc remedia adhibeantur. (*)

Circa ea, quibus purgantia juventur, aliud quid observandum. Dolores sæpe tanti per abdomen, vel etiam citra dolores contracta & sicca adeo intestina, ut materies depellenda vix queat loco moveri. Eo in casu epithemata, cataplasmata, unguenta emollientia, balnea similia calida emollientia, tum sedando dolores, tum humectando sicca intestina, egregie promovent actionem purgantis. Promovetur denique enemate stimulante crassa intestina.

§. 1216.

(*) In ileo id semper advertendum, quod quo diutius duret, eo fiat pertinacior: unde præstaret, ea remedia adhibere, quæ per se nunquam nocent & interim summæ sunt efficaciam. Fumum nicotianæ quid nocebit adhibuisse, mox ubi ileus formatus videtur? Sane gangrænam natam fumus ille, aut epotus mercurius, sanabunt nunquam. Habemus (dum hæc scribebantur) iterum novum casum in nosocomio civium, in quo puer a strangulata hernia iliacus, fumo tabaci integre citoque est restitutus: femina etiam hac methodo hyeme inibi servata. *De H.*

§. 1216. *Sistitur potu olei*; actiones purgantium quandoque funestæ sunt, 1) ex vitio latente in corpore, ex idiosyncrasia, ex vitio Pharmacopœi famuli, justum pondus supergressi, ita, ut vel prudentissimus Medicus opus habeat, vim ejus infringere, sistere. 2) Inperiti Medici, aut circumforanei, habent duas, tres formulas purgantium, quibus unice utuntur in quavis ægritudine: immo vix praxin aliam norunt, nisi vomendo, purgando, sudores ciendo; unde in quovis morbi genere, & in quovis morbi stadio, utuntur purgante: putant se Medicos esse, dum remedia valide moventia & expellentia nomine noverint. Sed apte ad rem HEURNIUS in notis ad laudatum jam sæpe fragmentum HIPPOCRATIS de purgantibus. „ Nam & vina non data apto tempore nocent. Pharmaca dicebat HEROPHYLUS, nihil sunt, & pharmaca manus Dei sunt: ut nimirum in usum flectuntur dextre, vel sinistre. Plurimi hodie falluntur, existimantes, in remediis ipsis sanitatem habitare: verum pharmaca sunt medicæ artis instrumenta. At instrumenta nullius artificis opus per se absolvunt, nisi doctè in usum flectantur. Nec enim, si mihi adfabre facta instrumenta Pictorum dentur, Pictor ero. “ Videte etiam terribiles historias hujus imprudentiæ apud PETRUM FORESTUM, lib. 22., obs. 16.

Quacunque igitur de causa sive per imprudentiam, sive per incitiam, sive per idiosyncrasiam, id effectum fuerit, ut corpus nimia catharsi in periculo sit, oportet, quemque Medicum mox parata habere, quibus motum nimium consopiat, instrumenta. Fit autem hoc

1) *Potu olei, oleosis blandis*; ut hisce invisceratus purgantis stimulus cesset irritare intestina et provocare undique humores.

2) *Acidis*; inepta PARACELSI & HELMONTII præparatio scammonæi id docet. Voluere vim scammonæi cicurare: igitur cum pomo cydonii in furno excoerre. Acidum austerum cydonii, junctum scammonæo titulo diagrydii, facit, ut si jam eo velimus purgare, dupla dosi indigeamus. Si igitur a scammonæo, gialappa, elaterio, gutta gamba, (gummi guttæ) nimia hypercatharsis fiat, illico spirit. sulphur. per campan. ad gutt. xxx. xl. l. in larga aquæ copia sedamen adfert. Acetum ipsum adripimus illico, ne tempus prætereat expectando.

3) *Adstringentibus*; ut bistorta, simaruba, alumen rupeum, tormentilla, agrimonia, cort. granatorum, cort. tamarisci, cort., fol. quercus, cortex peruvianus &c.; fomenta ex similibus cum vino adstringente parata, toti ventri circumponenda.

4) *Opiatis*; secure vim nimiam sistentibus, & sensilitatem pro tempore adimentibus nervis: gr. iij, in larga mistura aquæ menthæ dentur per epicrasin, donec malum conticescat, in usum etiam vocanda enemata opiata. — Per multos annos viri litteratissimi, sed hypochondriaci, curam habui; cui ira, quæ ipsi frequens, mox alvum aquosam, limpidissimam, copiosam faceret; ut in aliis sit limpida, aquosa urina. Decies conticuit alvus dato enemate ex ζ v lactis & gr. iij opii. Si non juvent talia, addimus enemati huic therebinthinæ ζ j, cum vitello unius ovi subactam. Hac methodo etiam diarrhæam colliquantem phthysicorum sæpe per aliquot dies conpescimus.

5) *Spirituosis*; hypercatharsis non raro à resinosis non bene solutis, & ad intestina fixe inhærentibus. Spiritus corpori ingesti, satis meraci, ut spiritus vini, frumenti, juniperi &c. solvunt illam resinam & sic sedant hypercatharsin. (Addi tum simul potest unum alterumve

granum opii, ut, præter virtutem hanc spirituosorum, resinas intestinorum parietibus adhærescentes solventem; simul & obtineatur scopus alter, illico No. 4. expositus.)

6) *Revulsione in alias partes quascunque; Veterum methode, cucurbitas applicando ad loca epigastrica; vel excitato vomitu: (*) verum priora dicta videntur tutiora, promptiora.*

§. 1217. *Fit & evacuatio &c.; alius modus apertissimus ad exonerandam alvum, quo remedia applicantur per anum ad locum ipsum adfectum, si hoc fieri queat. Incertum tamen, quousque perveniant. Ipse in me expertus fui in morbo, quo jacenti mihi in dextrum latus enemata ex sinistro latere per regionem mediam epigastrii supra umbilicum ad latus dextrum transirent; verum sæpe eousque non perveniunt.*

1) si colon flatibus nimis distentum;

2) si in flexu recti cum colo in sinistro latere subliene, sit nimius conlapsus, vel compressio tenuium intestinorum, materie alimentosa, aut aëre nimis impletorum:

3) si in colo stercora multa insint:

4) si inflammatio in colo adsit, illud coarctans:

5) si colon in hernia sit interceptum.

Cæterum enemata, sive intrent usque ad diverticulum cæci, aut valvulam bauhinianam, sive non eous-

S 4

que,

(*) Ait HIPPOCRATES, *Aph.* 6 — 15. „ Diarrhæa detento sponte superveniens vomitus diarrhæam solvit.“ *Aph.* 4 — 83. „ Mictio noctu multa contingens, parcam dejectionem significat. „ Si igitur natura eo vergat, ducenda; potest quoque sine naturæ ductu tentari. *De H.*

que, possunt habere egregium usum, ut ex sequentibus patebit.

Indicantur ergo

1) *à loco adfecto*; si anxietates, dolores sunt in intestinis: ergo in omni morbo inflammatorio intestinalium, in colica clausa, immo etiam in scirrhis intestinalium, quæ interceptiunt alvum, enemate autem molli inmisso transitum excrementis concedunt; vel intestinum dilatando, si scirrhus in colo, rectove sit vel fotu suo intestina tenuia laxando, ampliando. In hæmorrhoidibus chronicis, nimis tumentibus aditumque sæcibus præcludentibus, emolliendo, intestinum amplificando, viam parant: in compressis intestinis à graviditate, à mole aquarum in abdomine effusarum, viam aperiunt ampliando & leni stimulo compressa intestina in motum peristalticum agitando.

2) *A materie educenda*; dura, compacta, unde vincit illa vim fibrarum intestinalium: vel, etsi dura illa non sit, tamen vis fibrarum debilior sit ad propellendum: unde indicatur in crisi tali

3) *à viribus adtrititis ægri*; ita, ut necessario purgante indigeret, verum actionem ferre nequiret. Alvus tamen, quum necessario sit exoneranda, enemate sollicitetur;

vel *ejus temperie* indicatur, quum nunquam in sanitate purgans ferre potuit sine animi deliquio, & tamen nunc in discrimen incurreret, si alvum non deponeret.

4) *A siccitate, calore, motu nimio humorum in acutis*; sane hic est eorum egregius usus. Enemata adplicata sine stimulo, à vasis lacteis & venis mesentericis inbibuntur, ut quandoque nil eorum alvo exeat.

Igitur enemata aquosa dum inbibuntur, sanguinem diluunt, & sicca solida emolliunt, humectant. Ene-

mata aquosa, mista cum nitro, cum sapis horræorum, adsumta à lacteis &c. calorem mitigant. Enemata refrigerantia & emollientia adsumta intra sanguinem mitigant acre, quod in humoribus motum nimium excitat & refrigerium largiuntur à nimio adtritu.

Juvat quod consilio HIPPOCRATIS agere queamus enemate quantum velimus in acutis.

5) *A concilianda revulsione & lenimine requisito in febris & humoribus acribus*; lenimen mox exposui: sed revulsio nunc exponenda. Enemate primò acriori expulsa fæce jam sunt omnia intestinorum vasa minus pressa, suntque minus pressa omnia vasa viscerum abdominalium, hepatis, omenti, diaphragmatis, lienis, pancreatis, peritonæi, renum, vesicæ, uteri: ergo plurima vasa aortæ descendens, nunc minus pressa, plus admittunt sanguinis; ergo revulsio fit a capite. Si jam post fæcum excretionem enemata emollientia injiciantur, hisce vasa illa libera intestinorum adhuc magis emolliuntur, laxantur; ita, ut systema mesentericum jam longe plus accipiat, quam antea, fiatque à superioribus eò major revulsio. In phrenitide, angina inflammatoria, inflammatione superiorum thōracis, hæc egregia sunt.

Addenda hic, quæ in *Textu* non sunt, nempe

6) *A nutritione*; exempla visa anginæ inflammatoriæ, ubi intra septem dies vix guttula intra corpus ore intraret; ubi clysmata ex lacte, ex jure carniū cum succo citri, injecta paucâ copiâ, quinque sex unciarum, omni trihorio vel quadrihorio renovata, vitam hominis interea sustinuerunt. In scirrhis faucium, aut œsophagi his fuit vita aliquantisper protracta.

7) *Ab impossibilitate medicamenta per os ingerendi*; morosis infantibus intermittente in febris cortice indigentibus, nec sumere volentibus, corticem coctum

triplici dosi ingerimus ope enematum. Tuta sæpe & celeris curatio est. Eluuntur primum intestina a fæcibus bene, idque quotidie, aut alterna die: tum enemata parva injiciantur, tam sæpe, ut triplô dosis major sit eâ, quâ infans ille per os indigeret.

§. 1218. *Clysmata itaque varia sunt; nempe ut indicatio jubet: ex fumo tabaci certissima res. Suadeo, ut secundum exemplar, quod vidistis in nosocomio, (expressa etiam formula in Adversariis Cel. GAUBII) curetis omnes talia instrumenta fieri, ut in hernis, ileis, semper parati sitis.*

Atque hinc subpositoria moventia, stimulantia, acria, intelliguntur &c.; hæc ano inmissa, dum liquefiunt, excitant stimulum ad finem recti, quo sæpe vis peristaltica determinatur deorsum, validissimo tenesmo ad anum, qua determinatione etiam fæces eo versus ducantur. Minus juvant, quam enemata; tamen usui veniunt sæpe in infantibus morosis, quibus enemata adplicare, aut purgantia dare impossibile. Juvant etiam in debilibus, quibus purgantia dare & enemata injicere vix ausi sumus, quia vix moti animo linquantur; ut in quibusdam fit. Juvant in hominibus, qui his solebant olim sibi siccam alvum, aut inertem provocare. Veteribus magis in usu fuere, quam nobis, quibus enematis adplicatio frequentior.

§. 1219. Si est ad magnum stimulum excitandum, vel ad fluorem hæmorrhoidum excitandum, aloë cum melle coquatur in spissam massam. Si est ad alvi educationem in infante, ex melle cocto, ex sacchari frustulo, ex sebo candelæ, ex caule petroselini, oleo intincto, ex semine carvi saccharo obducto. Si est pro homine adsueto subpositoriis, ro-

gandus est, quo subpositoriorum genere consueverat bene deponere?

In rebus pertinacibus, quando nulla arte alvus potest promoveri, etiam hoc auxilium adhibemus, ut omnia auxilia simul adplicentur; nescientes, quâ viâ quandoque natura cooperatura sit.

DIURETICA.

§. 1220.

R₂ vacuatio per vias urinæ indicatur 1) a signis *coctionis*. Licet natura necdum determinet futurum, quò pellat materiem, locum; tamen emollientibus mellitis, nitrosis, acidis saponaceis, ut omnia corporis loca, ita & vias urinæ expeditas conamur reddere. In nostra methodo dandi quotidie 2. 3. mensuras aquæ hordei cum melle, vix indigemus hic aliquo præcepto, quia ea methodo viæ omnes parantur.

2) *A fluxu critico materiæ morbosæ per renes*, quo in casu mox dicta subsunt, nisi natura langueat; si langueat, tunc subpetiæ illi ferendæ, ut mox videbimus.

3) *A materie peccante salina*; quum per vias urinæ soleant abire salinæ aquæ, si eo determinentur,

tur; quumque per vias urinæ soleat se natura expedire ab omni acriori sanguinis; convenit in nimia salina muriatica, aut ammoniaca, acrimonia, vias has fluxiles (liberas) reddere; uti postea, qua id fiat methodo, dicetur.

Saponacea: si salia atque olea abundant in sanguine; aut, si quis salina atque oleosa diæta multum abusus fuerit; maxime, si alkalina diathesis adsit, cum multa pinguedine fusa, ut in pinguibus hominibus sæpe fit, dum acuto morbo, aut etiam debilitante multum tertiana, quartana, aliove chronico morbo, laborant.

Terrestri subtili; ut, quibus urina sæpe scatet tenuissimâ farinâ, quando per aliquod tempus quieverit. Præstat his expeditas semper tenere urinæ vias, ne quando terrestris subtilis materies illa in sanguine manens melancholicam temperiem producat, in qua terrestre abundat; vel, ne stagnans ad renes, aut vesicam, in calculos, aut tophos abeat.

Scorbutica, sive alkaliescente putrida per acida saponacea; acida per aquas selteranas, spadanas, &c.; muriatica per aquosa.

4) *A loco adfecto*: si renes obstruantur sine inflammatione, indicantur deobstruentia, diuretica: si inflammati sint, aquosa, saponacea, sola conveniunt, cum fotu perpetuo per enemata & externa cataplasmata balneaque; sed a fortioribus abstinendum. In calculo renum passim a diureticis abstinendum; quia ignoramus, magnus, an parvus, sit calculus; qui, si pelletur in angustias ureteris, posset majora mala & mortem, creare. Hinc Medici nunquam in renum calculo audent diuretica præscribere.

5) *A constitutione epidemica*, uti HIPPOCRATES talem observavit, in qua multi sola Urina judicabantur;

tur; urinâ crassâ, albâ, multâ. Naturæ tunc subcurrendum eô, quô mox dicetur, modô.

6) *A temperie ægri, auscultante huic evacuationi, aut adfuenta*: libero copiosoque urinæ fluori æger in sanitate semper fuit adfuetus: jam aliquo incommodo laborans, parum urinæ emittit. Diuretica, & cum temperie, & cum natura mali, convenientia tunc indicantur: metu, ne forte hinc præfens malum, aut natum, aut fotum sit; ea spe, fore, ut restituta diuresi, aut præfens malum cesset, aut mitescat.

§. 1221. *Vetatur a contrariis*; Ergo, si neque signa adsint coctionis, nec conamen naturæ, ut per renes critice materiem evacuet; nec materies ullo modo in corpore acris sit; neque ulla adfectio renum adfuerit, neque aut talis constitutio epidemica, aut consuetudo ægri; si demum calculus adfit, diuretica non sunt exhibenda: si imprimis corpus sit bene sanum, cur velimus augere unam excretionem præ alia? Auctâ illâ forte minuetur, vel cessabit, alia; unde incommodum nasci poterit aliquod. Ridiculi sunt homines, qui vina ideo adprobant, quod multum urinæ inde dimittant, reprobantes illa, quæ non auctiorem solitâ efficiunt diuresin: deberent adprobare ea, quibus in usum vocatis sana natura manet, uti in sanitate semper solet esse. — Æque peccant illi, qui, sani existentes, diuresin ament productam a vinis, quam illi, qui ab alimentis semper laxam petunt alvum, vel profusiores sudores; dum interim bonâ alvô, & sine sudore, rite semper valerent.

§. 1222. *Excitatur usu aquæ copiosæ, vel aquosorum.* Aqua simplex, infusa theata, decoctum coffeæ &c. si copiose potentur, nec corpus calore, motuve, ad diaphoresin, aut sudorem, disponatur, copiosissimam, tenuem, pallidam, urinam fundunt; uti ex capite de URINA patuit.

2) *Salibus alkalinis fixis, volatilibus; simplicibus vel compositis.* Aqua felterana [cujus analysin genuinam chemicam alio loco dabo] habet sal alkalinum fixum in se: sal volat. oleos. SYLVII cum multa aqua.

3) *Salibus fixis, neutris, compositis:* sal marinum cum paucis succo citri & aqua multa; drachma una salis ammoniaci cum unc. duodecim aquæ; tartarus tartarificatus cum multa aqua.

Ostracodermatis solutis cum acido, in corpore nostro, vel extra illud: ex acido, ostracodermatis, vel lapidibus cancerorum, misto, tertium corpus nascitur, quod possidet aliquid proficuum in quibusdam intertriginis speciebus & scabiei, tum & vim diureticam. Solvantur, sive potius saturantur, acido extra corpus humanum, si in hoc acidum non adsit: dum vero copiosum in corpore hæret acidum, dentur modo illa absorbentia; quibus tunc & acidum abundans in corpore aufertur, & diuresis promovetur.

Igitur vetatur tale diureticum in acutis crudis, quia natura iisdem cogitur, crudam materiem movere, & ad vias urinarias deponere. Est tamen mos frequentissimus, absorbentia dandi cum admistis acidis.

§. 1223. *Diuretica juvantur vacuo stomacho:* quia tunc via expeditior ad intestina, inde in sanguinem.

Codtione prægressa, ciborum, ne diu nimis illa detineantur a coquendis, sed ut cito ex ventriculo ad intestina eant, & a lacteis primis saltem absorberi queant; tum, ut cocta moveantur, non cruda. Videatur circa hæc SANCTORIUS.

Motu corporis leni; ut humores & vasa parumper agitentur.

Aëre frigidiusculo; ne per motum vis diureticorum determinetur ad cutim & per sudores, aut diaphoresin, abeat.

Calidis interim lumbis, hypogastrio, pube, perinæo; ut humorum copia major in totum hocce systema derivetur: frigore enim infimorum materies aliorum determinaretur, vasis a frigore constrictis, resistentibus. Hinc juvat & lumborum frictio.

§. 1224. *Sistitur, aut sedatur, usu 1) emulsionis viscidioris, gelatinosæ*, quâ sanguis inspissetur, minusque aptus fiat, ut per renes tantâ effluat (serosa ejus pars) copiâ.

2) *Adstringentium & roborantium simul*; nempe, si simus in casu, ubi laxitas vasorum speciem pseudo-diabetes facit: quæ petenda ex capite de CARDIACIS, in specie secundæ debilitatis.

3) *Opiatis*, quibus omnis humorum motus diminuitur, omnisque secretio.

4) *Determinatis in alia loca &c.*: rheum v. g. quibusdam emeticum fieret, si potu tepido determinaretur, ut per ventriculum sursum exiret; cum determinatione ad renes fit diureticum: &c.

Ergo videtis, in diabete prodesse potest purgans, emeticum, diaphoreticum (pro diversitate regiminis simul adhibiti). *Egregius HARRIS octuagenarium mer-*

catores a magna diabete brevi curavit infusione ex rheo, lignis fantali, & sem. cardamomi; hac ratione derivata materies ad intestina & cutim.

MENAGOGA ET ARISTOLOCHICA.



Meritissimo jure sub uno capite AUCTOR hæc comprehendit, quia sanguinis per uterum evacuationem ambo intendunt. Sed, lochia non admittunt sæpe ea dicta pellentia: concedo; sed nec menses, ut patet ex §. 1226. No. 3.

§. 1125. *Evacuatio sanguinis menstrui, vel puerperii, per uterum, indicatur 1) ab ætate, 12. 14. 16. annorum, dum puella jam vel akmen adepta est, vel brevi adeptura, vel saltem incipit grandescere. Fallit tamen nonnunquam hæc regula: vidi quippe puellas post menses acceptos adhuc multum grandescere: hinc non tantum ab ætate, sed &*

2) *A Plethora; virgo quandoque & staturâ parva esse potest, & plethorica; ita, ut copia adsit pro mensibus educendis, & ut tamen pergat crescere præ copia plethoræ. & facili extensione: ut enim femine, quæ & gravidæ & simul omni mense menstruantur;*

tur; ut feminæ dantur, quæ infantes lactant, & tamen habent abundantes menses; ita & virgines sunt menstruantes, & tamen post hunc terminum adhuc crescentes in magnam proceritatem.

Verum, quemadmodum magis frequens est, ut feminæ gravidæ aut lactantes non menstruentur; ita etiam virgines plethoram maxime colligunt, dum corpus ad augendam proceritatem cruore minus indigere cœpit.

(Quæ hic circa indolem fluxûs menstrui inferuit HAENIUS, ceu ex PHYSIOLOGICIS aliunde nota, omisi.)

Dum hæc catamenia aut parcius fluunt, aut tardius, aut omnino non, passim talis femina ægotat.

In hac ægritudine remedia requiruntur, quæ subpressa catamenia restituant: his restitutis passim sanitas redit.

Verum, multa hic advertenda, antequam quis ad hæc remedia confugiat.

Plethora oportet ut adsit, neque morbi ulli, qui a retenta plethora originem non ducant (*): v. g. menses retardant, subsistunt, quod mulier pleuritide correpta in phthisin pulmonalem inciderit. In femina hægana phthifica eramus occupati, *Inl. BARO* (VAN SWIETEN) tunc adhuc Leidæ agens, & ego, ut phthisi mederemur. Empiricus Medicus posthac salutem promissit

(*) Menses non veniunt mox ubi a morbo acuto resurgit femina. Peccat Medicus emmenagogis datis; quia forte per 1, 2, 3. menses natura omnem sanguinem inpendet renutriendo, quod perditum per morbum fuit. *De H.*

fit adfore, si redirent menses: dedit emmenagoga multa, ipsumque Martem; hæmoptoica facta inde mulier misere periit.

Quippe morbus talis non fert ejusmodi remedia; quin potius febris exin accenditur, & humores rarefiunt, & per debilia pulmonis vasa ruunt foras.

Idem observandum, si ex quacumque alia inflammatione nata fuerit subpuratio.

Quin deest præcipua causa his feminis, quæ menstrua producat, plethora: si enim quandoque fiat in hisce v. s., ea non ad plethoram resolvendam instituitur, verum potius, ut de lardacea materie sanguinis, febrim hecticam augente, sensim quid dematur, utque vita, pro tempore minor reddita, minus promoveat subpurationem, facilius medicamenta antipyrica admittat.

Itidem, si ex ipsis menstruis directa via morbus oriatur, non ideo jubemur illico, ad revocanda illa medelam convertere; quin potius summum quandoque id nefas. Mulier, quo tempore menses habitura foret, vel frigore ingenti corripitur ad pudenda, vel terrore magno adficitur, mensesque subsistunt: durat hoc per 2, 3. menses, sanguis stagnans spissus fit, extenduntur vasa, extenta hæc amittunt multum de sua vi contractili; oritur languor per universum corpus: ipse demum sanguis a stagnatione & laxitate vasorum fit vappidus, viridis, albus, color chloroticus in facie & cute nascitur, scilicet ex albo & flavo veluti viridescens: etiam undique incipit corpus hoc tumere, pallescere, ex stagnatione partis magis mucosæ & aquosæ in vasis lateralibus. Superest demum boni sanguinis fere nihil. Femina hæc torpida, debilis, ad minimos motus anhelat; ita, ut cor palpitet, ipsaque in collo advertatur palpitatio.

Hinc

Hic morbus ex folis subsistentibus mensibus natus est; hunc, si per emmenagoga restituere conetur Medicus, toto cœlo a scopo aberrat. Est casus hic, quo multæ mulieres pereunt. Cacochymia primo est emendanda; dein corpus disponendum, ut bona regeneretur plethora; tunc menses vel sponte venturi sunt, vel arte provocandi: quomodo cacochymia emendanda, *in capite de INDICATIONE CORRIGENTE ET EVACUANTE FLUIDA* dictum est. Cacochymia educta conveniunt cardiaca primæ speciei: nam evacuatis pravis humoribus partim, partim emendatis, desunt passim subficientes boni humores.

Ergo 1) per cardiaca primi generis boni humores sunt ingerendi; tum 2) cardiaca conveniunt secundæ generis; quia humores boni adsunt, & vasa laxa. Si hoc rite peragatur, renascitur sensim plethora: adhibentur tunc interna externaque auxilia, ut menses queant revocari.

Etenim, qui ultima hæc auxilia classis secundæ cardiacorum adhibet, in plena cacochymia, ille profecto adigit lentos crudos depravatos humores in angustias pulmonales, ut pereat femina per peripneumoniam; aut in ultima vasa corticis cerebri, ut nascatur apoplexia mucosa; aut in ultima vasa hepatis lienisque, ut nascatur sive scirrhus, sive teterrimus hydrops.

Igitur ponamus casum, ubi dare hæc expedit. Si femina menstruis carens, & jam lassitudine, torpore, dolore lumborum, crurum, hypogastrii torqueatur, non nihilque anhelet; ita tamen, ut sanguis adhuc & bonus in illa & copiosus sit, tunc in eo versatur, ut à remediis emmenagogis, nunc exponendis, capiat levamen, sanitatem recuperet.

Sic simul explicui hoc 3) a morbo quocumque, hinc pendente, ejusque symptomatibus; intellexistis,

quibusnam in morbis a menstruo subpresso liceat directe in menses provocandos agere, in quibusnam non liceat.

Sed additur in *Textu*, ut *inprimis in puerperio*: de hoc aliquid dicendum est.

In puerperio lochia, quæ Vobis in *morbis puerperii* (seorsim edendis) exposita sunt, possunt inminui mox a partu, aut subsistere penitus,

1) quia ante partum, inque partu, adeo largam hæmorrhagiam femina habuit, ut sit semiexhausta & debilitata. Medicus, qui velit lochiorum fluxum in hoc casu restituere, potest ingentia mala feminæ conciliare, mortemque ipsam.

2) Quia brevi a partu lactat puerpera infantem fortem, robustum, qui hac ratione consumit plethoram, vel saltem eam cruoris copiam, quæ alias per uterum effluxisset. Si talis mulier nil mali patitur, ineptus est Medicus & noxius omnino, qui revocanda lochia in animo habet.

Cæterum, si præter hos casus lochia cessent brevi post partum & mulier inde ægrotet, oportet tunc revocare eadem, ut mox dicetur.

Qua tamen in re oportet scire, non dari tempora determinata lochiorum in puerperio: una femina habebit eadem per 14. dies, alia per 10., alia per 8., alia per 6, per 3, per 4. Eadem femina uno in partu duplo copiosiora & diuturniora lochia habebit, quam alio in partu. Si cæteroque omnes illæ feminæ variæ, vel in variis partibus eadem feminæ, adeo differunt copia temporeque lochiorum, & nihilominus bene habent, abstinendum est ab omni medela provocante. Subscit quod *ἔνφορος φέρει*, adeoque designatur, abundantem sanguinis copiam jam corpore exivisse, vasaque inter & sanguinem æquilibrium rediisse.

§. 1226. *Exercetur* 1) *determinantibus ad uterum fomentis, balneis pedum crurumque*; quid balnea faciant, jam dictum toties. In *morbis virginum* jam totum hoc longe lateque explicui.

2) *Aperientibus*; circa hæc etiam in Tractatu de *morbis virginum* actum.

3) *Remediis chirurgicis*; quando vel membrana hymen non est perforata, vel laterum vaginæ concretio adest; vel alia talia reperiuntur. In *morbis virginum* ac *parturientium* dixi, quomodo tunc esset agendum.

BOERHAAVIUM dicentem audivi, ut apud HIPPOCRATEM in nimiis mensibus, aut lochiis, cucurbitæ jvant sub mammis, ita in arcanis esse provocandorum mensium, aut lochiorum, cucurbitarum adplicationem ad interiora femorum. Sed minus hæc fiunt, quum verecundia sæpe vel proponere vetet Medentem, vel admittere patientem.

§. 1227. *Sislitur, si nimia fuerit, 1) revulsione*; nimia intelligitur esse, si vires inde minuantur. Revulsio fit 1) *venæsectio* ne in brachio; qua in re prudentia opus: si enim menses, aut lochia, sint admodum copiosi, & causa sit nimia uteri laxitas, apertura vasorum uterinorum, ita ut, licet plethora omnis dudum adempta sit, pergat tamen per oscula laxata, nec se restituentia, effluere sanguis; v. f. in brachio posset ultra debilitare, & tamen sanguis dilabi per laxatum uterum, quamdiu adhuc ullus sanguinis est per vasa motus. Igitur v. f. in brachio rarius hic usui erit, nisi quando vires nondum multum dilapsæ sunt, & facile adhuc v. f. revellens tentari potest, sine multa jactura virium, & quando mox hypogastrio, lumbis, pubi, adstringentia fomenta adplicantur.

2) Revulsio fit methodo HIPPOCRATIS v. *Aph.*
5—50 explicatum in *Tra&atu de morbis mulierum.*

Sistitur 2) *adstrictu vasorum*; per ligaturas ad artus; fomentis ex aceto frigidiusculis, ut horrore incusso toti corpori etiam uterina oscula constringantur. Remedia adstringentia ex secunda classe cardiacorum petenda.

3) *Opiatis*, ut toties dixi: sed non dando granum unum & dein dicendo, opium non juvat; sed dando per epicrasin, donec levamen habeatur.



*

*

*

Quum VARIOLARUM INSITIO ,
seu INOCULATIO , nostro ævo in-
dies magis magisque pro meritis ,
æstimetur , excolatur , promoveatur ;
Ipsis MAGNATIBUS , PRINCIPIBUS
ac AUGUSTISSIMIS de præstantia
encheireseos , (quâ facillimâ , tanta
obtinetur commoda , emolumenta)
convictis , eamque in propria familia ,
in proprio corpore , admittentibus ;
operationis hujus , ab *Inl. Archia-*
trorum Comite , reique omnis medicæ
per terras austriacas Præside , Li-
bero Barone DE STÖRCK , celeberrimoque
praxeos medicæ in Universi-
tate Vindobonensi Professore STOLL
hic loci inprimis excultæ , breviuscu-
lam saltem descriptionem operi huic ,
antequam ordinem *cel. Auctoris* ad
Phlebotomen nunc transredientis pro-
sequeretur , omnino inferendam censui.—
Huic scopo apta mihi visa est *Differ-*

ratio inauguralis medico - practica DE IN-
SITIONE VARIOLARUM publicæ dis-
quisitioni in Univerſitate Vindobonenſi
anno 1780. ſubmiſſa à D. *Sigiſmundo*
BARISANI; dictorum magnorum Vi-
rorum inprimis *compendium*. En libel-
lum verbis AUCTORIS relatum.

C A P U T I.

De variolarum naturalium ſtrage, ac fati inoculationis.

De inoculatione variolarum ſcripturus optimum fore cenſeo, ſi prius quid de ſtrage variolarum naturalium, ejus cauſis, ac fato inoculationis in genere diſſeram, ut utilitas (non dicam neceſſitas) inſitionis magis eluceſcat.

Eſſi mors variolantium naturalibus variolis non ſemper adſcribi poſſit, ſed ſæpe, (ut opinor) malæ medendi methodo, quæ apud vulgus (quod raro utitur in hoc morbo Medicis) plerumque in ſtimulantibus & antiſepticis, ac apud non paucos Medicos in antiſepticis conſiſtit remediis, quin ad genium febris concomitantis, diverſaque adtendant ſymptomata, quæ aliam forte methodum medendi expeterent; eſſi calculus, juxta quem ſeptimus quiſque variolis naturalibus decumbentium moreretur, exorbitare videatur, aut ſaltem non quælibet regio de tanto hoc morbo mortuo-
rum

rum numero lugeat, ut ex calculo ab *Inl. L. B. VAN SWIETEN*, (*) Viennæ factò patet, quo quinquagesimum quemque ad summum mori decernitur; certum tamen est, sat multos hoc malo trucidari, quod nullus, nisi præjudicio captus, in dubium vocabit, qui variolas naturales omnis ætatis & temperamenti homines, ægros æque, ac sanos, adficere posse, & frequenter adficere, considerat.

Horum consideratione ducti, & de bono reipublicæ solliciti Medici de remedio, quo major variolantium numerus conservari posset, cogitabant.

Diversis igitur experimentis cum Mercurio dulci, cinnabari, camphora, moscho, aqua picis, largissimis venæsectionibus, & aliis adhuc remediis feliciter institutis, sed non penitus ex voto cedentibus, tentârunt tandem inoculationem temerario (ut videretur) ausu, si hanc non jam diu a Græcis, Turcis, Europæis, Afris, (Sinis) aliisque barbaris nationibus egregio cum successu institui scivissent.

Sed, ut in omnibus quid humani est, sic & in hac re erat. Brevi enim insitione etiam ab incautionibus Inoculatoribus facta neque hoc remedii genus, quod omnium optimum promissit eventum, ab omni infamia immune persistebat.

Hinc insurrexere quidam Medicorum, neces plurimum inoculatorum videntes, qui axioma medicum, quasvis res nonnaturales bono usu bonas, ast malo malas fieri, non satis perpendentes, utilitatem insitionis dubiam esse credebant, aut omnino atrô depinxere calamo. Insurrexere Theologorum aliqui, Medicorum ratiociniis seducti, qui inoculationem legibus naturæ

(*) Comment. T. V. pag. 145.

divinisque illicitam esse vulgo, novis inventis aliunde facile infenso, persuadere nitebantur.

Unde bella oriebantur litteraria, ad scientiarum incrementum optima; si non frequenter pugnaretur armis, quæ viros doctos non decent, nec indocti, ut videantur docti, se his litibus inmiscere amarent; quod etiam in hoc bello contigisse dolendum est. Non enim omnes ad veritatem eruendam pugnabant, sed ut gloriam, quam propriâ doctrinâ adsequi non audebant, viris de re medica optime meritis acri & mordaci stylo eripiant. Ex utraque parte acriter dimicabatur. Aliqui insitionis defensores calculis, tunc temporis, quo inoculationis negotium, ut a paucis tantâ prudentiâ, ita nec tanta ac hodie fortuna tractatum fuit, certo non exactis, sophismatibus, fictionibus, variisque contra antiinoculatores injuriis, insitionis gloriam reparare tentabant: quod, ne factum fuisset, quilibet æquus rerum æstimator, ad ipsam inoculationis famam, exoptabit. His non convicti, sed jure merito obfensi antiinoculatores & horum aliqui debitos transgressere limites ac sophismata sophismatibus, fictiones fictionibus, injurias injuriis repellebant.

Tandem Principes omnia, quæ ad felicitatem & conservationem subditorum quid conferre videntur, avida adripietes manu, viros & doctrina claros, & veritatis amore notos, ad litem, quæ circa inoculationis securitatem oriebatur, decernendam experimenta instituire jufferant: quo denique factum est, ut hodie ferme nullus Medicorum de utilitate insitionis dubitet. Utinam nec populus, clamoribus nimis anxiorum in contrariam abreptus sententiam, de hac veritate dubitaret!

CAPUT II.

De certis inoculationis commodis.

Ne autem me gratis quidquam adsumsisse videar, utque ea, quæ circa inoculationem ipsam instituendam dicturus sum, clariora evadant; non incongruum fore duxi, si hoc & sequentibus duobus capitibus variolarum tam naturalium, quam insitarum commoda & incommoda a Viris non solum expertis, sed etiam ab omni partium studio alienis observata recensere, ac explanare satagam.

Observatione SYDENHAMI (*) & aliorum constat, variolas eo tempore, quo epidemia, imprimis febris biliosa, aut putrida regnat, facile malignas reddi, eò quod ab epidemia fere semper quid participant duplicatusque morbus cæteris paribus certo minus periculo careat. Si igitur ad insitionem tale eligamus tempus, quod nullâ epidemiâ infame est, omnium maximum variolarum naturalium incommodum evitabimus. In populosioribus quidem urbibus rarò tempus ab omni epidemia liberum exstat, ob aëris forte puri defectum: sed aliunde non suaderem, in civitatibus inoculationem instituere, quum ob commercium hominum in his vix non inevitabile & aliorum infantes, commodo a me postea recensendo destituti adfici possent: *Celeberrimus* enim ROSEN VON ROSENSTEIN (*) ait: „Es ist genug, wenn nur Einer von einem solchen Orte, wo die Pocken eingerissen haben, her ist. Er kann das ansteckende

(*) Oper. omn. Tom. I. sect. II.

(**) Anweisung zur Kenntniß und Kur der Kinderkrankheiten. S. 129.

sende Gift entweder durch sich selbst, oder seine Sachen, mitführen“ & pluribus exemplis adfertur hujus veritatem satis (ut mihi videtur) demonstrat. Neque negari potest, variolas per infitionem natas contagium spargere posse, aut miasmate contagioso gaudere: *Inl.* enim *L. B. VAN SWIETEN* (*) pus variolarum infitionum alteri homini adplicatum produxisse variolas, & sic in nonum usque derivatum fuisse, eodem cum successu, adferit. Unde contagium per inoculationem non minui, sed æque actuosum manere, concludit.

Variolæ naturales ægros, valetudinarios, reconvalescentes, quorum vires, a prægresso morbo deperditæ, nondum reparatæ sunt, gravidas, puerperas, uno verbo, subjecta quæcumque sine discrimine infestant. Non autem quasvis ægritudines, variolis conjunctas, periculo carere evictum est, ad morbum perferendum vires vitales inlibatas omnium primo requiri; gravidis, puerperis &c. variolas plerumque male cedere. Hinc magni etiam erit momenti, si hic morbus homines in tali statu adoriatur, quo ab his, & pluribus aliis adhuc malis nil ipsis timendum est; quod emolumentum inoculatio nobis optime præstabit. Nam hujus ope ab arbitrio nostro dependet, variolas excitare tali tempore, quo inoculandus ab his incommodis inmundis invenitur.

Ast non credendum, quosvis morbos, variolis conjunctos, perniciosos esse; immo existant exempla morborum inoculatione curatorum. Minime ergo superfluum erit, si circa hæc paullo plura dicam.

Variolæ tam naturales, quam infitionis ex classe morborum febrilium sunt: omnis igitur morbus, qui
inter

(*) Comment. T. V. pag. 149.

inter febriles recensetur, aut qui a feбри accedente exasperatur, fugiendus erit, ne ignem igni addamus, aut incidamus in scyllam, dum volumus evitare charybdin. Hinc hæmoptoë, diarrhæa, dysenteria, vermes & innumeri alii morbi, quos theoriâ medicâ bene inbutus facile determinare poterit, Inoculatoribus erunt evitandi.

Verum, non solum morbi, sed & tales hominum status, quibus febris superveniens perniciofa fieri posset, ut graviditas, puerperium, pubertas instans, instantia conamina catameniorum, dentitio nondum absoluta &c. cum insitione, sine summa necessitate (quam existere posse, vix mihi imaginari possum) nunquam jungendi erunt.

Morbo autem tali adfectis, qui feбри excitata curantur, ut sunt: glutinosum spontaneum, fibrarum laxitas, rachitis &c. insitionem facere non solum tutum existimo, sed etiam salutare; quum in tali subjecto variolæ sine discrimine superentur, alio tempore forte periculosiores, & morbus præsens simul ope febris, per insitionem excitatæ, auferri posset.

An in luosis æque tutum erit, insitionem instituire, certo adferere non audeo; etsi certum sit, luem veneream feбри sanata excitari, & fausto insuper eventu inoculationem aliquoties in venereis institutam fuisse observatum fuerit.

Ego saltem hucusque sanarem prius luem, antequam inoculationem susciperem: tutior enim, (ut opinor) hæc via erit & ideo in nostris ad minimum regionibus eligenda, ubi, quum insitio nondum divulgata sit, facile mors unius, aut aliquorum incolas ita terrere posset, ut vix ullus se amplius huic operationi in posterum subducere auderet.

Quare autem quid timerem in lue venerea adfectis ab insitione est id, quod in venereis persæpe inflam-

flammationes pessimi moris esse soleant; ad quarum classem variolas (si non cum alia febrîs specie complicatæ sint) pertinere nullus dubito.

C A P U T III.

Commoda insitionis incerta, aut minoris momenti.

Hucusque commoda recensui, quorum adcurata observatio maximæ est utilitatis. Nunc partim talia recensebo, quorum utilitas non tanti est momenti; quæ tamen observare (si possibile est) multum proderit; quum, quò cautiores erimus, eò minus fama inoculationis periclitabitur; partim talia, de quorum utilitate hodie dubitatur.

Omni quidem anni tempore, dummodo non grafsetur morbus epidemicus, variolæ insitionis observabantur bonæ; securitatis tamen gratiâ melius fore censeo, si ad insitionem tale eligatur anni tempus, quod, vicissitudinibus aëris, frigore aut calore nimio nocere posse, ne minimam nobis suspicionem movet. Hinc ultimum veris tempus, quod omnium constantissimum ut plurimum est, ne calore, nec frigore nimio ægris detrimentum adferre solet, ad insitionem commodissimum erit. Aestas enim ob calorem nimium, à quo ægros defendere vix non impossibile est, ad febrem biliosam, putridamque disponit. Autumnus & primum veris tempus vicissitudinibus aëris obnoxii sunt, & sæpe morbi epidemici, quos tamen vitare quilibet Inoculator cupit, his temporibus existunt. Hyeme optimo variolarum remedio, scilicet aëris renovatione, vix non abstinere coacti sumus, quum ob frigus, in nostris regionibus

& firma sanitate gaudentibus vix ferendum, variolantes in cubiculis degere cogantur, quorum aërem lustrare non ubique facile erit.

Alterum inoculationis commodum est, quod inoculatio in tali ætate fieri possit, in qua inoculandi variolas facillime ferunt. Etsi experientia nos doceat, inoculationem in hominibus cujuscumque ætatis fausto cum eventu institutam fuisse, & ipsa ratio id nobis promittat; quum, si commodo ætatis uti non liceat, saltem commoda priori capite recensita, quæ tanti sunt momenti, ut ab iis salus variolantium ferme solum dependeat, observari possint; data tamen occasione neque hoc commodum negligi posse existimo. Quòd plura enim stant pro salute signa, eò securiores erimus de felici morbi exitu. Ideo à quarto ad decimum tertium ætatis annum optimum insitionis tempus esse arbitror. Nam tenera nimis ætas dentitioni, diarrhææ, convulsionibus & aliis adhuc malis subjecta est, quæ in hujus conditionis ægris magni sunt momenti & tam difficulter sanatu, ut inter tres vix duo infantes quartum ætatis annum adtingant. Præterea febrim tempore eruptionis præsentem convulsiones comitantur, quæ, etsi plerumque variolas benignas, testante SYDENHAMO (*) & aliis portendant, quandoque tamen lethales fuisse, negari nequit. Sed ponamus etiam, eruptionem sine periculo cedere, hoc tamen semper incommodum aderit, quod, si forte febris vehementior sit, aut alius morbus variolarum tempore accedat, ægri nullo modo persuaderi possint ad remedia necessaria adsumenda, quod frequens (ut credo) necis in variolis naturalibus causa est. Interim & tenerrimos felicissime inoculatos vidimus.

(*) Op. omn. Tom. I. Sect. II. cap. 2.

mus. Tempore pubertatis variis ægritudinibus pueri, puellæque non raro vexantur. Aetas virilis ob robur vasorum & ob sanguinis hac ætatæ abundantis plasticitatem nimiam inflammatorios morbos cæteris paribus difficulter fert. Senectus denique, aut ob vires vitæ deficientes, ad morbum tamen superandum summe necessarias, aut ob solidorum rigiditatem vix corrigendam, hujus generis morbis haud sine discrimine adficitur.

Quod tam copia puris variolosi adplicandi, quam locus, cui hoc venenum adplicari debeat, ab Inoculatoribus determinari possit, non dubito; sed dubito, an inde aliquod emolumentum sperare liceat. Minime enim hucusque evictum est, an à majori copia puris suscepti variolæ nascantur copiosiores; an fauces, œsophagus, ventriculus, aspera arteria, pulmones &c. his obsideantur. BOERHAAVE (*) quidem, & *Inl. VAN SWIETEN* (**), qui plures adhuc Auctores recenset, has partes variolis obsideri adferunt: sed non minoris auctoritatis viri, ut HALLERUS (***) & alii id negant, merasque harum partium plagas gangrænosas à prioris sententiæ fautoribus pro variolis habitas fuisse autumant.

Si inoculatio tali modo fiat, ut plura infligantur vulnuscula, copiam pustularum a partibus nobilioribus ad minus nobiles derivari Inoculatorum aliqui adferunt. Sed, quum id (si tantæ sit utilitatis) & in variolis naturalibus decumbentibus fieri possit, idcirco variolæ insititiæ nullam præ naturalibus prærogativam habent. Hæc methodus præterea non sine dolore adhiberi potest; persæpe incommodum, de quo capite sequenti actu-

(*) Aphorism. 1403.

(**) Comment. Tom. V. pag. 140.

(***) Opusc. patholog. pag. 153.

acturus sum, inde nascitur, & revulsio obtineri potest methodo tali, quæ & nullum dolorem excitat, & incommodum ne minimum parit. Quapropter hoc inoculationis commodum pro nullo habendum esse, immo potius incommodum esse, persuasus sum.

Inoculatorum aliqui suspicantur, variolas infitas benignas reddi posse, si pus ad operationem eligatur ex subjecto, quod variolis laboravit admodum benignis. Facile illorum sententiæ accederem, si non experientia, optima in plurimis artis nostræ magistra, nos docere videretur, contagium variolarum semper idem esse, & tantum ratione subjecti, & accidentium, morbum benignum, vel malignum, fieri. Egregius HUXHAM (*) ait: unum idemque contagium in una eademque domu, familia, aut pago, sæpius valde differentes variolarum producit species; aliæ erunt valde benignæ, aliæ valde malignæ & periculosæ &c. — Ita, ut omnis in eo conveniat demonstratio, constitutionem singulorum ægrotorum multum mutare subsequenter morbum. — Atque hoc in omni fieri solet casu; sic enim consueta quædam scabies in alio subpurat, & pertinax efficit ulcus, in alio ingens dilacerans vulnus vix ulla, vel nulla cum difficultate sanatur &c. & *Inl. L. B. VAN SWIETEN* (***) pluribus exemplis ac experimentis eandem sententiam confirmat.

Si inoculatio ad conservationem pulchritudinis, quæ formoso sexui adeo cordi esse solet, quid confert, est id unicum, quod, ob rationes supra adlatas, in inoculatis variolæ raro confluentes, aut malignæ esse soleant.

Ne-

(*) Loc. cit.

(**) Comment. Tom. V. pag. 30. & 31.

Tom. V.

Neque talem nunquam amplius variolas naturales adquireturum esse, qui sine effectu inoculabatur (ut Inoculatorum aliqui credunt) extra omnem dubii aleam esse opinor. Quum enim observationes ab ipsis infitionis fautoribus editæ sint, quæ nos docent, aliquos, variolis infititiis superatis, iterum naturalibus vexatos fuisse, & præterea *celeb. de HAEN* (*) exempla adferat, quibus (inpartiali testante *Inl. L. B. VAN SWIETEN* (**)) fides denegari non potest, quæ veras variolas post infitionem rediisse demonstrant; neque adeo securi erunt ii ab omni contagii periculo, quibus, infitione facta, nullæ variolæ oriebantur.

Fors aliqui objicient: id ipsum, quod inoculationis finis obtineri nequiverit, nos docere, subjecta talia non esse ad hunc morbum disposita; hinc causam excitantem (sit dein artificialis, vel naturalis) in talibus nunquam efficacem fore.

Hanc esse hujus phænomeni sequellam, mihi persuadere non possum. Hoc solum credo inde sequi, quod similis homo eo tempore, quo inoculatio tentabatur, non fuerit dispositus; minime autem, quod in tali dispositio alio tempore adesse non possit. Si liceat a variolis naturalibus ad infititias concludere (ut nullus dubito) hocce adfertum exemplis facile confirmari poterit. *Inl. L. B. VAN SWIETEN* testatur (***) se novisse virginem, quæ cum fratribus & sororibus, dum variolis laborabant, continuo conversabatur & per totum vitæ decursum contagio se exponebat, sexagesimoque ætatis annô superatô denique variolis decumbebat:

(*) *Rat. med. T. IX. p. 261. seq.*

(**) *Comment. T. V. p. 148.*

(***) *Ibid. p. 147. & 148.*

bat : & plures alios se novisse dicit, qui tempore variolarum epidemiarum impune se contagio exposuerunt; sequente vero aliâ epidemica constitutione variolosa infecti fuerunt. *Cl. HUXHAM* ait (*): „ Quid, quod quidam, ut eorum contagiô adficerentur, ægrotantium hypocausta, sedulo, sed frustra, visitavere; — ast enimvero quidam istorum hominum nonnullis mensibûs, aut annis post variolis fuerunt adfecti. “ (**)

Interim fateor, non in omni subjecto, in quo institutione facta nulla eruptio sequuta est, prognosin de futuris, aut non futuris, variolis adeo dubiam esse. Dummodo febris dicta variolosa adfuerit, tuto inoculatum a periculo adhuc futurarum variolarum absolvere possumus, quod experimenta ab *Inl. L. B. DE STÖRCK* (***) instituta abunde demonstrant, qui ait, se tribûs vicibûs repetiisse inoculationem in aliquibus horum, qui copio-

U 2

fas

(*) *Oper. phys. med. Tom. II. p. 124.*

(**) Sæpissime ego ipse ab incunabilis ad decimum quintum circiter ætatis annum expositus eram periculo variolarum naturalium; plures per huncce temporis decursum regnârunt epidemiæ variolarum, plus minusve funestæ: nullatenus tamen iis omnibûs fui adfectus. Dum demum studio Philosophiæ in publicis collegiis operam dabam, correptus variolâ copiosissimâ, sed bonæ notæ, fui; penes me sedente juvene, morbo hoc, quod ipse tum temporis adhuc ignorabat, infecto, Inoculatoris, ut ita dicam, vices atmosphærâ corporis sui agente. Pessimæ æque ac optimæ variolæ, quæis hæctenus expositus eram, aut quas tractavi, nullam exin vim in me exseruere. *De WASSERB.*

(***) *Abhandlung von der Einspropfung, S. 118.*

fas, in aliquibus, qui paucas habuere variolas, & in aliquibus, qui non nisi feбри variolosa laboravère; sed has operationes effectu caruisse: insuper hos conversatos fuisse cum iis, quibus variolæ naturales copiosissimæ erant; immo cum his in eodem lecto decubuisse eo tempore, quo exsiccabantur pustulæ, maximeque foetebant: sed hæc omnia inutilia fuisse; hos enim sanos & sine minima adparentia hujus morbi perstitisse.

Experientiæ contradicit id, quod Inoculatorum aliqui adferunt; febrim nempe subpuratoriam in infitis nunquam adesse. Sed lubenter cum *Cl. GUYOT* (*) fateor, hanc rarius adesse, & longe mitiorem esse, ut *Cl. TISSOT* (**) testatur. Nec mirum, quod inoculationem præparatio præcesserit in plurimis.

Ultimum demum, in quantum scio, inoculationis emolumentum est evitatio sequelarum malarum, morbo varioloso superato non raro adparentium, ut sunt: ulcera pessimi moris, immobilitates articulorum, tabes, phthisis, maculæ aut cicatrices corneæ transparentis; oculi plenaria destructio, fistulæ &c. Ast etiam hæc mala post variolas infitias observata fuere, etsi rarius; & bonâ medellâ administrata etiam in naturalibus, ut plurimum, evitari possunt.

CA.

(*) Mem. de l'Acad. R. de Chir. Edit. en 8. Tom. VI. p. 298.

(**) Anleitung für das Landvolk, S. 621.

CAPUT IV.

Incommoda ab insitione forte oriunda.

Ne de partium studio suspectum me reddam, incommoda, quæ ex inoculatione forte sequi possunt, recensere juverit.

Priori jam capite mentionem feci, quod ex tali inoculandi methodo, qua plura infliguntur vulnuscula, sæpius aliquod incommodum nascatur. Est scilicet illud, quod hæc vulnera abeant in ulcera difficillimam non raro sanationem admittentia. Ergo hæc saltem insitionis methodus habet, quò detrimentum adferre potest. Verum hæc methodus nunc evilit.

Quod nocendi suspicionem nobis movet est & id, quod forte una cum veneno varioloso etiam alius morbus, aut contagiosus, aut hæreditarius, inferi posset. Experientia enim, auctoritate maximorum in arte medica virorum fulta, constat, præter variolas plures adhuc alios dari morbos contagiosos; & præterea vero simillimum est, hæreditarios morbos in sanguine latere, eò, quod omnes humores secreti ex eo fecernantur; hinc & semen, per quod morbos hujus generis a patre in filium transplantari, negari haud posse existimo. Modum enim alium, quo id fieri posset, non perspicio, ideoque probabilitas sat magna adest, per insitionem hujusmodi morbos in alios transferri; nam & pus variolosum quidquam de contagiosa materie, aut de semine morbi hæreditarii continere poterit, quum & hoc ex sanguine paretur. Immo non solum lusus ingenii mihi persuadent, ut hujus opinionis sim, sed etiam experientia *Cl. GUYOT* (*) dicentis: „ On nous avait

U 3

„ dit,

(*) Mem. de l'Acad. R. de Chir. Tom. VI, p. 290.

„ dit, que par des expériences faites en Angleterre
 „ on avait observé, que la matiere de petite vérole
 „ prise d'un sujet, qui avait quelque'autre maladie, ne
 „ communiquait que la petite vérole à celui, à qui
 „ on l'insérait; mais j'ai une expérience si decisive du
 „ contraire, que je suis convaincu, que le choix de
 „ la matiere purulente est très-important, & que j'ai
 „ resolu d'être fort scrupuleux sur cet article. “

Verum neque hoc incommodum est tale, ut evitari nequeat; pus nimirum ex tali subjecto desumendo, quod neque morbo laborat contagioso, neque ex familia, malô hæreditariô adfecta, originem ducit. Etiam si illud, quod ex *Cl. GUYOT* adduxi, me non satis convincat, an timor, ne una cum variolis etiam alius morbus communicetur, non sit vanus; quum nullam observationem adjungat, quæ adfertum suum confirmaret: talis tamen cautella non inepta erit, ut opinor, ejus omissio facile famæ nostræ detrimentum adferre posset, si casu talis insito nasceretur morbus, quo ille laboravit, ejus pus ad insitionem adhibitum fuit.

Est & id incommodum, quod ab inoculatione nascitur, quod ab inoculatis etiam alii infici possent, quorum sanitas non ita constituta est, ut ferendis variolis pares sint, quod *cap. III.* ex analogia, quam variolæ naturales cum artefactis habent, demonstrare conatus sum, & *hoc capite* exemplô a *Cl. GUYOT* observatô satis me confirmare posse existimo, qui testatur, (*) contagium in infantibus, quorum mater inoculata fuit, & ad quam infantes sub stadio exsiccationis admitti fuere, post aliquot dies variolas produxisse.

(*) Ibid. pag. 301.

se. (*) Ast hæc nos ab inoculatione instituenda abstertere non debent: nam huic malo adhuc obviam ire possumus, si infectio fiat in loco solitario, ipsis variolantibus etiam superatò morbò, iisque, qui hujusmodi ægris adsistunt, per aliquod tempus commercium cum reliquis interdicator; aut saltem ultimis cum aliis conversari non liceat, quin prius vestimenta deposuerint, quibùs induti erant, dum variolantium curam gesserunt; si linteamina a talibus laventur, qui variolas jam passi sunt; si denique vestimenta aëri libero exponantur, quibùs variolantes tempore morbi usi sunt. Hucusque enim ab aëre libero aliquem infectum fuisse non legitur.

U 4

Quæ-

(*) Circa contagium variolosum inferuisse juvat hoc loco observationem sequentem, non adeo adhuc dum cognitam. — Femina pictaviensis, variolis nunquam adfecta, (nisi fors in ipso adhuc utero materno iis laborasset); tertia demum vice gravis, durante epidemiâ variolosâ, enixa est infantem variolis oblitum. Ubra illi ipsa præbuit, quin exin fuisset infecta, etsi quidem id plurimum metueret. Refertur observatio hæc in *Gazette salulaire*, 1780. Nro. 30. novum denuo subpeditans argumentum, foetum in utero materno variolis laborare posse. Quæ hic contagii ratio? An per corpus matris, recipiendo miasmati prorsum ineptum, hoc inmutatum in ipsum usque pusionis, ad contagium apti, transgressum fuit corpus? Quid ad hoc illi, qui variolas non nisi a fomite, nonnisi a viru, externe corpus ingressio, (non in eo humorum discrasia quadam enato), undecunque demum petito, produci sustinent? *De W.*

Quæstio adhuc moveri posset, & a pluribus jam mota est: an non ex insitione frustra instituta ob pus, quod in humorum circulum duci posset, nil mali oria-
tur. Ut quid hic certi determinari possit, ad experi-
entiam provocare non incongruum erit. Hæc autem,
quid mali inde natum fuisse, hucusque saltem nos non
docet: exempla enim, quæ id docerent, nulla adsunt;
quæ, si adessent, inoculationis infensissimi hostes di-
vulgare non tam diu hæsitassent.

C A P U T V.

An, & quando, præparatio necessaria sit?

Methodus illa, qua corpus humanum ita disponi-
tur, ut variolas facile ferat, *Præparatio* nominari so-
let. Hanc ante insitionem faciendam necessariam esse,
omnium consensu quidem confirmatum est; an autem
in quolibet subjecto illa fieri debeat, an non & sint,
quibus præparatio nocere posset, dissentiunt plurimi.

Capite II. dictum fuit, morbos dari, qui variolis
accidentibus exasperantur; dari & contra, qui per fe-
brim inde excitatam sanantur.

Hæc si considerem, quid sentiendum mihi sit,
dubitare haud possum. Scilicet deduco inde, præpara-
tionem in prioris speciei morbis absolute necessariam
esse; ast in morbis secundæ speciei illam absolute non
requiri. Ideo tamen nulli suaderem, ut sine fuco præ-
parationis præmissa talem, qui hujusmodi morbo, va-
riolis sanando, laborat, inserat. Nam artis inperiti,
aut hostes inoculationis, omnem culpam Inoculatori in-
putarent, si æger talis insitione facta ex morbo forte
epigenomeno graviter decumberet, aut omnino moreret-
tur.

II, qui perfectissima fruuntur sanitate, nunquam præparandi erunt (ut ego censeo); non solum quia præparatione non indigent, sed etiam, quia facili negotio inde damni quid inferri inoculandis posset. Talem enim valetudinem, ex subposito, quod sit perfectissima, in melius mutare impossibile est, & in pejus mutare non conducit, quum, quò perfectior est sanitas, eò facilius, cæteris paribus, vincatur morbus. Hinc anonymus Auctor anglicus (*) monet: „ Es wird viele Vorsicht erfordert, daß die Gesundheit nicht durch eine unerforderliche Zubereitung in Unordnung gerathe, und durch diese gemachte künstliche Veränderung in der Konstitution ein Unheil entstehe. “ Sed addendum mihi adhuc id est, quod sub titulo sanitatis optimæ neutiquam plethoram intelligam, quam si non inter morbos, saltem inter causas morborum prædisponentes recenseo.

Forte objicient aliqui, si liceat præparare ægros, qui non indigerent præparatione, etiam sanus præparari posset, ne fama nostra periclitetur; quum id jam in usu sit. His responderi potest, magnam inter priorem & hunc casum esse differentiam. Sanis enim præparatio fit cum periculo, ne variolæ, ob mutata non mutanda, difficulter superentur; ægri autem, in quibus insitio sine præparatione fieri posset, ob id, quod prius morbus, quo vexabantur, sanatus fuerit (in quo omnis præparatio consistere debet) non difficiliter ex variolis evadent,

(*) Medicinisch - Chirurgisches Handbuch für angehende Wundärzte und andere Liebhaber 2c. S. 125.

CAPUT VI.

De methodis præparandi.

Medici americani (*) inoculandis Mercurium dulcem cum stibio diaphoretico, pulverem cornachinum, aut sulphur auratum antimonii; *cl.* DIMSDALE (**) chelaram cancrorum calomelani ana gr. iij, tartari emetici $\frac{1}{2}$ gr.; *cl.* ROSEN VON ROSENSTEIN (***) pilulas ex gr. xij calomelani, gr. viij camphoræ, gr. xij extracti aloës, & gr. xvi gummi guayaci confectas; alii corticem; alii hæc, aut horum similia, per aliquot ante insitionem septimanas, propinabant.

Quum, quid de his præparandi modis censendum sit, decidere me (utpote Tironem) non deceat, aliorum opiniones adferam. Auctor supra citatus (****) dicit: „Man hat sehr zu zweifeln, ob die mercurialischen Pulver eine andere Wirkung haben, als daß sie die Eingeweide von der Fäulung, oder von Würmern reinigen; denn die, welche nach der alten Methode der Einimpfung in der vorläufigen Zubereitung Mercurius gegeben haben, sind nicht glücklicher gewesen, als die, so keinen geben.“ Idem de aliis remediis in præparatione usitatis, quæ ex classe anthelminticorum sunt, sentiri posse, non dubito. De iis, quæ sunt ex classe purgantium, idem Auctor (*****) dicit: „Es ist zu befürchten, daß eine unvollkommene Krift der Pocken oft die Folge der allzustarken Entkräftung“

(*) Kirkpatrick's Analyse S. 329.

(**) Neue Methode für die Einimpfung. S. 33.

(***) Anweisung zur Kenntniß 2c. S. 214.

(****) Med. chirurg. Handbuch. S. 126.

(*****) Ebendas. S. 131.

Fräktung ist, worein der Patient durch das häufige Purgiren, sowohl bey der Zubereitung, als zur Zeit des Ausbruchfiebers gesetzt worden. “ *Cl. de MEZA* (*) ait: „ Quum omnia præparata mercurialia, sanguinem dissolvendo, eundem magis ad putredinem disponant, non inmerito suspecta habentur. “ *Cl. HUXHAM* (**)

de mercurialibus adfirmat, quosdam sane malos effectus in subsequentiis variolis ab usu eorum obvenisse, speciatim petechias, hæmorrhagias, & profusas diarrhæas. Idem (***) de cortice dicit: „ Temere ageret, qui corticem, & roborantia cardiaca cuidam fibris fortibus & rigidis ac sanguine densiori, viscido prædito, ut *prophylacticum*, aut *præparans* dare velit. “

Qualis ergo præparandi methodus conveniet? præmittamus adhuc aliqua ex *Cl. HUXHAM*, & recordemur prius aliquorum, quæ *cap. II.* dissertationis meæ præmisi, & dein proponamus methodum præparandi, qualem censemus optimam.

Cl. HUXHAM (****) ait: „ Procul dubio variolarum species sæpius a nimia sanguinis copia, humoribus acribus, aut magno impuræ materiæ pondere in primis viis hærente oritur, & haud raro ut primum contagium fuit susceptum in diæta, corporis motu, cæterisque committuntur errores, qui sæpius in fine effectum edunt mortiferum. - - - Ab his illi, quibus variolæ sunt inoculatæ præcaveri debent. “ Ego in *Dissert. cap. II.* adserui, reconvalescentes ob vires vitæ debiles hunc morbum difficulter ferre; variolas morbo febrili, aut tali,

(*) *Comp. Med. pract. fascic. I. p. 83.*

(**) *Oper. Phys. med. T. II. p. 126.*

(***) *Ibidem.*

(****) *Oper. Med. phys. Tom. II. pag. 127.*

li, qui a febre exasperatur, junctas perſæpe male cedere. His præmiſſis concludo, plethoricis v. ſ. adminiſtrandam eſſe; humores acres juxta variam acrimoniæ ſpeciem variis corrigendos remediis; primas vias a materia impura liberandas eſſe; vel ſurſum, vel deorſum evacuando, prouti materia vel ſurſum vel deorſum turget; diætam conſtitutioni ægroti adcommodari debere; talem ſcilicet inſtituendam eſſe, quæ non ſit nimis lauta, ne inde ſaburra briatur, aut, ſi bene digeratur, plethora; nec nimis ſtrieta, ne æger ante morbum jam debilitetur: uno verbo! dirigat ſe Medicus juxta adſerta HIPPOCRATIS, qui monet: (*) „ Conjectari autem oportet, an æger cum victu ſubſiciat perdurare, donec morbus conſiſtat, & numquid ille prius deficiat, nec poſſit cum victu perdurare, vel morbus ante deficiat atque hebeſcat. “ (**). „ Condonandum autem aliquid tempori, & regioni, & ætati, & conſuetudini. “

Vires vitæ debiles cardiacis prius erigendæ ſunt. Morbi febriles, aut qui hiſ exasperantur, prius ſanandi ſunt, methodô, quæ cuique convenit. Quas ſi, quum ſint tot, quot morbi, (hinc infinitæ ſint) recensere vellem, diſſertationis limites transgredi deberem.

Si neque tales inoculare nobis animus ſit, quorum morbi febrî ab inoculatione excitata curarentur, quid nobis cum hiſ faciendum ſit, ex dictis aliunde patet.

CA-

(*) Sect. I. aphoriſm. 9.

(**) Sect. 2. aphoriſm. 17.

CAPUT VII.

De eligendo pure varioloso, & ejus adfervatione.

Pus variolosum, sit ex variolis benignis, vel malignis, tantum ratione subjecti, cui applicatur, benignas, vel malignas, producere variolas, *cap. III.* abunde, ut opinor, demonstratum fuit. Hinc nil a pure ex variolante, qui malignis decubuit, desumpto timendum foret; sed, ne peregrini in arte nos de negligentia culpae possint, si hac materia excitatae variolae malignae fierent, (quod, etsi raro contingat, contingere tamen posse, nemo negare audebit) tutius semper agemus, si ad infectionem utamur pure, quod ex pustulis benignarum accepimus.

An adhibeatur ad operationem materia variolosa ex naturalibus, an ex infectiis, nihil refert; experientia enim docuit, eundem prorsus effectum exinde obtigisse. Sic *Cl. DIMSDALE* (*) adserit, se usum fuisse pure utriusque speciei, quin unquam minimum invenerit discrimen; sit ratione hujus, quod una species praeter alia certius aut citius inficiat; sit ratione progressus, aut eventus. *Inl. L. B. de STÖRCK* (**) dicit: „Einmal nahm man ein Eiter von natürlichen Blattern; ein andermal von eingepfropften, und fand gar keinen Unterschied.“

Unum aequae ac idem est, an de maturis, vel immaturis pus desumatur, quod se expertum fuisse, *Inl. L.*

(*) Neue Methode ic. S. 25.

(**) Abhandlung von der Einspropfung S. 9.

L. B. de STÖRCK (*) adfirmat, qui ait: „Man wählte bisweilen ein noch unzeitiges, klares und wässriges Eiter; ein andermal eines, da die Blattern in vollkommener Zeitigung waren, oder da selbe schon abgetrockneten, und ein zähes, bräunlichtes Eiter enthielten, und es wurde allezeit die nämliche Wirkung beobachtet.“

Immo Cl. DIMSDALE testatur: (**), „Es ist ganz gleichgültig, ob man die Materie vor oder zu der Zeit der Krisis der Krankheit nehme. Wie ich glaube, hält man insgemein dafür, die Pocken seyen nicht ansteckend, bis die Materie einen gewissen Grad der Zeitigung erreicht habe ic.

— — Allein! sobald man von dem inficirten Theile eines inoculirten Patienten feuchte Materie sammeln kann, noch ehe sich einige Blattern zeigen, und sogar, ehe sich das Pockensieber äußert, ist diese Feuchtigkeit tüchtig, die Pocken mit der größten Gewißheit hervorzubringen. (***)

Ast, quum, ut supra monui, pus ex variolis benignis eligere præstet, pustulas maturas esse adhibendas censeo. Nam a priori determinari nequit, an certissime morbus instans benignus futurus sit.

His supersedere me posse, meque satis de electione puris ad institutionem adhibendi dixisse arbitror.

Jam aliquid adhuc de conservatione materiæ contagiosæ dicamus: magnum enim inde oritur emolumentum; quum, si materia variolosa inlibata per tempus servari possit, etiam tali anni tempore, quod fa-

(*) Eben das.

(**) Neue Methode ic. S. 26.

(***) Veritatem adserti confirmare videntur variolæ, productæ per *atmosphæram* solam hominis, nulla febris variolosa, nulla adhucdum umbra ullius affectionis præternaturalis, laborantis. *De W.*

favet variolis, aſi quo fatali fatô variolas naturales invenire non eſt, inoculare in talibus morbum queamus, quorum ſanitas ita conſtituta eſt, ut huic morbo ferendo apta ſit; quæ alio tamen tempore, quo variolæ ſunt epidemicæ, læſa eſſe poteſt; & operoſo præterea labori, variolantes ad pus obtinendum quærendi; hoc modo parcere queamus.

Pus ex puſtulis bene maturis expreſſum in lagenula vitrea bene clauſa per aliquot dies ad uſum adſervari poteſt.

Ad diuturniorem conſervationem cruſta varioloſa, ficca, conteratur, & in pulverem redigatur ſubtiliſſimum; indatur dein lagenulæ, vel ſcatulæ, quæ bene clauſæ ſerventur. Talis pulvis diu capax perſiſtit, ad excitandum contagium.

C A P U T VIII.

De methodis inoculandi.

De inoculatione ipſa ſermonem facturus, prius varias inoculandi methodos, ſingularumque incommoda enarrabo; ut, quæ ſit exinde optima, majori cum certitudine decernere poſſim.

Inſitio igitur fieri poteſt I) *imitando naturam*; id eſt, admittendo inoculandos ad variolantes; quo ſit, ut contagium ope reſpirationis in pulmones, ſalivæ prius intricatum, ope deglutitionis in primas vias, & forte ope vaſorum abſorbentium immediate in circulum humorum deducatur.

Quum nondum certò conſtet, (ut cap. II. adnotatum fuit) an non a majori copia puris varioloſi
ad-

adplicati copiosiores nascentur variolæ, & an non etiam viscera, quibus hoc miasma adplicatur, his adficiantur, indeque periculosior evadat morbus; hæc methodus, utpote de felici infitionis eventu nos duobios reddens, non erit eligenda.

2) *Abrasa epidermide manui crustam variolosam adfricando.*

3) *Locum ope vesicantis epidermide orbatum inspergendo pulvere pustularum exsiccatarum.* Ast hæc methodi non sunt in usum trahendæ; præter id enim, quod dolorem satis magnum excitent, ulcera inde oriuntur nimis magna. (*)

4) *Infligendo unum, aut plura vulnera ad adparentiam sanguinis usque, quibus intromittitur pulvis mox dictus, aut fla pustulis intincta.*

Verum, neque hæc methodus mihi adridet ob triplex, quod gignit, incommodum. Scilicet dolor sat magnus inde fit; vulnera non raro in ulcera mutantur, difficulter consolidanda; sanguisque ex vulnere stillans facile eluit pus variolosum.

5) *Venam tundendo eâdem lanceolâ, quâ variolanti tusa est; aut talî, cujus apex pustulam variolosam prius perforavit.*

Sed, quum non omnes venæsectione indigeant; nec, in priori casu, certi esse possimus, an lanceolæ quid de contagio adhæreat, raro, aut nunquam, poterit hæc methodus, inferendi variolas, adhiberi.

6) *Pustulas exsiccatas ligaturâ alicui parti cuticulæ adplicando.* Hæc methodus, ut mihi videtur, frequenter effectû caret; crusta enim variolosa, quum

hac

(*) Mem. de l'Acad. R. de Chir. T. VI. pag.

hæc methodo humoribus nostris non adluantur, vix quid de contagio ad absorbendum præbent. (*)

7) *Naribus variolosam crustam, una cum grano moschi, intrudendo, more Sinensium.* Periculosa vero censetur hæc methodus, morbi transferendi, ob cerebri viciniam, quod inde facile lædi potest, ut *Cl. de MEZA (**)* suspicatur; & id jure (ut opinor) quum nervi olfactorii, origini suæ adeo vicini, inmediate adficiantur. An ideo moschum addunt *Sinenses*?

8) *Methodo hodie maxime usitata;* quæ sequenti modo fit: lanceolâ perforatur pustula recens, variolosa; quâ, si bene pure tincta est, incidimus transversim epidermidem in regione brachii superiore, ubi musculus deltoides situs est ad unam, vel unam & dimidiam lineam; hoc facto lanceolæ margine elevamus epidermidem, ut sic spatium hanc inter, & cutim relicto, pus se insinuare queat, parumque irritamus cutim, ut irritationis opè majori facto humorum ad vulnusculum adfluxu pus se cum his magis misceat, sicque facilius reformetur. Lanceolam denique laminæ suæ inpositam digito prius vulneri adplicato retrahimus. Aut, si

oc-

(*) Etsi facile admiserim, methodum hanc inoculationis non esse optimam, aut exquisitissimam, monendum tamen est, experimentis constituisse, non solum crustas variolosas, sed & linteola, pure variolarum antea inprægnata, tum exsiccata, epidermidi adplicata, produxisse variolas; etsi in neutro casu humores inoculandorum adluerent inposita. *De W.*

(**) *Compend. Med. pract. fascic. I. p. 85.*

occafio nobis defit, pus variolosum recens adhibendi, epidermide in loco mox determinato ad duas vel tres lineas diffecta unum vulnusculi labium ab altero feparamus, pulverem ex pustulis exficcatif paratum, ubi dehifcit vulnusculum, adplicamus, ac parumper hanc plagam hoc pulvere fricamus. Facta hac metho- do infitione, minime deligatione vulneris opus eft, eft enim vulnus meræ epidermidis. Methodi vero prius recensitæ fere omnes vulnera exigunt majora, quæ ob dolorem ab adfrictu emplaftris defendenda funt, ne inflammatio oriunda fiat nimia, aut pus miasmate variolofo inprægnatum per fanguinem ex vulnere ftillantem eluatur.

Ultimo numero recensita methodus in inoculatione verna hujus anni (1780.), quæ publice in collegio practico vindobonensi fub auspiciis & directione *Celeb.* in æternum mihi venerandi, *Prof. STOLL* ab experto Chirurgo *RECHBERGER* inflituta eft, optimo cum fucceffu adplicabatur, (*) & omnium maxime adridet. Vix enim inde dolor fentitur; quod in infantibus irritabilioribus non eft tam parvi momenti: nulla inde ulcera oriuntur; feuri fumus, ne irrita fiat operatio, quum fanguis ex vulnere nullus effluat, qui & pus ad infitionem adhibitum fecum abripere poffet. Nec inpedimur locum, in quo operatio inflituta fuit, perluftrare, quum deligatione, hac methodo facta inoculatione, (ut mox diximus) opus non fit; quod in progreflu morbi magnam nobis lu-

(*) Historiam exactam Inoculationis hujus, quam ex *Tomo primo operis periodici Cl. MOHRENHEIM, Wienerifche Beyträge* ic. traduxi, Difsertationi huic fubjungam. *De W.*

lucem adferre poterit, testante *C. DIMSDALE* (*), qui ait: „Es scheint, daß man bisher auf den Fortgang der Ansteckung, in so ferne sich solche nach dem Aussehen desjenigen Ortes, an welchem die Operation ist vorgenommen worden, beurtheilen läßt, nicht sonderlich aufmerksam gewesen sey. Es wird aber aus dem Verfolge erhellen, daß es sehr nothwendig sey, über diesen Umstand sorgfältige Aufsicht zu tragen, da solcher nicht selten den künftigen Zustand der Krankheit vorher kündigt, und von dem unterschiedlichen Aussehen des Arms Anzeigen genommen werden können, welche uns in den Stand setzen, unbeliebigen Zufällen vorzubeugen.“

C A P U T IX.

Variolarum inoculatarum decursus.

Primá & *Jecundá* post. insitionem celebratam die neque in vulnere, quod vix amplius adparet, neque alibi uspiam, quidquam observatur.

Tertiá plerumque in peripheria vulneris facti maculam rubro-flavam ope microscopii videre est.

Quartá vel *quintá* ab inoculatione die, digito vulnere adplicatô parva aliqua durities sentitur: æger percipit prurítum circa vulnus, quod inflammari incipit.

Sextá inflammatio augetur, magisque extenditur. Dolor sub axilla tensivus (quod symptoma quandoque jam quartá post hanc operationem die adparet) & immobilitas brachii ob auctum dolorem per motum

X 2

ino-

(*) Neue Methode 1c. S. 32.

inoculatos cruciant, atque glandulæ subaxillares & inguinales intumescunt. His sæpe accedunt capitis dolores, membrorum dedolatio, pulsus febrilis &c. quandoque *septimâ* demum die hæc symptomata cernere possumus.

Septimâ & frequentius *oſtavâ*, modo recensita & alia adhuc adparent symptomata, quæ eruptionem in variolis naturalibus præcedere solent; ut sunt: dolores vagi capitis, dorsi, lumborumque, quos horripilationes, & calor volatilis comitantur. Hoc tempore insuper plerumque ægi conqueruntur de sapore oris depravato, adpetitu prostrato, nausea; aut omnino vomunt; præcipue ii, quibus inoculatio fiebat, quin prius primæ viæ impuræ purgatæ fuerint. Halitus odorem spirat singularem, facilius ex praxi addiscendum, quam describendum. Vertigo, ophthalmia & anxietates accedunt: immo quandoque leve delirium, levioresque motus convulsivi observandi sunt. Febris fit vehementior, cui calor, sitis, somnusque inquietus, junguntur. Inflammatio plagæ vulneratæ validior est, & detegi possunt circa marginem vulneris quam plurimæ, parvæ, confluentes pustulæ, quæ cum progressu morbi increscunt. Si autem peripheria non multum inflammetur, labia vulneris non eleventur, nec pruritus in vulnere, nec tensivus axillarum dolor sentiatur, signum est, aut nullas subsequuturas esse variolas, aut futuras mali moris esse.

Nonâ die symptomata persistunt eadem, & plus minusve vehementia sunt. Si sextâ die febris primo adparuit, hac die jam erumpere incipiunt variolæ.

Decimâ plerumque eruptio fit, cum remissione symptomatum, & febris imminutione; quæ quandoque penitus remittit. Pustulæ in parte iucisa maturantur.

Undecimâ infiti vix amplius ægrotant; inflammatio vulneris remittit; pulsus ad naturalem accedit, nisi eruptio adhuc continuet.

Duodecimâ & *decimâ tertiâ* pustulæ elevantur, & in subpurationem transeunt.

Decimâ quartâ variolæ ad maturationem deductæ sunt; nec *febris*, in variolis naturalibus *subpuratoria* dicta, nisi valde copiosæ adsint variolæ, adparere solet. Adpetitus redit, & vires æger sensim recuperat. Variolæ, in peripheria vulneris sitæ, exsiccantur.

Decimâ sextâ, *decimâ septimâ*, *decimâ octavâ*, & reliquæ variolæ exsiccantur, & decidunt.

Notandum adhuc id, quod *Cl. GUYOT* refert, (*) quod nempe post eruptionem, & durante morbo quandoque hæmorrhagia narium contingat, quæ ægro non solum non funesta est, sed potius salutaris, quum nimiam vasorum duræ matris & cerebri inpletionem, in variolis adeo timendam, avertat.

En brevem totius morbi historiam; quam ex *Tra-ctatu Inl. L. B. de STÖRCK* me pro maxima parte excerptisse lubens fateor,

C A P U T X.

De cura variolarum infititiarum.

Quum nullum primis post infitionem diebus symptoma adpareat, quod nos doceret, inoculatum ægrota-
re, nullam medicinam faciendam esse existimo. Bonâ

X 3

enim

(*) Mem. de l'Acad. R. de Chir. Tom. VI.
pag. 299.

enim per aliquod tempus prius subministrata diætâ saburra nulla aderit, quæ purgans, vel emeticum, expeteret: nec ex subposito, quod plethora, aut morbus quiscunque, per præmissam præparationem fuerit sublatus, venæsectione, aut alio remedio, opus erit. His etiam diebus diætâ eadem, nisi parum strictior, ac ea, qua sub præparatione usi sunt inoculati, continuari poterit.

Quamprimum autem consueta variolarum eruptionum signa adparent, diætâ sit magnitudini morbi accommodata: sed etiam tunc ætati, climati, temperamento, ac consuetudini quid condonandum erit.

Symptomatibus, si non urgeant, nullo prospiciendum remedio: si autem urgeant, eadem medendi methodus ad illa tollenda adhibenda erit, ac in variolis naturalibus. Sic alvus constipata enemate, coctis fructibus horræis, vel etiam sale medio, movenda; vomitus nimius aromaticis, aut leniter opiatis sedandus; hæmorrhagia narium nimia venæsectione, aut stypticis sedanda erit, & sic porro.

Vires vitæ, si prosternerentur, excitandæ sunt: hoc autem raro contingit, si illa, quæ *Cap. VI.* dicta sunt, bene observentur. Si nimix essent, pro diverso excessus gradu diversis remediis, e. g. clysmate, pediluviiis, diluentibus, emulsionibus nitrosis, aut venæsectione &c. inminuendæ.

Variolas, nimia copia præsentés, lanceola, aut forfice, aperire convenit. Sic enim minor copia puris variolosi resorbebitur (quod febrim multum mitigabit) nec pus stagnando acre redditum, erodendo fœdas illas cicatrices, puellis adeo abominatas, gignit.

Omnium autem optima, sub toto morbi decursu, remedia sunt aër liber, & motus corporis moderatus; quibus si utamur, raro quidquam adparet, quod aliud remedium expeteret, testante *Inl. L. B. de Stürck*

qui

qui ait (*): „Si æger libero se exponat aëri corporisque motum exerceat moderatum, multo melius transpirabit, quam in lecto. Aër secum abripit omnia, quæ natura exhalationibus ejicit. Patiens qualibet respiratione inspirat aërem frigidiusculum, purum, qui symptomata morbi mitigat, & numerum variolarum inminuit. Si autem æger in cubiculo bene clauso degat, & stragulis egregie obrutus sit, sudando vires suas perdit; aër infectus calorem & anxietates creat; acrimonia variolosa, aërem inficiens, qualibet respiratione in pulmones iterum suscepta, & per cutis poros resorpta in humorum circulum reducit; natura, tanta copia acrimoniæ obruta, denique subcumbit, & mors inde sequitur; aut, si adhuc vires naturæ subficient ad effugiendam mortem, alia sequuntur mala, per totum vitæ decursum vix amplius sananda.“

Notandum adhuc, *Inl. L. B. de Störck* ideo non velle, ut omnibus aëris injuriis se exponant ægri; ipsemet enim dicit: (**), „Doch ist es nicht rathsam, die Eingespöpften jeder, auch bösster und rauhester, Bitterung auszusetzen. Wir haben getrachtet, jene Unbilben der Luft zu vermeiden, welche dem gesunden Menschen schaden können; und damit waren wir glücklich.“

Finito morbo purgans antiphlogisticum, ad eliminandas morbi reliquias, propinandum erit.

Hæc de cura subficere arbitror; animus enim mihi solum erat, scribere de variolis inoculatis; quæ raro periculosæ sunt.

(*) L. c. pag. 120. 121.

(**) Ebendas. S. 25.

HISTORIA
INOCULATIONIS VARIOLARUM,

menſe Majo 1780. Vindobonæ inſtitutæ.

Per multos jam annos inoculatio variolarum in arce cæſ. reg. *Heizenauſ*, ſingulis vix non annis inſtituebatur: quo vero & Tirones praxeos medicæ, & Medici extranei methodum medendi practicam hic loci frequentaturi, inoculationem ipſam, ejuſque totum decurſum obſervare poſſent, curante *Inl. L. B. de STÖRCK*, hoc primum anno tota inoculationis res translata fuit in domum ſic dictam *Strudelhof*, è regione *noſacomii hiſpanici*, in quo *collegia* quoque habentur *medico-practica*, ſitam; ubi & in poſterum quovis anno peragetur.

Recepti ſunt inoculandi infantes tredecim pulchriſanique, inter quos etiam juvenis erat ſeptemdecim annos natus. Vigefima tertia Mæji in domu inoculationis ſimul omnes convenerunt, atque, ut mutuam interea temporis contraherent familiaritatem, abs omni medicamento præparatorio ad vigefimam quintam ſibi ſoli relinquebantur; nec in diætâ mutatum quid.

Inoculatio ipſa vigefimâ demum quintâ dicti menſis circa quartam pomeridianam, quin indicatum antea quid foret inoculandis, inſtituta; curam rei totius gerente *Cel. STOLL*, *S. C. R. A. M. Conſilarii*, atque *Praxeos medicæ in Univerſitate vindobenenſi Profefſore*, à *Cl. RECHBERGER*, *S. C. R. A. M. Perſonæ Chirurgo*, ac *Inoculatore primario*, ſequenti ratione,

Inmisit *Cl. RECHBERGER* in brachio superiori cutem lanceolæ, pure recenti varioloso antea infectam, oblique inter epidermidem & cutim, ad unam, aut unam cum dimidia, usque lineam; vertit tum lanceolam, ea ratione, ut acies una epidermidem, altera respiceret cutim: sub hac inversione sublata epidermis a cuti, atque pus variolosum intervallum sic productum illico subiit. Vertit jam lanceolam in latus alterum, atque, inposito epidermidi digito indice, denuo extraxit, quin vel minimum prodiiisset sanguinis.

Peracta operatione illico ducebantur infantes omnes in hortum aditum ad concentum musicum: qua mutatione animi eorum adeo exhilarati, ut, quæ cum illis suscepta fuerant, mox denuo obliviscerentur.

Primâ post insitionem die bene valebant inoculati; nox tranquille peracta, Mane exhibitum, ceu remedium eccoproticum, sic dictum hydromel infantum, pro ratione ætatis diversæ diversâ dosi.

Hora decima singulis diebus locus inoculationis in utroque brachio à *Cel. Prof. STOLL*, & *Cl. RECHBERGER*, adtente examinatus, atque Medicis praxin frequentantibus monstratus. Prima & secunda nil mutatum exhibuit. A prima inoculationis die versus finem usque hæc inoculatorum diæta.

Mane, horâ septimâ, pro jentaculo quotidiano infusum theæ lacteum, cum paucis panis albi: ductum omnes infantes in hortum, ubi per diversimodos lusus ac musicam ut recrearentur, omni opera curatum: manere in hoc loco, inprimis ordiente jam febrî variolosa, debebant usque ad decimam circiter vespertinam: horâ undecimâ antemeridianâ dati fructus cocti horæi: ad prandium cibi ex subtilioribus carnibus, bubulâ prorsum negatâ, ad quartam usque ab insitione diem; tum nil amplius carni, sed maximam partem cibi lactei,

æti, aut e fructibus coctis, ac oleribus. Cœna, usque ad quartam diem, prandio vix non similis: pro potu aqua communis.

28. Maji, (ab infitione 3.), locum infitionis in plerisque pustula exigua, magnitudine caput aciculæ parvum æquans, in quibusdam elata, in aliis tactu solum detegenda obsidebat; locus ipse totus sat inflammatus, subdurus.

29. Maji, (ab infitione 4.), locus infitionis magis inflammatus ac elatus. Per totam diem morabantur omnes in horto; cætera alacres, bene valentes.

30. Maji, (ab infitione 5.), fere in omnibus vulnusculum tegebat utrumque variola bonæ indolis, elata, magis denuo inflammata; in medio subalbida, excepto *Haschka*, in quo inflammatio vulnusculi in utroque brachio jamjam evanescere. Bene omnes valentes, præter *Dillingskrön*, quæ mane aliquoties mucum virentem, tenacem, biliosum evomit, ac cephalalgiam, obpressionem circa regionem ventriculi, ac delassationem quæstæ est: lingua sordida; pulsus nonnihil celerior; æstus aliquantò major.

31. Maji, (ab infitione 6.), utrumque vulnusculum obsidebat variola sat tumida, margine pulcro rubro cincta; tenui, subaquoso pure turgens. Vegeti omnes, variis lusibus, ac musica tempus in horto ad noctem usque fallentes.

I. Junii, (ab inoculatione 7.), inoculati de prostratione virium conqueri: pomeridianò tempore in nonnullis jam exordia febris eruptionis: pustula infitionis in margine magis inflammata, elatior, copiosiori pure diluto repleta. Curatum hinc fuit, ut, quamdiu foret possibile, in aëre libero lusibus ac musica recrearentur; ad decimam usque vespertinam in horto morari debebant.

2. Junii, (ab insitione 8.), ambæ *Enzenberg*, amboque *Auerhamer* noctem inquiete valde transegerunt; febris valida; reliqui, præter debilitatem corporis maximam, nullum incommodum querebantur. Circa vulnusculum in plerisque variolæ plures exiguæ in utroque brachio pullulantes; variola mater vix non in omnibus probe tumens, pure spiffiori repleta, ambitu latissimo inflammato cincta. A meridie circa horam tertiam tragœdiæ initium: infantes, hæctenus adeo alacres ac vegeti simul & semel prostrati; febris etenim variolosa, in omnibus fere sat valida versus secundam ingruerat. Virium summa prostratio, ut plerique vix incedere, aut pedibus inniti possent; somnolentia continua; rubor faciei totiusque corporis intensus; sitis non sedanda; calor magnus, præternaturalis; kephalalgia obtusior; obpressio circa œsophagum (cardialgia); in nonnullis leviora tormina; lingua subalbida, oris fœtor peculiaris, acescens; pulsus sat celer, in plerisque plenus; tum & maxima impatientia, symptomata erant febrim stipantia, ægrosque adeo adficientia. Muficæ diversissimorumque lusu ope, ut infantes, summe debiles ac somnolenti plurimum, in aëre libero retinerentur, adhibita maxima cura. Post decimam demum vespertinam ut hortum desererent, concessum. Aër recens, aqua pura frigida, aut dilutior potus limoniatum, remedia constituebant, queis symptomatibus nunc descriptis omnibus ponebantur obices, & quorum etiam ope egregie ægri levabantur.

3. Junii, (ab insitione 9.), nox inquiete plurimum denuo transacta: febris violenta ex æquo, uti per diem fuerat; somnus paucissimus; agitatio corporis continua; in quibusdam leves convulsiones, in aliis artuum tremor: plerisque facies ruberrima, pulsus celer, plenus, sitis, kephalalgia non remittens, obtusa: hinc
inde

inde in facie quorundam ac extremitatibus variolæ enascentes. Fenestræ ac januæ per totam noctem in cubiculis apertæ; ægris leviuscula nonnisi tegumenta. A tertia tamen ad sextam usque plerosque tranquillus tenuit somnus. Mane febris cum symptomatibus remissior: rubor, æstus, sitis, levior; ast virium major multo prostratio. Plures jam prodierunt pustulæ. Hora sexta matutina in hortum deducti ægri, ubi eadem, uti hesternæ die, in usum vocata auxilia, ut morbus illis redderetur toleratu facilior.

4. Junii, (ab insitione 10.), plerisque nox tranquillior; febris sat moderata, nullo peculiari symptomate stipata: *Heufeld* nonnisi hac nocte versus duodecimam convulsionibus correptus epilepticis. Exemptus illico lecto, in aëre portatus libero: convulsionem post dimidiam horam prorsum minuebantur: febris illi per noctem fuerat valida, somnus rarissimus. Circa horam septimam ducti omnes in hortum, moreque recreati solito.

Marginem latissimum inflammatum insitionis in plerisque multæ pustulæ exiguæ, sat jam elevatæ, albidæ, tegebant; variola mater tumidissima, pure spisso repleta.

5. Junii, (ab insitione 11.), vix non omnibus nox valde inquieta; febris lenissima; prostratio virium multò levior; ægri sat alacres per totam diem in horto optime degebant.

Variola mater in utroque brachio quorundam pure spisso turgidissima, in aliis jam nonnihil conlapsa: rubor etiam marginum maximam partem jam in minutus.

6. Junii, (ab insitione 12.), omnibus fere nox minime tranquilla; febris valde exigua; variolæ faciei sat elatæ, albentes. Inflammatio latior marginis insitionis in plerisque prorsum fere evanuit: variola mater multo magis conlapsa. Dies in horto transacta.

7. Junii, (ab insitione 13.), nox quieta; pustulæ faciei corporisque reliqui bene tumentes, margine rubro inflammato cinctæ, optime subpurantes; uti & margini vulnusculi insitionis innatæ variolæ pure laudabili intumescentes. Variola mater in ambobus brachiis magis denuo conlapsa. Per totam diem inoculati morabantur in aëre libero.

8. Junii, (ab insitione 14.), somnus omnibus placidus hac nocte fuerat; optima pustularum subpuratio; locus insitionis in ambitu vix amplius inflammatus: in variola matre nullum fere, spissumque valde, pus.

9. Junii, (ab insitione 15.), tranquilla nox; pustulæ in plurimis pulcerrime adhucdum subpurantes; in quibusdam hinc inde sicciscentes. Inflammatio circa locum insitionis vix conspiciunda: pustula mater ex integro fere sicca.

10. Junii, (ab insitione 16.), siccescere pustulæ; uterque insitionis locus ex integro ficcus; inoculati belle valentes.

11. & 12. Junii, (ab insitione 17. & 18.), præter integram pustularum exsiccationem nil memoratu digni.

13. Junii, (ab insitione 19.), magnâ copiâ decedentes exsiccatae pustulæ.

14. Junii, (ab insitione 20.), ex integro separatae pustulæ. Ad purgandum corpus exhibitum denuo hydromel infantum.

15. Junii, (ab insitione 21.), optime omnes valebant.

24. Junii, (ab insitione 30.), domû insitionis omnes excedunt.

Elenchus Inoculatorum.

Carolina Libera Baro ab Enzenberg, 7. annos
nata.

Barbara Libera Baro ab Enzenberg, 4. annos
nata.

Leopoldus Auerhamer, 7. annos natus.

Carolina Auerhamer, 5. annos nata.

Theresia Auerhamer, $3\frac{1}{2}$. annos nata.

Carolus Heufeld, $3\frac{1}{4}$. annos natus.

Xaveria Dillingskron, $4\frac{1}{4}$. annos nata.

Josephus Stoll, 3. annos natus.

Anna Stoll, $1\frac{1}{4}$. annos nata.

Xaveria Comes à Majalath, 5. annos nata.

Anna Libera Baro de Rollcourt, 4. annos
nata.

Cajetana Libera Baro de Rollcourt, 5. annos
nata.

Franciscus Hafschka, 17. annos natus.

Carolina Libera Baro ab Enzenberg, septem annos nata, elapsa hyeme morbillos passa; bis tum sectione venæ opus erat; cæterum ante & post hunc morbum sana vixit; habitus corporis nonnihil plethorici; capilli dilute fusci, cutis asperior: decimâ octava & decimâ nonâ Maji, suadente Medicô domesticô, purgans sumsit.

25. Maji ad vesperam variolæ insitæ.

1, 2, & 3. die post insitionem ex integro bene valuit; in locis insitionis plane nil mutatum.

4. Vulnusculum obsidebatur brachii dextri variola minima, caput exiguæ aciculæ æquante; vulnusculum ipsum inflammatum, nonnihil elatum; in brachio sinistro vix inflammatum quid, aut prominens.

5. In

5. In utroque loco infitionis cernebatur variola, exigua quidem, nonnihil tamen magis, ac heri fuerat, inflammata & prominens. . Vesperam versus febris levis; cætera nil ægra querebatur incommodi: noctu sudor magnus, somnus valde inquietus.

6. Valetudo denuo bona; locus infitionis uterque inflammatus magis, & prominulus.

7. Pustula mater utraque magis inflammata, elata, pure tenui, albeni jam facta: pruritus utriusque: versus tertiam pomeridianam febris variolosa; summa debilitas, kephalæa; fitis continua; pulsus sat celer, calor magnus; facies cum toto corpore ruberrima; maxima impatientia; somnolentia continua.

8. Nox inquietissima; febris per noctem intensior, quam per diem fuerat. Leves nonnunquam convulsiones, artuumque tremores. Kephalgia, calor, fitis, rubor maximus præternaturalis cum respiratione subinde irregulari, aliquantum difficili, & pulsu pleno, celeri, per totam perseverabant noctem. Diem versus febris cum suis symptomatibus nonnihil remissior; ægra per trihorium tranquille dormiebat. Pustula mater dextri brachii inflammata magis, elatior; in sinistro brachio noctu scalpendo destructa; nihilofecius mane alia recens, bene formata, in medio jam albida, priorem occupabat locum. Per diem valebat ægra multo melius: odor, variolis peculiaris, fortis, ex ore prodibat: per totam diem in aëre degebat libero. Vesperam versus febris major, kephalæa, lassitudo, rubor, calor, fitis, multum aucta; odor variolosus ex ore manifestissimus; pustulæ plures exiguæ in facie ac reliquo corpore prodientes.

9. Per totam noctem frigebat ægra; somnus nullus; inquietudo: febris maxima, pulsus celerrimus, plenus; leviores præterea per intervalla convulsiones artuum-

artuumque tremores; respiratio difficilior, nonnunquam inæqualis; versus diei exortum somnus denuo aliquot horarum tranquillus.

Mane febris hujusque symptomata multo leviora; virium prostratio minor; ægra alacrior. Conspiciundæ optime pustulæ exiguæ per faciem, reliquumque corpus. Variolæ ambæ matres probe elatæ, pure tenui albo turgidæ, margine lato, inflammato, cinctæ, è quo nascebantur pustulæ multæ exiguæ, jam nonnihil albicantes. Vesperi febris denuo sat valida.

10. Nox multo tranquillior; febris moderata; calor, rubor faciei totiusque corporis inminuti; respiratio liberrima; somnus etiam per aliquot horas tranquillus. In utroque loco infitionis pustula mater pure turgens; margo hujus latior, magis inflammatus, pustulis plurimis, exiguis, albis obfitus.

Febris per diem moderatissima; rubor, calor, fitis, & kephalgia fere evanuerunt: odor ex ore variolosus adhuc fortis admodum; lassitudo vix non ablata: in toto corpore, imprimis in facie, variolæ paucae nonnisi conspiciundæ.

Noctu ægra denuo longe inquietior; somnus paucissimus; febris tamen lenis; rubor faciei & calor major; respiratio nonnunquam difficilis.

11. Febris moderatissima; variolæ faciei & corporis reliqui parum prominentes ac inflammatæ. Pustulæ matres conlabi; margo vix inflammatus; pustulæ autem parvæ, huic innatæ, multum prominentes, belle subpurantes.

12. Nox valde inquieta; durante somno ægra continuo loquebatur.

Mane obtusus capitis dolor; fitis; vomitunitio; prostratio virium major; adpetitus deletus. Lingua in-

in-

inpura, albicans; febris autem lenis. Præscriptum remedium sequens:

℞. Aq. meliss. ℥iv.
 Succ. citr. recent. ℥i.
 Crem. tart. ℥i℞.
 Arc. dupl. ℥℞.
 Sacch. q. sat. ad grat.
 M. S. ut sumat omni bihorio bina
 cochlearia.

Variolæ faciei & corporis adhucdum parum valde prominentes; variolæ utriusque matris margo minor multo, ac pallidior; variolæ hæ ipsæ conlapsæ, paucum solummodo recludentes puris spissioris.

Versus vesperam febris aliquanto auctior. Quum hac die alvus foret constipata, injectum enema; sequuta inde aliquot vicibus alvus mollior.

13. Nox summe inquiete transacta; agitatio in lecto continua; delirium; rubor faciei intensus; calor tamen cum febris mediocris.

De die vix febris quid observatum; symptomata præcedentis diei prorsum silentia; puella per totam diem alacris.

Variolæ faciei & corporis legitime tumentes, in subpurationem abire; variolæ matres siccescere.

14 & 15. Bene valuit, variolæ faciei & corporis in plena erant subpuratione: variolæ matres vix non ex integro siccæ.

16. Pustulæ omnes siccari; variolæ matres planæ siccæ.

17 & 18. Pustulæ ex integro siccæ; puella optime valuit.

19. & 20. Pustulæ decidebant: exhibitum hydromel infantum.

21. Abs omni incommodo quieta fuit puella.

Barbara Libera Baro ab Enzenberg, quatuor annos nata, elapsa hyemè pariter morbillis bonæ notæ adfecta fuit: cætera nunquam non sana; capilli coloris fusciscentis; cutis asperior.

25. Maji insitæ variolæ.

26. Datum eccoproticum.

1 & 2. ab insitione die in loco insitionis nil omnino mutatum.

3 & 4. die levior inflammatio ac prominentia.

5 & 6. Utrumque vulnusculum inflammatum magis & prominens.

7. In utroque brachio ad locum insitionis varfola pulcra, elata, pure tenuiori jam turgens, margine lato, plurimum inflammato cincta. Tertia circiter pomeridiana febris variolosâ, ex æquo fere validâ, & iisdem symptomatibus stipatâ, uti soror, corripiebatur. Febris ad undecimam usque abs remissione perseverabat.

8. Plures jam in facie & per totum corpus observabantur pustulæ emergentes exiguæ.

9 & 10. Variolæ, copiâ sat paucæ, prorupe-
runt ex integro, ac nonnihil elatæ, circa locum utrumque insitionis margo indies latior, magisque inflam-
matus; variolæ matres pure tenui, albo turgidifimæ.

11 & 12. Febris non nisi pauca, pustulæ faciei ac reliqui corporis bene elatæ, albescentes: variolæ matres conlabi; inflammatio marginum minui.

13, 14, 15. Febris evanuit; variolæ optime subpurantes, variolæ matres ex integro fere conlapsæ; inflammatio marginum latorum nulla.

16. Variolæ siccescere; variolæ matres fere siccæ.

17 & 18. Exsiccabantur plane variolæ; siccæ nunc variolæ matres.

21. Deciderant jam omnes variolæ; puella bene valens.

Leopoldus Auerhamer, septem annos natus; puer sanus; forma pulcra, habitus corporis perfectissimus, color faciei vividus ruber, cutis asperior, color capillorum fuscescens. Variolæ insitæ 25. Maji.

1 & 2. ab insitione die in utroque brachio nil mutatum.

3. Emerferat jam pustula exigua, nonnihil elata, ac inflammata.

4, 5, & 6. Inflammatio vulnusculorum indies major.

7. In brachio dextro locus insitionis notatus pustula pulcra, prominenti, margine lato inflammato cinctâ, pure tenui plenâ; in brachio sinistro aliquanto minor.

8. Versus quartam pomeridianam febris variolosa ingruit: symptomata multo leviora, quam in binis præcedentibus, ad duodecimam usque protracta diem, ast indies minuta, febris.

9. In facie & reliquo corpore pustulæ exiguæ.

Ab 8. ad 12. Variolæ matres magis magisque prominentes; pure tenui repleti, margine latissimo inflammato cingi.

12. Vix amplius febris. Pustulæ faciei & corporis belle prominentes, margine exiguo rubro septæ ac in subpurationem jam abeuntes. Variolæ matres multum prominentes, pure tenui repletissimæ, margine amplissimo septæ.

13. 14. & 15. Febris prorsum remisit: pustulæ faciei & corporis subpurantes maxime: variolæ matres conlabi, ficescere; disparere etiam inflammatio marginis.

16. & 17. Multum exsiccabantur pustulæ: variolæ matres fere siccæ; inflammatio lata marginis vix non abolita.

18. Variolæ faciei, corporis, ac ambæ insitionis siccæ.

19. & 20. Pustulæ decidebant.

Exbitum 20. hydromel infantum ad purgandum corpus.

21. Bene valuit.

Carolina Auerhamer, quinque annos nata, fratri habitu corporis accedens; color faciei vivide ruber; capilli fuscii; cutis subaspera: elapsa hyeme morbillos benignos passa: cæterà sana.

25. Maji illi una cum reliquis inoculatæ variolæ.

1. & 2. post insitionem die in utroque brachio nil plane mutatum.

A 2. ad 6. locus insitionis magis magisque elatus, inflammatus.

6. In utroque brachio vulnuscula coronabat pustula pulcra, multum inflammata, margine lato cincta, pure tenui repleta.

7. Circa secundam pomeridianam febris eruptionis occipiebat; per reliquam diem sat lenis, symptomata etiam

etiam mitia: noctu, ac imprimis vesperam versus nunquam non intendebatur febris: ad diem usque decimam in eodem perseverabat statu.

8. Prodire in facie & corpore omni reliquo pustulæ.

7. 8. & 9. In utroque loco insitionis pustula pulcra, prominens, pure tenui farcta, margine lato prædita, & plurimis pustulis minimis obsita.

10. Pustulæ faciei jam multo eminentiores, margine parvo inflammato donatæ: pustula mater brachii dextri aliquantum conlapsa, ambiens inflammatio multo remissior: variolæ matrem cingentes elatæ; in brachio sinistro variolæ matris quæ heri fuerat conditio.

11. Febris vix notabilis. Pustulæ faciei & corporis jam in subpurationem abire: pustulæ matres multo magis conlapsæ; margo minus inflammatus: variolæ minores insidentes pulcre subpurantes.

13. & 14. Pustulæ faciei & corporis bellissime subpurantes, variolæ matres multum ficescere.

15. Exsiccatio procedens.

16. & 17. Variolæ faciei, corporis, ac matres siccæ.

18. & 19. Maximam partem deciderunt crustæ.

20. Delapsæ in integrum: porrectum eccoproticum.

21. Optime valebat.

Theresia Auerhamer 3½ annos nata, elapsa hyeme pariter morbillis laboraverat. Habitus corporis uti sororis & fratris; facies vivide rubra; capilli fuscii; cutis subaspera: cæterà sana.

20. Sumsit eccoproticum.

25. Inoculata.

1. & 2. ab insitione die in loco insitionis nil mutatum.

3. & 4. Prodiit exigua, margine inflammato donata, ac nonnihil jam protuberans pustula in utroque brachio.

5. & 6. In brachio dextro prope variolam matrem alia parva, pariter prominula, matri arcte adhærens: in brachio sinistro margo latior, magis inflammatus: variolæ matres tumidiores, pure tenui scatentes.

7. A meridie correpta febris eruptionis; duravit hæc abs intermissione ad 12. usque; versus vesperam semper acrior; facies cum corpore integro tum ruberrima.

7. & 8. Somnolentia magna. 8. Versus vesperam innumeræ pustulæ emergentes in facie & reliquo corpore, quarum tamen multæ denuo evanuerunt: his non obstantibus, pectus, & collum variolis parvis obfita. Inflammatio loci utriusque infitionis florenum magnitudine æquabat. Variolam matrem, optime protuberantem, pure tenui turgidam plurimæ aliæ, exiguæ, prominulæ coronabant.

9. Nox maxime inquieta; febris violenta; pulsus plenus, celer; odor ex ore fortis variolosus.

10. & 11. Febris pacatior; nox utraque tranquillior, margo variolarum matrum remissius inflammatus: variolæ parvæ ambientes subpurantes; ipsæ matres parum conlabi; pustulæ faciei & corporis tumidæ, inflammatæ.

12. Nox nonnihil inquieta; febris autem vix percipiunda. Variolæ faciei & corporis subpurantes; matres multum conlapsæ; pauco pure spisso gravidæ, inflammatio plurimum inminuta; pustulæ exiguæ infitionis locum cingentes belle subpurantes: puella alacris.

13. & 14. Febris fere evanuit; pustulæ faciei & corporis in media subpuratione; variolæ matres conlapsæ; ambiens antea inflammatus limbus disparuit: pustulæ parvæ siccescere,

15. Pustulæ faciei siccescere, reliquæ optime subpurantes. Variolæ matres siccæ; inflammatio nulla; cingentes variolæ parvæ siccæ.

16. & 17. Siccescerant pustulæ.

18. Ex integro siccæ.

19. & 20. Decidebant omnes.

20. Sumfit eccoproficum.

21. Optime valuit inoculata,

Carolus Heufeld, 3 $\frac{1}{4}$ annos natus, puer sanus, pinguis, robustus, ingenii vivacis; morbillos nondum passus.

25. Maji variolæ illi pariter insitæ.

1. & 2. ab insitione die in utroque brachio nil mutatum poterat detegi.

3. Vulnusculum utrumque obsidebatur pustulâ parvâ protuberante, limbo duriusculo, vivide rubro, inflammato, septâ.

4. & 5. Inflammatio major; variolæ matres magis prominentes.

6. Variolam matrem dextram stipabat alia minor, proxime adnata; inflammatio marginum latior, locus magis tensus ac durus; variola mater sinistra jam subpurare.

7. Pulsus nonnihil febrilis: inoculatus tristis, impatiens plurimum, dedolationem & virium prostrationem magnam conquerens. Inflammatio loci insitionis latior; variolæ matres tumidissimæ, pure tenui farctæ: nox valde inquieta.

8. Versus decimam antemeridianam febris erupit variolosa, mitis. Pulsus aliquantum celerior; apofitia; virium ingens prostratio: nox pariter inquieta. Circa 12. nocturnam increcere valde febris, pulsus

reddi celer & plenus; æstu intenso calere corpus: leviores nonnunquam observatæ convulsiones, artuumque tremores. Quintâ matutina lectô eximi petiit. Pustulæ plures in facie & corpore obcurrerant.

8. & 9. Inflammatio limborum florenum fere magnitudine æquans: variolæ matres multum elatæ & pure tenui repletæ.

9. Mane in hortum illico deducebatur. Febris per totam noctem magna fuerat; delassatus adeo, ut pedibus insistere vix posset: ea præterea somnolentia, ut, dummodo per pauca minuta quietus flaret, aut sederet, profundissimo jam obprimeretur somno: oculi valde obscuri. Vesperam versus febris cum omnibus symptomatibus aucta: delirabat æger sæpius, ac somnum nunquam non expetebat. In facie & reliquo corpore plures prodierant pustulæ. Nox summe inquieta, febris per totum ejus decursum violenta; pulsus celerimus, plenus, calor intensus. Versus duodecimam nocturnam insultibus æger correptus epilepticis. Lectô illico exemptus; in aërem deportatus liberum, ac in eo per dimidiam horam circumductus: hóc remediô curati insultus epileptici: febris autem & convulsiones leviores; frequentius delirium atque æstus intensissimus per totam noctem perseverabant. Circa diei exortum demum tranquillus aliquot horarum sequutus somnus.

10. Febris hac die multo remissior: somnolentia etiam, delassatio enormis & calor plurimum decreverant. Inflammatio ambiens variolas matres lata adhuc dum; locusensus; pure ambæ turgentes.

12. & 13. Symptomata febris omnia sat levia; pustulæ faciei & corporis pulcre elatæ, in subpurationem tendentes. Inflammatio circa variolas matres nonnihil minor; conlapsæ etiam hæ aliquantum, pus recludentes spissum. Æger denuo alacer, iusibus delectari.

13. & 14. Febris vix sensibilis; pustulæ in plena subpuratione. Multæ inprimis pustulæ detegebantur in parte capillata capitis; nonnullæ etiam in regione inguinali, unde incessus nonnihil difficilis. Inflammatio multum minuta erat; pustulæ matres pure pauco, spisso, fœtæ.

15. & 16. Pustulæ siccescere; febris plane emortua; inflammati limbi matrum vix non disparuerunt, atque hæ ex integro siccæ.

17. & 18. Pustulæ omnes exsiccatae.

19. & 20. Exhibitum hydromel infantum.

21. Bene valuit.

Xaveria Dillingskrön, 4 $\frac{1}{4}$. annos nata, fabricæ corporis delicatæ, macrioris: facies pallida; cæterà autem nunquam non sanissima; ante inoculationem nullo remedio præparatorio, aut eccoprotico, usa.

Infita illi variolæ 25. Maji.

1, 2, & 3. ab inoculatione die in utroque vulnusclo nil præternaturalis observandum.

4. Locus infitionis in dextro brachio leviter inflammatus, tensus: detegebatur illi incumbens exigua valde, parum nonnisi elata, caput parvæ aciculæ referens, pustula: in lævo vulnusclo vix mutatum quid. Nox valde inquieta.

5. Mane levior febris; tussicula sicca: artuum præterea dedolatio; magna lassitudo; kephalalgia continua; oris amarities; vomituritio; obpressio perseverans in regione gastrica; vomitu bis rejectus mucus æruginosus. Lingua muco albo obducta; facies intense rubra; æstus corporis totius validus; fitis continua; pulsus celerrimus. Præscriptum remedium sequens:

- ℞. Aq. meliss. ℥iij.
 Succ. citr. recent. ℥ij.
 Liq. anodyn. min. Hoffm. gtt. v.
 Crem. tart. ℥β:
 Arc. dupl. ℥ij.
 Sacch. alb. q. s. ad grat.

M. D. S. ut sumat omnī bihoriō cochlea-
 ria duo minora.

Præterea nil nisi jura tenuia carniū exhibita. Meridiem versus febris nonnihil insurgere; hoc non obstante per totam diem in aëre degendum illi erat libero. Circa meridiem febris cum omnibus symptomatibus vix non ex integro evanuit.

6. Tranquille dormivit, febris ejusque symptomata prorsum remiserunt: nil conquerebatur ægra, de-
 nuo alacris. 5. & 6. vulnacula ambo insitionis magis cernebantur inflammata; incumbentes iis pustulæ parvæ elatiores, in subpurationem jam sensim abientes.

7. & 8. Inflammatio circa locum insitionis latior; locus magis tensus, vivide ruber; major puris tenuioris inhærens copia.

9. A meridie circa horam secundam febris variolosæ exordium, ad 12. usque perseverantis moderato satis decursu. Limbi variolarum matrum indies latiores; variolæ hæ ipsæ magis magisque elatiores, pure tenui fœtæ.

11. Paucissimæ variolæ in facie & corpore prod-
 euntes.

12. Febris fere evanida: faciei corporisque pus-
 tulæ albescere, subpurare. Inflammatio circa pustulas
 matres parum inminuta; margo, antea vivide ruber,
 pallidior; pus in variolis matribus spissum.

13. & 14. Nulla fere febris; variolæ belle subpurante. Inflammatio circa variolas matres vix non omnis evanuit; pustulæ conlapsæ.

15. Variolæ matres & reliqui corporis siccescere.

18. Pustulæ exsiccatae: vulnusculis ambobus insitionis eschara innata.

20. Ex integro crustæ variolarum deciderunt, Exhibitum inoculatæ eccoproticum.

21. Puella optime valuit.

Josephus Stoll, tres annos natus, puer delicatæ valde corporis compagis; elapsâ hyeme vexatus tussî convulsiva violenta; aliàs sanus,

25. Maji inoculatus.

A I. ad usque 3. diem post insitionem in utroque vulnusculo nil mutatum.

5. In loco insitionis brachii dextri variola parva, limbo belle inflammato cincta. In brachio lævo tactu solum distingui poterat exigua pustula, cuti adhucdum immerfa. Locus insitionis ipse inflammatus, tensus.

6. Variola utraque mater jam magis inflammata; in medio subpurationis exordia.

7. Inflammatio illas ambiens latior; locus magis tensus; vivide ruber (*): variolæ matres pure tenui scatentes.

8. A meridie febris ingruerat variolosa sat valida; pulsus celer, plenus; delassatio magna; cephalæa; somnolentia continua; nox inquieta,

9.

(*) Sphalmate hic in prototypo pro *hellroth*, *halsroth* legitur. *De W.*

9. Febris mitior ; odor variolosus , peculiaris , oris fortis.

11. & 12. Nox utraque inquieta, febris validior: pustulæ innumeræ, imprimis in facie, erumpentes; febris per totam diem valida: puellus summæ debilis, continuò somnolentus, tormina querebatur. Vesperam versus febris denuo insurgens, noctu violenta; maxima inquietudo. Pustulæ faciei & corporis reliqui, quibus fere obsitus, prominentes, in subpurationem tendentes. Inflammatio vulnuscula insitionis utraque cingens, minor: variolæ matres pus recludebant spissum; nonnihil conlapsæ.

17. & 18. Pustulæ faciei, corporis & matres exsiccatae.

19. & 20. Crustæ variolarum decidebant.

21. Optime valuit.

Anna Stoll, 1 $\frac{1}{4}$. annorum teneræ pariter, uti frater, conpagis; habitus corporis spongiosi, elapsa hyeme diu adfecta tussi valida convulsiva, feбри quidem notabili non stipata, a qua etiam abs remedio ullo convaluit. Cæterà semper sana.

25. Maji inoculata.

1. & 2. ab insitione die nil observatum præternaturalium phænomenorum in utroque brachio.

3. Ambæ variolæ matres erupturæ exiguæ tactu distinguebantur.

A 3. ad 7. diem vulnuscula magis magisque inflammabantur; incubabat singulis variola parva, sphaeroidea, pure jam aliquantum gravida.

7. & 8. In utroque loco insitionis pustulæ duæ parvæ pure diluto scatentes, margine vivide-rubro cinctæ. Per totam noctem ægra valde inquieta; feбри leviori adfecta gestanda erat.

9. Circa tertiam pomeridianam febris insurgere; pulsus multo celerior; æstus major; puella somnolenta plurimum; oculi obscuro. Nox pacatior.

10. Febris moderata; plures, exiguæ quidem, in facie & reliquo corpore prodeuntes.

11. & 12. Nox utraque denuo plurimum inquietata, ast febris remissa. Pustulæ faciei & corporis insurgere, subpurare. Inflammatio in utroque loco infectionis minui: variolæ matres paucum nonnisi spissumque pus continebant.

13. & 14. Somnus noctu inquietus; febris vix percipiunda; pustulæ belle subpurantes. Variolæ matres ex integro fere conlapsæ.

15. Pustulæ faciei ac matres siccescere.

16. & 17. Exsiccatio multum promota.

18. Prorsum exsiccatae variolæ omnes.

20. Decidebant.

21. Belle valuit puella.

Xaveria Comes à Majalath, quinque annos nata, habitus corporis multum pinguis, elapsa hyeme trimestris spatio violenta tussi convulsiva adfecta; quam & insultus epileptici sæpius comitabantur.

Annum unum agens ob dentitionem difficilem epilepsiam frequentius passa; unde & lævum corporis latus adhuc paralyticum. Quum vero per annum (antequam infererentur variolæ) vi electrica continuatâ, frequentioribus frictionibus aromaticis, frictionibus etiam tincturâ cantharidum institutis, balneisque sulphureis artificialibus usa foret, effectum hisce remediis fuit, ut lentius incedere queat: pes tamen lateris adfecti nonnihil tenuior breviorque altero est. Manus autem vix inde emendata.

25. Maji inoculata.

4. Ab insitione die observata pustula parva, sphæroidea, caput aciculæ exiguæ referens, vulnusculo utrique insidens.

6. In ambobus brachiis locus insitionis multum inflammatus; pustulæ matres legitime prominentes, in subpurationem abeuntes.

9. Versus tertiam pomeridianam febris variolosa occipit. Lassitudo magna; præternaturalis rubor faciei totiusque corporis; somnolentia continua; cephalalgia levior; pulsus sat celer, stipabant febrim. Vulnuscula ambo cincta limbo latissimo, inflammato. Innatæ huic pustulæ prominentiores, pure tenui scatentes. Nox valde inquieta.

10. Febris valida: in facie & reliquo corpore multæ emergebant variolæ. Nox denuò minime quieta.

11. Febris adhuc magna: in facie & corpore magnus variolarum numerus ex integro emerfit. Versus diei exortum febris aliquantum remissior.

12. Febris lenissima, nox autem aliquantum inquietior; pustulæ faciei & corporis optime prominentes, albescentes. Inflammatio limborum levior; variolæ matres multum conlapsæ, pus recludentes spissum. Nox hanc diem excipiens denuo inquieta, febris major.

13. Mane cernebantur copiosæ pustulæ eminentes; plures exiguæ, nunc primum emergentes.

14. & 15. Nox utraque inquieta; febris nulla; pustulæ læte subpurantes.

16. Nox tranquilla; variolæ siccescere; inflammatio limborum evanida; variolæ matres multum exficari.

17. & 18. Variolæ vix non omnes ficari; matres omnino ficæ.

19. & 20. Pleræque decidebant.

20. Adsumsit eccoproticum.

21. Bene valuit.

Anna Libera Baro de Rollcourt, quatuor annos nata, fabricæ corporis tenellæ; sana, morbillos nondum passa.

20. Maji exhibitum illi eccoproticum.

25. Infertæ variolæ.

4. ab infitione die vulnuscula utraque inflammata, prominentia, tensa, subdura.

6. Locum infitionis brachii dextri tegebat pustula pulcra, elata, limbo latiori, inflammato cincta, tenui pure repleta: in lævo brachio nonnisi pustula exigua, inflammata, in subpurationem tendens.

7. Vulnuscula ambo multum inflammata; ambæ matres tumidæ, pus recludentes dilutius.

8. Inflammatio circa vulnusculum brachii dextri minor; margo latus inflammatus multò pallidior: variola mater paucum solùm, idque spissius, continebat pus. In sinistro brachio locus infitionis vix amplius inflammatus; pustula mater conlapsa.

11. Evanuit inflammatio omnis circa vulnuscula: pustulæ matres siccæ, eschara obductæ.

15. Delapsa eschara: puella bene valens: per totum reliquum temporis spatium inter inoculatos mansit.

Cajetana Libera Baro de Rollcourt, quinque annos nata, conpagis teneræ, uti soror, morbillos nondum experta; cæterum sana.

20. Maji sumfit eccoproticum.

25. Maji inoculatio facta.

3. ab infitione die vulnuscula inflammata.

4. Inflammatio major, tensa; incumbens pustula exigua, sphæroidea; inoculata prurimum conquerebatur ad locum infitionis in utroque brachio.

5. In brachio dextro vulnusculum oblitum pustula pulchrâ, limbô amplô inflammato septa, subpurationem jam subiens: in brachio sinistro pustula parva, minus inflammata.

6. & 7. Inflammatio in brachio dextro latior; pustula magis prominens, pure tenui repleta; in lævo pustula adhucdum parva, aliquantum protuberans, inflammata.

9. 10. 11. Inflammatio omnis evanuit: pustula mater dextra escharâ obducta; sinistra præternaturalis nil prorsum exhibuit.

12. Puella bene valuit; per reliquum etiam tempus, donec omnes domu infitionis excederent, mansit inter inoculatos.

Franciscus Haschka, septemdecim annos natus; ante octo annos morbillos passus; cæterum perfectè sanus: habitus corporis nonnihil macrior; capilli dilute fusci; ante infitionem purgans non sumsit.

25. Mâji inoculatus.

1. ab infitione die locus uterque jam inflammatus, subdurus.

2. Inflammatio, & durities aliquantum remiserunt.

3. Symptomata nunc dicta denuo magis aucta.

4. & 5. Inflammatio circa utrumque vulnusculum vix percipienda.

6. Inflammatio illa, in utroque brachio, evanuit.

8. In loco infitionis nil omnino præternaturalis sese obferebat.

12. Alterâ vice in utroque brachio instituta infitio; sed & nunc ne minimus sequutus effectus. Mansit nihilofecius inter reliquos inoculatos; nullo pacto infectus & optime valens.

PHLEBOTOME.

§. 1228.

*M*issio sanguinis intra terminum, quo vires non minuuntur, 1) copiam minuit humorum arteriosorum & venosorum; requirit hoc primum AUCTOR, ut vires non minuantur; nam tunc ii effectus; qui mox enarrabuntur, a venæsectione non sequentur. Unicum exemplum dabo; No. 4. hujus §. dicitur: quod v. f. distentis nimium vasis reddat elasticitatis exercitium; si tamen v. f. vires multum demat, ita ut debita adpressio sanguinis ad cerebrum non fiat, cadet homo in animi deliquium, quia deerunt spiritus subficientes. Vasa tunc nihil agent in liquida contenta, nisi quatenus frigore constringuntur. Idem de No. 9. verum.

Ergo primo copiam minuit humorum arteriosorum & venosorum; si ex vena fluat, arteria respondens huic venæ debet locum deperditi subplere. Si ex arteria fluat, narium v. g., aut hæmorrhoidum, aut si in arteria temporali fiat v. f., vena correspondens minus accipit & mittit tamen ad cor: ergo minus habet.

2) Ergo resistenciam movendorum reddit minorem; si cor ante v. f. habebat viginti libras sanguinis propelendas & una libra demta sit, cor inveniet resistenciam $\frac{1}{20}$ minutam. Si magna hæmorrhagia dimidiam cruoris partem evacuavit, cor fere obfendit resistenciam nullam.

3) Adeoque & plenitudinem vasorum; nam minus repleta sunt vasa 19., quam 20., ut & horum ad se mutuo compressionem; sanguis ruber est in vasis primi generis: si copiâ cruoris rubri hæc tumeant, vasa latera-

ipsisque nervi inde conprimuntur, ergo v. s. solvit hanc compressionem.

4) *Hinc vasis nimis distentis, contractionis, id est, elasticitatis, exercitium reddit.* Magnitudo arteriæ naturalis est in ratione reciproca vis distendentis & repellentis. Si vis distendens major est, certe erit arteria magis ampla, distenta, quam naturaliter in determinato hoc corpore esse debebat. Si vis repellens major sit resistente, erit arteria minoris diametri, quam ratione illius corporis esse debebat: ergo si vasa nimis turgerent a plethora, vis distendens est major, quam repellens; ablatum est æquilibrium. Demtâ eâ copiâ, quæ abstulerat hoc æquilibrium, arteria ad justam diametron revertitur.

Hoc porro tunc verum, quando arteria non est nimis diu distenta, qua nimia distensione vis contractilis multum perit. In tunica adnata sit dilatata arteria; v. s. sæpe eodem die efficit, ut arteria illa ita se contrahat, ut non ultra admittat rubrum sanguinem, sed lympham, ut naturaliter admittere debet: verum haud raro videmus v. s. nihil effici, quantumvis magnâ, quia arteriola amisit distensione nimia suam contractilitatem. Qui tunc potest prudenter adhibere lenissima adstringentia, feliciter quandoque restituit contractilitatem: si res non succedat, obnoxii hi homines sunt perpetuis lippitudinibus, & majoribus malis.

5) *Rarefacit liquida;* plethoricus olim habebat compressos humores plenitudinis ergo. Jam bona evacuatio facta est; minus pressa liquida specie quasi elasticitatis se restituunt; hinc rarescunt.

6) *Solvit liquida;* compressionem enim erant concreta quasi: demtâ copiâ compressi globuli, figurâ globulosâ destituti denuo globosi fiunt; admittunt ex alimentis nova liquida, quæ a vasis hæmatopoëticorum

viscerum in bonum lac ac sanguinem vertuntur. Salia sanguinis, quæ inter destructos globulos inretita fuerant, excutiuntur & loca inter globulos omnium serierum humorum vacua, denuo occupant.

7) *Resolvit*; ita; ut sine ulla evacuatione sensibili, aut insensibili, fiat humoris compressi perfecta resolutio, in sanum statum.

8) *Obstructa expedit*; hærebant humores densati a compressione, ut pertransire per multa minima vasa non possent. Humor à tergo pulsus inpingebat magis in priorem obstructum (obstruentem) & augebat obstructionem. Jam bonâ copiâ detractâ & vis a tergo minuitur, & reliquus sanguis habet majus spatium se expandendi & solida elasticiora facta agunt melius in hunc humorem; ita, ut vel retropellant illum ex angustiis in latius spatium, vel perprimant in venam, ut *leewenhoekianis* experimentis cõpertum est.

9) *Circuitum, secretionem, excretionem, promovet*; circuitus erat impeditus, quia multa vasa minima erant inpervia: hinc ruber sanguis non poterat circuire per omnes arterias rùbras in rubras venas. Deinde vasâ minora & serosa atque lymphaticâ toti systemati rubro expanso adjacentia, non dabant circuitum liberum serosis lymphaticisque humoribus. Hinc nunc detractâ sùbiciente quantitate cessat compressio hæc ad vasâ minorum serierum, cessat illa in minimis rubris remora; ergo circuitus sanguinis est iterum expeditus.

Secretionem; glandulæ, cæteraquæ vasâ minima secretoria compressa vix quidquam secernebant: ablata pressione fiunt perviæ, & secernunt. Humores spissiores erant a compressione, quam ut in minima secretoria vasâ intrarent, vel per eorum oscula transirent; jam resoluti in statum sanum, possunt per vasâ minima

eorumve oscula transire, & parare suum destinatum humorem.

Excretionem; quæ fieri non poterat, subsistente secretione.

10) *Revellit*; id est, si debito loco instituitur, divertit sanguinem ab eo loco, in quo & nimius & obstructus hærebat. Fuere, qui hoc negarent, perindeque esse dicerent, quoniam ex loco institueretur v. s. omnem v. s. modo evacuare. Verum, an non possum per unam arteriam sanguinem evacuare fere omnem corporis perque eam educere? Ergo possum pro parte revellere. Verum jam olim peculiari dissertatione egi, ut intelligeretis, versus eum locum, circa quem v. s. fit, plus sanguinis derivari, saltem velocius; unde in obposita parte necessario fit major evacuatio, id est revulsio.

Pulcre HIPPOCRATES *l. de natura hominis*, p. 230. „Hæ igitur mittendi sanguinis rationes sunt observandæ: studendum est, ut quam longissime a locis, in quibus dolores fieri, & sanguis conligi consuevit, venarum sectiones fiant. Sic enim mutatio minime magna de repente continget, tum etiam consuetudinem tollendo efficies, ut non amplius eodem in loco conligatur.“

11) *Refrigerat*; in febre a quacunque causa acceleratur motus sanguinis in vasa, vasorum in sanguinem: hinc adtritum major, adeoque & calor. Demtâ copiâ debitâ, motus hic imminuitur, minuitur adtritum, adeoque & calor.

§. 1229. *Hinc morbos quamplurimos, eosque varios admodum, tollit.* Omnes morbos a nimia plenitudine, densitate, adtritu. Sed tollit obstructions, tollit inflammationes: morbos inflammatorios solvit

revellendo, multos morbos feminarum tollit derivando. In minutum præ compressione calorem resuscitat, restituit; calorem majorem, nimio adritu generatum, refrigerat.

Simul tamen mutationes miras profert; nam agit directe in vitalem liquorem, & facit mutationes, quas vix comprehendimus. Multos videre est, quibus vix uncia una alterave sanguinis demta sit, quin frigescant, sanguinis fluxus subsistat, sudor oriatur frigidus, & cadant in syncopen. Mirum est, quomodo ordine hæc sese excipiant. Multoties mihi in juventute mittendus fuit sanguis: triginta annos natus eram, antequam talia a v. f. pati destiterim; cæterum antea fere semper id expertus sum. Primum omnium anxietas sentiebatur ad præcordia & veluti thoracis immobilitas: tum oculorum caligo, vertigo aliquando, tum sæpe vomitus, frigus omnium, sudor frigidus, pallor summus & incipiens animi deliquium per pauca minuta. Adspersâ aquâ, sumptôque vinô intra quadrantem horæ restitutus eram.

Aliis vicibus contingit, ut v. f. strenue sustine-rem, sed quo momento vulnus clauderetur, omnia mihi illa symptomata contingebant; idque plures habent eo momento. Nec refert, in pede secueris, an in brachio, venam; semper id illis contingit.

Igitur non potest a defectu spirituum oriri; nam v. f. brachii plures generari spiritus oportet, copiosiori sanguine ad caput relato. Non potest a compressione cerebri præ nimia copia sanguinis nasci; nam in v. f. pedis plus a capite derivatur. An igitur uno tempore oriretur a compressione cerebri, alio tempore ab defectu sanguinis ad cerebrum? Non videtur: cur enim plures egregie sustinent v. f. & tantum animo relinquuntur momento clausi vulneris? Et cur plurima pars

hominum validas v. f. innocue ferunt? fumus machina nobis ipsis plane incognita, quatumcunque nos illam intelligere aut memus.

§. 1230. *Indicatur 1) à copia nimia; nam tunc fiunt ea, quæ ad §. 1228. dicta. Sanguis conpingitur ita, ut globuli alias adsumere figuras cogantur: vasa distendantur ita, ut elasticitatem amittant; &c.*

2) *A resistantia nimia cordi nata per humores; si obstructa fere sint vasorum extrema, vel si citra notabilem obstructionem moles movendorum major est, quam vasa locare fere queant, cor debet adlaborare multum, ut moveat illam molem humorum: hinc tandem vires cordis infirmantur, quum secretio spirituum cerebelli a compacto sanguine fiat minor. Debilitatum cor mole cruoris obruitur, & per eandem repletur, extenditur. Hæc vera origo anevrismatis cordis.*

Vel si cor vires fervet utcunque & arteriæ resistant, vasa majora cordis proximam vim excipientia distendantur in saccos anevrismaticos.

Si cor & arteriæ non protinus debilitentur, manet saltem inter cor & arteriarum fines compressio magna sanguinis, unde lentescit a compressione sanguis polyposusque fit: hinc rariori casu horrendi illi polypi adcreti cordis parietibus & per reliquam vitam tot anxietates producentes, & demum mortem inopinam, dum polypus ille ictu cordis abruptus, ad vasorum majorum extremitates ducitur: *vide Rat. medend., Tom. II. de Polypis.* Omnia hæc v. f. solvit; si non, quo dictum est, modo, aut cor arteriæve, aut sanguis, degeneraverint.

3) *A motu subfocato per nimium tumorem a copia, vel a rarefactione, natum in arteriis; Hæc corporis conditio bene consideranda, haud sane infrequens. SYDENHAMUS in pulcerrimo illo opere: *schedula monitoria de novæ febris ingressu*, multus est in probando, quod debilitas illa insignis, quæ malignis dictis morbis ab initio adest, oriatur non præcise ex virium defectu, ut vulgo creditur, sed ex violentia morbi vitam subprimente: quæ debilitas mox, dum vis morbi per v. s. parum fracta est: „cujus rei experimentum, inquit, haud vulgare obcurrisse mihi memini multis abhinc annis in juvene quodam, ad quam accersebar. Quamvis enim ferme animam agere videretur ille, calor tamen in externis corporis partibus ita ad tactum sentiebatur temperatus, ut fidem mihi derogarent adstantes amici, quoties adferebam, eum feбри laborare; quæ ob sanguinis obpressionem (cujus mole, exitu negato, quasi strangularetur) se explicare & ostendere palam, nequibat; quodsi venam inciderent, febrim illico satis violentam statim animadverterent. Aperta vena, & sanguine paullo copiosius educto, emicuit febris, qua vehementiorem mihi nondum videre contigit, quæ non nisi tertix quartave phlebotomæ cessit.“*

Hinc cadit argumentum eorum, qui ne in peste v. s. fieret, ex illa veluti contraindicante debilitate argumentabantur. Immo potius experientia sydenhamianâ indicatur eò manifestius.

4) Fere sub priori comprehenditur; in priori motus torpebat a tumidis vasis, in posteriori vasa præ copia paralytica fiunt.

5) *A sanguine nimium densato; citra inflammationem, quod vel a nutrimentis nimium condensantibus, aut a nimio motu diffatis subtilioribus, vel a copia nimia.*

6) *Ab eodem nimis coëunte*; inflammatoria, lardacea spissitudine.

7) *Aut nimium inspissato*; quod fere idem.

8) Ergo in inflammatione cruda.

9) In feбри, licet non semper copia nimia adfit. Est enim sæpe acrimonia tanta, ut motus inde natus rarefaciat sanguinem & brevi vasa minima destrueret.

10) *A calore nimio per omnia vasa*; si v. s. indicatur, & frigus extremorum adest, nunquam fiat; calor per omnia semper permittit. Hic calor per univ. corpus dirimit litem, dum indicata v. s. in dubium vocatur in consultatione.

11) *A nimio - - - in unam partem, ut in hæmorrhagiis & fluxionibus*; hæmorrhagiâ natâ ex naribus, ex utero, pulmone, sanguis viam apertam tenet, & qua ablata resistens est, velocius in illum rapitur: tunc, si vires adhuc constant, revulsio indicatur. In fluxionibus vero sanguis de corpore non effluit, sed, in quam corporis parte congligitur copiosior & accumulatur, tumidam exhibet illam partem: a quo inflammatio, aut subfocatio, vel necrosis timenda; ita in artubus, ad oculum.

12) SYDENHAMI observata docent, ita quandoque in nonnullis epidemiis nocuisse, profuisse in aliis.

13) *Ab ætate*; infantes & senes semper excipiuntur, nisi res magnopere urgeat. Cæterum, si urgeat, non est ipsis parcendum. Infantes a convulsione, febri acutissima & morte liberavi, dum in difficili dentitione v. s.; quique prodibat sanguis, crustam inflammatoriam gerebat. Senibus 70-80. annorum vena secatur, si vires adsint, & summa urgeat inflammatio in pleuritide, peripneumonia. &c. Cæterum, ut dixi, est illi ætati parcendum; infantibus enim sanguis est non satis compactus, nec vasa satis firma sunt, ut se sustineant;

detracta enim ejus copia aliqua, vasa reliquam copiam ultra vix amplectuntur; disposita enim magis sunt ut dilatentur, quam ut se contrahant.

Senibus vero vasa prædominantur liquidis & magis magisque se contrahunt. Copia liquorum sustinet parietes, ne nimis arcte se contrahant illi: tum copiâ sanguinis tenet plura vasa adhuc aperta, quæ aliter se contraherent. Demtâ copiâ sanguinis & majora vasa se adhuc plus contrahunt & obrigescunt, & minora liquido destituta in fibras mutantur. Hinc solida vix amplius a paucis liquido distendi possunt, eaque in liquidum propellendum vix agunt. Mors ex fato senili sic acceleratur. Casus tamen adsunt, ut dixi, in præsentissimo periculo, & maxime, si a v. s. consuetudinaria haud diu adhuc destiterunt. Cæterum media ætas cæteris paribus maxime indicat venæsectionem.

A sexu; sexus masculinus videri posset venæsectionis femineo magis indigus; quod sanguis densior, solida rigidiora viderentur dispositionem inflammatoriam frequentiore facere: quod & viragines referendæ. Tamen rem adtentius introsipientibus adparent feminæ eâ plus indigere viris, 1) quod longe majorem sanguinis copiam generent; 2) quod ejus jacturam facilius ferant. Debilissimæ feminæ paucarum horarum spatio sæpe decem, duodecim ingentes mappas sanguine uterino penetrant & rubefaciunt; nisi adesset machina incredibiliter sanguinem generans, sustinendo non essent: sexus femineus a sui maturitate jam inchoat omni mense adsuescieri evacuationi sanguinis, id quod in viris non obtinet, nisi quibus aut nares, aut hæmorrhoides periodice fluunt.

A victu, duro, acri; a vini generosi plurimo abusu, magis indicatur in morbis, quam ubi victus moderatus & saluber prægressus fuerit.

A temperie; morbis; cæteris paribus, temperies sanguinea & biliosa magis indicant v. s., quam aquosa, phlegmatica, aut melancholica: in binis prioribus copia boni sanguinis adest, in postremis inopia.

14) *A cacochymia*; disputatum diu, num in cacochymia v. s. ? Exempla visa utramque sententiam confirmantia. Venæ secta fuit cacochymicis, qui hinc amittentes cum pravo sanguine etiam id quod adhuc bonum, in summam debilitatem conjicerentur, ut morbo sustinendo ultra non essent: e contrario curatio cacochymicorum ex eo visa impossibilis fuit, quod medicamenta intra turgida vasa admitti non possent: ita, ut in iis oporteret venam secare. Hic videtis nunc statum quæstionis. Concludimus, si insignis sit plethora cacochymica, parcam esse faciendam venæsectionem, ut spatium concedatur medicamentis; parcam dico, ne cum pravo sanguine simul exiens bonus, corpus viribus nimium privet. Quo vero in casu vasa non sunt valide distenta, præstat experiri, num medicamenta sanguinem intrare valeant satis, citra evacuationem.

15) Si animus est, corpus hominis decoctis replere lignorum, & cacochymia adeo replet omnia, ut decocta nequeant admitti, v. s., alias non indicata, hic indicatur, ut spatium nascatur pro medicamentis, ut vasa nimis a cacochymicis humoribus distenta, nunc evacuazione facta elasticitatem quamdam recuperent, & in nova medicamenta, bene cum veteribus humoribus subigenda, agere melius queant. Idem in omnibus magnis curationibus locum habet.

§. 1231. *Optima fit* 1) *lato vulnere*, *secundo inflictio*; lato vulnere, ut possit sanguis multus exire, quia celeritas illa fluxus citam facit revulsionem: in cita revulsione possunt vasa obstructum repellere, ut

in experimentis *leeuwenhoekianis*: cæteroqui ex parvo vulnere parvus saltus, vel stillicidium, non facit sat magnam mutationem subitamque, in loco adfecto.

Secundo inflicto; non pungendo: habentur quibusdam in regionibus elasticæ machinæ, quibus vulnus infligitur punctim. Faciunt 1) vulnus parvum, 2) si vel parum fortius penetrent, aut venæ parvæ sint, sæpe & obpositum penetrant, & lædunt tendines aut arteriam. Qui vero lanceolâ agit ita, ut non perpendiculariter vulneret, sed ubi cuspidem penetraverit venam, mox cuspidem in anteriora vertendo venam longitudinaliter secet, ille & magnum & tutum vulnus facit.

2) *In vena libera, magna, facile detegenda, remota ab arteriis, nervis, tendine*; loca consueta sunt in brachio vena hepatica, cephalica & mediana. Majores ibi passim sunt & nudæ, nisi homo vel parum habeat sanguinis in venis, ut venæ vix turgeant; vel nisi venæ externæ brachii semper sint exiles; vel nisi obesitas nimia molem venarum comprimat. Est semper periculum a lædendis sive arteriis, sive tendinibus. Sed periculum hoc variat. In *Act. Edinb. P. 2. obs. 16.* & 17. egregius *MONRO* demonstravit hanc veritatem, quatuor brachiorum delineationibus, in quibus quatuor brachiis arteriæ varium omnino decursum, divisionemque habent. Arteria brachialis si pungatur in v. s., subponit semper expansionem, sive aponevrosin bicipitis brachii quoque perforatam; huic enim expansioni arteria subjacet. Vena mediana paullo inferius pertusa potest vulnerare arteriam radialem. Verum hæc omnia evitare poterit plerumque is, qui, ut in *Textu* jussum est, lanceolam dirigit.

Saphenam in pede ad malleolum internum satis tuto quoque pertundunt. Jugulares facile pertunduntur,

tur,

tur, tum raninæ, frontalis: quamquam videntur hæ binæ ultimæ minus necessariæ. In angina ranina vena pertusa non videtur peculiarem utilitatem adferre.

In obesis difficilis v. s., si non fiat magnum vulnus: panniculus adiposus primo æqualiter sustinebatur a cute: cute pertusa luxuriat hic pinguedo, & obplet foramen. Si obesitas impediat, ut vix venam Chirurgus detegat, faciat in dorso manûs; ubi tamen caveat, ne lædat tot tendines: tamen obesitas & hic aliquomodo impedit, ne facile tendines lædantur.

3. *Accelerando velocitatem sanguinis dum fluit, respiratione forti*; uti enim dictum est, passim citiori revulsione melius juvatur obstructio, & inflammatio, quam tardiori. Unde monendi ægri, fortiter velint respirare & tussire; si præ dolore renuant, aceti calidi vapor naribus adhibitus excitat tussim.

4. Motu musculorum circa venam apertam; ut sanguis promoveatur; quum actio musculorum fluxum sanguinis per venas acceleret. Unde Chirurghi baculum, aliudue instrumentum digitis volvere jubent, ut sic per totum brachium musculi moveantur.

5. *Jacenti ægro; SYDENHAM, sect. VI. c. IV.* „Sanguinem è brachio in lecto jacentis extrahendum præcepi, nec passus sum, ut ex eo surgeret ad duas tresve horas: quum omnis sanguiniseductio, quæ universam corporis compagem labefactat quadantenus, concutitque, hoc pacto facilius toleretur. Ita ut mitius cum ægro agatur, quum in lecto cubanti uncix decem fuerint detractæ, quam si sex, septem tantum miserit, postquam è cubili surrexerit.“ Experientia vidi homines hos, qui in animi deliquium cadere solebant, non cecidisse in illud: quare plerisque, ita consuetis, adfirmare ausus fui, si jacentibus ipsis v. s., animi deliquium non sequuturum. Ratio in promptu est: homo

sedens debet sustinere truncum corporis, debet firmare femora cruraque, ut se sustineat: ergo musculi multi operantur; si jam fiat à mutatione per v. s. inducta defectus spirituum, quò minus spirituum requiritur, eò minus ille defectus animadvertetur.

Ad actionem musculorum sustinendam sanguis arteriosus ut conditio sine qua non requiritur. Si nunc, dum fit v. s. circuitus sanguinis multum turbatur, nec ad musculos sat sanguinis adfertur, languet actio musculi tota.

Denique sanguis difficiliter ad perpendiculum movetur ad caput, quam horizontaliter: hinc sedenti homini eò citius possunt animi deliquia oriri, quum sanguinis cursus aliorsum deferatur, quique ad caput ascendit sanguis, difficulter ascendat.

In decumbente vero homine si mittatur sanguis, vix agunt musculi corpus sustinentes, adeoque & spirituum & sanguinis defectus ad illos musculos non adest: corporis situs faciliorem transitum ad caput permittit horizontali situ. Ergo omni ratione præcavetur animi deliquium.

Igitur si homines sint animi deliquio adsueta, dum vena secta ipsis fuerit, vel si simul & semel magnam evacuationem facere indicatio jubeat, præcipimus, ut illis jacentibus in lecto vena tundatur. Rarus hinc indatur casus, ubi animi deliquium sic non prævenitur. Verum dum indicatio jubet in pede venæsectionem, non possumus jacenti id ægro facere. Tunc tamen possunt in crepidine lecti sedere, trunco pulvinaribus sustentato, & in postica tantum reclinato, quantum fieri possit.

§ 1232. *Præparatio fit ad feliciorum ejus administrationem; I. frictione; ut humorum circulus expediri*

ditus per venam primo concilietur, & arteria correspondens adfuescat multum sanguinis in hanc venam continuatò sic frictam transferre: acceleratur quasi circulatio jam antè v. f.

2) *Fomento*; notabile est, venà sectà brachii, ut plurimum sanguinem bene fluere; secta in pede vena sanguinem subsistere, nisi in aquam calidam pes fuerit inmissus. Cur fluit in aqua & non in aëre? Resistencia enim aquæ eam, quæ aëris est, superat. Oporteret in aqua minus adhuc fluere.

Æ. 1) Ligatura brachii melius stringit venam eâ, quæ in pede est. In pede fascia ambit triangulum, ut bene contra HECQUETUM advertit SYLVA, cujus tres anguli sunt os tibiæ, os peronæum & fortitendo Achillis. Vis conprimens fasciæ agit in hæc tria corpora dura, & intermedia vena saphena molliori strato recumbens, effectum ligaturæ minus experitur.

Quid aqua calida confert ad meliorem effluxum sanguinis? aqua calens dilatat venam, ut ad conspectum mox patet: dilatata vena tollit resistantiam jamjam effluxuro sanguini; ita ut sanguis ex arteria in illam venam inruens, per illam, tum patulam magis, tum ex præhumectatione vix elasticam, liberrime effluat.

2) Venæ habent semper expeditum iter, quia ex angustiori diametro in ampliorem eunt: pede autem in aqua posito amplior fit venæ pars angustior; vena enim supra aquam vix dilatatur; ergo non ultra ex angusto in latum est expeditum sanguinis iter.

Ergo hac ratione venosi sanguinis recursum versus cor retardato, adcursum sanguinis arteriosi accelerato, sanguis ex vena aperta inpetuose effluit.

Objicietis mihi, sæpissime in aqua calida fluorem minui subsistereque: pede tunc extra aquam educto, aliquando sanguinem effluere. Respondeo, id fieri;

quod pes nimis diu aquæ fuerit inpositus. Alia occasione Vobis narraui, quod sæpius mihi contigerit, ubi ad certam horam me cum Chirurgo invitassent ad v. s. sique, ne exspectaremus, jam aquæ infedissent ante nostrum adventum, ut iactus sanguinis ex aperto lumine vix ullus adesset.

Ratio 1) erat hæc: non modo, quæ aquæ inposita vena fuerat, ampliata erat, sed vapore ascendente aquæ crus totum ac femur emollita eorumque venæ dilatatæ; ita ut iterum ex angusto in latius fueret sanguis.

2) Ipsa arteria diuturna pedis maceratione & debilitabatur, & dilatabatur, unde ejus elasticitate imminuta inpetus sanguinis à corde venientis fractus erat, antequam ad venæ aperturam pervenisset.

§ 1233. *Vetatur* 1) à plurimis chronicis, in quibus plurima obstructa, paucusque admodum fluidus cruor vasis restat; ubi plura viscera pertinaciter obstructa sunt, ut sæpe homines habent pleraque viscera abdominalia, à longa die infarctâ, unde demum hydro pes. In ipso hydrope, phthisi confirmata cum summa emaciatione; in retentis mensibus quando cacochymia inde nata, quæ per totum corpus obstructions creavit: in his omnibus paucus sanguis, utcunque bonus, per pauca vasa circumiens, si v. s. detrahatur, multis mortem acceleravit.

2) *A senio;*

3) *A temperie;* explicui ad §. 1230.

4) *A cognita natura epidemici,* ut SYDENHAM notat, eosdem sæpe morbos una constitutione ferre v. s., aliâ recusare: *vel endemici morbi;* endemicus morbus in multis regionibus scorbutus est, in aliis scrophulæ, thymus inmanem in molem extensus: v. s. in hisce

ut plurimum plus nocet, quam prodest; nisi alia adsint, quæ id indicent.

5) *A crisi jam facta alibi*; ut toties dictum.

6) *A paucitate cruoris rubri*, & *debilibus hinc viribus*; virgo pallida debilis nunquam menses habuit, dicunt Medici: utinam menstruaret! sana esset. Ad menses producendos v. s. &c.; pejorem reddunt, nec prodeunt menses, & si vi quandoque per laxum uterum sanguis, eò pejus. Oportuisset primum facere sanguinem rubrum, copiosum, & dein pellere per uterum.

7) *A recenti statu puerperii*; nisi aliud quid indicet v. s., ut dixi agens de *morbis mulierum*, & haud ita pridem in *Emmenagogis* explicandis. Sed recens puerperium v. s. per se vetat.

Hic nun exsurgit illa quæstio, utrum feminæ fluentibus lochiis, aut catameniis, morbo inflammatorio correptæ, non sit vena secanda? Resp. in abundanti lochiorum fluxu minus conveniret, cæterum omnino. Sit v. g. femina in fluxu menstruo; corripiatur pleuritide. Vocatur Medicus: ille percunctando rescit, fluere adhucdum menses. Si doctus in arte sit, ille sic ratiocinatur: in tam gravi pleuritide non prævenio subpurationem vel gangrænam, nisi spatium unius aut binorum dierum libræ duæ, tres, quatuor sanguinis detraherim. Hæc fæmina forte mensibus dimittit libram semis. Ergo si fluxui menstruo nunc fido, non curabo hanc pleuritidem: ergo necessario v. s. faciendæ sunt.

Quæritur, ubinam vena secanda sit? An non in pede, ut mensium fluxus & pergeret & promoveretur? Resp. si omnis v. s. tantum est evacuans, oporteret sic agere; verum, quum pleræque venæ sectiones sint derivantes & revellentes, debeo respicere ad naturam morbi, æque ac si nulli menses aut nulla lochia fluerent. In peripnevmonia videtur vix differentia dari:

unde ibi in pede secare possum. In phrenitide debeo sanguinem detrahere ex pede : at vero in plerisque pleuritidibus , in inflammatione hepatis , ventriculi , intestinorum , uteri , renum , debeo ex brachio mittere , ne inflammationem augeam. *V. hic P. FORESTUM, l. 6. obs. 47. ad finem scholii.*

§. 1234. *Unde patet quarto &c.*; nescio fere, uter horum plus mali intulerit mortalibus; tamen crederem, HELMONTIUM: debacchando in v. s. & per sua, tum chemica, tum specifica, curare adnitendo, ipse pœnas tulit dignas, dum in sese neglecta inflammatione, phthisi periit, & infinitos homines, acutis decumbentes, aut occidit, aut in longas easdemque passim tandem lethales, coniecit ærumnas. BOTALLUS, HELMONTIO anterior liberalitate venæsectionis multos chronicos occidit, multos reddidit pejores. Habuere suos utrique numerosos adseclas; BOTALLUS Gallos fere omnes, quorum multi aliquot centenas venæsectiones sustinent, antequam mori liceat; HELMONTIUS plurimos in Belgio & Germania. Quod BOTALLUS frequentissime venam secaret Cardinali BORAGO, Gallix Cancellario, isque interea ætatem provecctam consequeretur, infatuavit multos, ut manibus pedibusque irent in BOTALLI sententiam. Igitur caveamus, ne in hominum perniciem ita quandoque rejiciamus sententiam aliquam, ut in obpositam, & forte æque, aut magis, nocentem, abeamus. Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

S A N G U I N I S
PER VASA HÆMORRHOIDALIA
EDUCTIO.

§. 1235.

Præter VENÆSECTIONEM educendi alius modus est per HÆMORRHOIDES. Sunt in ano vasa duplicis generis: arteriæ & venæ hypogastricæ, ex iliacis oriundæ, dictæ hæmorrhoidales externæ: sunt venæ hæmorrhoidales, pertinentes ad systema venæ portarum, dictæ internæ. Ex duplici hoc vasorum genere sanguis producitur ab ipsa natura statis sæpe, sæpe vagis temporibus. Apud B. EUSTACHIUM *Tab. 27. Nro. 2. & 4.* venas has hæmorrhoidales intrare videmus aut in venam mesentericam, paullo antequam in sinum magnum venæ portarum abeat, vel in lienarem. Unde videmus, quomodo in hypochondriacis cum materie totus lien, hepar, mesenterium se queant probe expurgare, fluente vena hæmorrhoidali in ano: unde sæpe tam mire recreantur.

Arteriæ, aut venæ hypogastricæ si crepent, directe levamen adferunt plethoricis: unde salutare maxime his hæmorrhoides tales; hcs enim, si nullam habeant hypochondriorum obstructionem, hæmorrhoides ejusmodi præservant a morbis; si, dum illi adhuc in vigore vitæ sunt, hæ cessent, constituunt causam morbi proëgumenam; quæ aliquando citra procatarcticam

cau-

causam potest morbum facere, ex sola plethora: sæpe a causa procatarctica levissima in actum ducitur.

Neglectus condonandus nulli Medico, si non examinet probe circa hanc rem ægros, num soleant hæmorrhoidibus laborare: cura tota morbi quandoque inde potest infelix esse.

Indicatur 1) *a temperie atrabiliaria*; ut mox jam vidimus, quam salutare hoc ipsi sit. Est sæpe evacuatio ex ipsa sede mali.

2) *A morbis cum phantasia læsa*; ex mota materie atrabiliaria: cura hæc, imitando naturam, quæ sic hosce ad sanam mentem reducit, est arte facienda. V. HIPPOCRATIS *Aphorism.* 4-25., 6 II., 6-21. Recessit quippe portio ejus sanguinis atrabiliarii, ita ut eò versus magna pars derivata ultra sanguini misceri nequeat: tunc ars id, quod in sanguine est, facile educit reliquum.

3) *A consueto fluxu eorum vasorum jam subpressis*; quum enim & chronica & acuta mala multa orta jam viderimus his subpressis, boni Medici est, prophylactice causas morborum evellere, tollere, antequam in morbos adolescent.

4) *Ab eruptione sanguinis per novas jam vias*, qui olim felicius per hæmorrhoides evacuabatur; vel enim jam molestas sæpe cephalalgias, hemicranias, experitur homo per aliquot dies, & tunc abundantem cruorem per nares solvit, ubi olim sat commode per anum plethoram solverat: immo quibusdam per pulmōnes, aut aliunde, effluit ad anum inpeditus sanguis.

Hinc cura semper habenda, ne unquam hic naturæ exitus claudatur; nam per alias evacuationes artificiales naturam non emendabimus unquam: unde HIPPOCR. *Aph.* 6-12. „Hæmorrhoidas curanti diuturnas, nisi una servata fuerit, periculum, ne hydrops

superveniât, aut phthisis. “ Dantur quippe casus, ubi hæmorrhoides copiosæ tument circa anum, tument-que enormiter, ac spongiosæ factæ & veluti carnosæ, ultra in anum reduci nequeant: hinc dolores ad alvum intolerabiles; alvus vix ultra movenda; profluvium sanguinis perpetuum, ut hydrops inde nascatur, aut continuæ fere oriantur debilitates ac syncopes. Talem casum vidi in virgine quadam; initô consiliô & eradicatione conclusâ, vidi dextrimum veteranum Chirur- gum DRINGBERG cauterio actuali magnitudinem aufe- rentem plusquam pomi aurantiorum, & parvum relin- quentem tuberculum, quod bene sanguinem fundebat; hinc semper ea via aperta servabatur.

§. 1236. *Elicitor* 1) *emolliendo hæc vasa fo- mento molli, calido, ex aqua, oleo, melle, emollien- tibus; dum enim hæmorrhoides nascuntur, novimus hoc sic fieri. Vas sanguine tumet; quum nunc fæces superius hærentes vas hoc comprimant, & versus anum passim aut pauca, aut nulla, resistentia sit, copiâ san- guinis vas in nodum aut globum efformatur. Etiam fæces duræ siccæ sæpe in recto hærentes, facili opera non educendæ, comprimunt vas, unde sub fæcibus eò magis turget. Si vas non nimis tenax, sponte findi- tur, & sanguis exsilit: si vas tenacius, dolet homo, nec sanguis exit. Omnis artis opera nunc collocanda in eo, ut vas hoc mollescat, extenuatur, inpetui pre- mentis sanguinis cedat. Spongia aquâ calidâ madidâ potest tunc ano adplicari; homo potest in sella perfora- ta supra aquæ vaporem sedere. Si emollientius veli- mus, potest spongia oleo madida adplicari, aut oleum adfricari, ac introtrudi. Si quid mellis, quod lenif- sime stimulat, adjungitur aquæ, aut oleo; vas forte eò citius findetur. Enemata similia profunt; immo
oleum,*

oleum, vel sebum candellarum fusum, & parvo siphunculo injectum, ut in principio recti maneat, egregii haud raro usus.

2) *Aperiendo per frictum cum asperis*; v. c. cum foliis ficus; ut in *scholiis* apud DODONÆUM EXCLUSIO & LOBELIO commendatur.

Aut per hirudines; (quæ circa hirudines notanda veniant, paullo post uberrime ex *Cel. SCHMUCKER* referam.)

3) *Ufu aloëticorum*; massâ pilularum RUFFI solâ, quotidie ad gr. vj. sumtâ, restitui quandoque intra paucos dies retardantes hæmorrhoides. Subpositorium aloëticum idem facit. Debent Chirurghi cavere, ne ad vulnera ani, aut principii recti intestini unquam adplicent elixirium proprietatis, ut in aliis vulneribus depurandis faciunt. Practicum senem audivi dicentem, se enormes dolores hæmorrhoidales inde vidisse natos. Si catalogus specificorum augeri deberet, aloën ad irritandas hæmorrhoides adjungere possemus. Nec adplicatione sola immediata id præstat, sed ore sumta integris viribus eò pervenit.

Hæmorrhoidum tumores molestissimos, nunquam apertos, multi patiuntur. Juvenis olim ex his doloribus sæpe incepti animo linqui; fuit enim mihi malum frequentissimum. Sebum candellarum fusum & intrusum ano; sebum idem, parvo siphone injectum (subpositoria ex lardo non salito,) ex optimis remediis sunt: semper levamen inde habui. Unguentum populeum cum oleo lini, quandoque cum opio, etiam confert; immo & adstringentia unguenta juvant; est pro causæ differentia. (*) Vidi, quos jovit nihil, præter


A a 3

plan-

(*) Sed, quo infinitis in meâ praxi profui, est oleum chalybeatum opificum, qui chalybeis instru-

plantaginem recentem, tenuissime conscissum & applicatum.

SCARIFICATIO.



§. 1237.

Scarificationes agunt stimulando & evacuando; nempe ubi in parte quadam lanceolâ fiunt parvæ incisiones. Adhibentur in gangræna usque ad initium partis vivæ: hinc vita irritatur subtus, quæ tunc sensim a sese separat gangrænosum. Sunt ibi inevitabilis necessitatis & egregii usus. Stimulus ingens excitatur ab instrumento vulnerante, dum eo viva caro tangitur, moxque effluens sanguis docet, vivam partem tactam esse; nam gangrænosa percissa sanguinem non dat.

Ad-

strumentis conficiendis victum quæritant. Habent hi, annosi dum sunt, idem oleum, quod ante 20. 30. 40. annos habuere; cui de tempore in tempus aliquid novi olei addunt: in hoc oleo millies extinctum ferrum, aut chalybs est, & dat remedium incomparabile ad hæmorrhoides cæcas doleutes, & tumidas percurandas.

De H.

Adhiberi solet quoque in cruribus hydropicis, scroto hydropico: dudum nota exempla id suadentia. Hydropicus, ad ignem sedens urit sibi pedem inscius; sensus quippe subfocatus sæpe a pressione aquarum: usto pede effluit copiosissima aqua, ut cubiculi pavementum totum inundaretur, homoque restituitur. Ex his & similibus concludere homines, posse scarificatione promoveri aquæ hydropicæ expulsionem.

PROSPER ALPINUS egregio illo libro *de Medicina Ægyptiorum*, quam per annos ipso in loco didicerat, *lib. 3. à cap. 1. ad 13.* hasce scarificationes commendat, quas apud Ægyptios viderat: verum fatetur, hydropicos vidisse se inde curatos quidem ab aquis adfatim ex scarificatis cruribus effluentibus, at continuo stillicidio aquarum gangrænam crurum, mortemque hominum esse sequutam.

Hagæ-Batavorum, praxin inchoans, vidi apud plures Medicos & Chirurgos hanc methodum curandi hydropem, etiam asciten, commendari, laudari. Imitatus aliquoties vidi id passim verum, quod de gangræna & morte meminit ALPINUS: unde posterioribus annis nunquam volui scarificationes in tali casu adhibere.

Attamen scarificationum & hoc in casu & in pluribus aliis, patronus magnus existit HIPPOCRATES. Textum mirum habet *lib. 6. epid. sect. 3. No. 22.* „Quum adsunt kedmata (dolores crurum, maxime ad coxas præ fluxionibus) venæ in auribus posterioribus sciendæ sunt.“ GALENUS in *Comment.* ad hunc locum ridet hoc, intelligens nempe, HIPPOCRATEM loqui hic de v. s. in aure posteriori; quia venæ in auribus vix conspicuæ. Verum PROSPER ALPINUS bene advertit, HIPPOCRATIS mentem hic esse, ut scarificetur auris, eamque a GALENO minime intellectam esse. VALESIVS quoque ita, ut ALPINUS, HIPPOCRATES

TEM explicat, aitque, se hanc aurium scarificationem quoque in usu vidisse apud Saracenos. Immo ipse GALENUS *Comment. in Aph. 2—17.* scarificationes magni fecit. „Evacuatio, inquit, omnium humorum æqualiter, quæ quidem exquisitissima est, fit per v. f.; proxima autem huic illa est, quæ fit per malleolorum scarificationem.“ Confirmat idem longo sermone *l. 4. de sanitate tuenda & l. 13. de methodo medendi.*

ORIBASIVS, græcus auctor, Medicus, quarto sæculo, sub JULIANO Imperatore, Quæstor constantinopolitanus, fufus est in commodis scarificationum deprædicandis. In *collectione septima* propria experientia in mensium subpreffione, oculorum destillationibus, in dolore capitis, in dyspnoea, etiam ubi æger admodum senesceret, miros ejus effectus narrat. Immo in *libro de cucurbitis c. 10.* „Et sane, inquit, dum pestilentia vehemens Asiam deprehendisset, multosque perdidisset, meque etiam morbus adtigisset, secunda morbi die, remissione febris facta, crus scarificavi, duasque fere sanguinis libras detraxi, hacque de causa periculum vitavi. Plerique igitur etiam alii, hoc præsidio usi, superstites evasere: erant enim plenitudinis signa, illique præcipue solvebantur, qui sanguinem copiosum exhauriebant.“

HIPPOCRATES in hydropicis videtur scarificationem laudare: nam ambiguum est, utrum ea, quæ de secandis & urendis hydropicis, atque phthificis habet, intelligenda sint de paracentesi, ut nos illam intelligimus, an de scarificatione. *Aph. 6-27.* „Qui subpurati, aut hydropici, uruntur, aut secantur, hi pure aut aqua acervatim effluente, omnino moriuntur.“

Lib. de locis in homine p. 417. „In puero hydropem sic curato: tumidas & aqua plenas partes gladiolo (lanceola) aperito, crebroque ac parum, & à
fin-

singulis corporis partibus educito, fomentisque utitor, & semper, quod apertum est, calefaciente medicamento inlinito. “

In adultis vero, *pag. eadem*, præfert varias ventris inuisiones circum umbilicum & supra illum: rem tamen ait periculo plenam; sed tentari posse, ubi alioqui homini certo est pereundum.

Hac lege videmur potius intelligere, quomodo sint paracenteses V. V. intelligendæ; nempe ut evacuationes modicæ, plures, repetitæ, per scalpellum incidendo, vel per linum inurendo, ut sic sensim educeretur aqua, vel pus.

Sic videmur intelligere sensum *Aph. 6-27.* „ Qui subpurati, aut hydropici uruntur, vel secantur, si pus, aut aqua, universim effluerit, omnes moriuntur. “

Sunt equidem multi casus apud HIPPOCRATEM, in quibus sectiones & inuisiones infelices fuere; verum rationes non latent, ob quas bono caruerunt successu.

1) Non omnes curantur, à quocumque remedio, vel optimo; est enim sæpe morbus naturâ superior.

2) Operationes illæ tempore HIPPOCRATIS fiebant, ut nunc, haud raro nimis serò; quum à pure, aut aqua, acrioribus redditis, partes internæ destructæ, humoresque corrupti. Vidimus hoc pluribus exemplis in *Epidemicis*. Ubi dolor coxarius aut cum morte, aut cum claudicatione conmutabatur, eò quod sectio, aut ustio, nimis sero adhibita esset. *Lib. 5. Epid. p. 1143. 1146.* Unde toties inculcat, hydropicos *ἀντίκα τέμνειν*.

Si videamus adcuratam industriam V. V; videntur gangrænam partium incisarum prævenisse multum *inposito medicamento calefaciente*: si quis curam tentare vellet, per incisiones partis cujusdam, vinum coctum cum roremarino, salvia, abrotano, floribus rosarum

rum rubrarum &c. oporteret adplicare calide, diu noctu-
que : sic gangrænam videtur HIPPOCRATES præcavisse :
maxime prodesset cortex peruvianus. Verum, ut di-
xi, cura mihi nunquam in Belgio successit, neque cui-
piam Medico successisse vidi, licet talis cautela esset
adhibita. In Græcia videtur res feliciter HIPPOCRATI
cessisse.

H I R U D I N E S.



§. 1238.

HIRUDINUM actio & hinc bene intelligitur; quia
ore suo trifurco scarificant vasa & sic sanguinem trahunt :
ubi decidunt, sanguis effluit ad libram & ultra : ergo
est mera scarificatio.

Ægyptii hirudines adplicant internis naribus,
quando stillicidium sanguinis in acuta febris denotat, co-
nomen naturæ adesse, sed vires debiliores : hinc sæpe
proliciunt copiam ingentem. Vel etiam scarificant
subtiliter internas nares, & sic promovent hæmorrha-
giam narium. Potestis omnia hæc apud PROSPERUM
ALPINUM l. 3. de Medic. Ægyptiorum videre.

Loco hirudinum, eorumve defectu, magno cum
emolumento Chirugi vasa oculo patentia in ano, ac
turgida, lanceolâ scarificant, ut fluat sanguis copiose
(v. Cel. ab HUMBURG Diss. ergo hæmorrhoidi recenter
tumidæ sectio non hirudo).

Cæterum Ægyptii, & plures V. V. videntur plus
scarificationibus tribuisse, quam venæsectioni. An ideo
sæpe

sæpe præferenda foret, quia sanguis tum etiam fluit ex arteriis? Unde & multi observârunt, missionem sanguinis ex arteriis longe melius juvare hominem in acutis.

*

*

*

(Circa practicam *hirudinum* usum imprimis benemeruit *Cel. SCHMUCKER*, *vermischte chirurgische Schriften*, I. B. Nro. 2. S. 75. 1c.: unde, quæ caput hoc, ab *HAENIO* sat obiter tractatum, illustrare queant, partim excerpta, partim traducta hic inseruisse juverit. (*))

Hirudo medica, seu *hirudo medicinalis*, secundum *Cel. LINNÆUM* in dorso lineis notatur sex flavis, quarum duæ supremæ denuo punctis nigris insigniuntur. *Cl. BERGMANN* octo tales lineas numeravit, *Cl. MÜLLER* autem exactius hæcce determinavit. Dorso bifariam divisô, utrinque lineæ quatuor obcurrunt; primæ duæ ex flavo rubent, punctis tamen nigris notatæ: tertia linea nigra, quartaque flava est: in quibusdam speciebus linea nigra denuo in duas ab invicem distinctas dirimitur. Abdomen nigrum, maculis flavis variegatum. *Cl. MORAND* animantium horum structuram internam descripsit; (**)) quum vero non notaverit, quibusnam speciebus ad experimenta sua usus fuerit, descriptioni huic non fidendum præprimis erit.

Hi-

(*) *Cel. SCHMUCKER* exhibuit duplicem figuram *hirudinis medicinalis*, ad vivum pictam.

(**) *Memoire de l'Academie des sciences* 1739. p. 191.

Hirudo medicinalis ad aperturam oris corporibus instruitur tribus semilunaribus, quorum margines cartilaginei ferrà quasi asperi sunt. Dum itaque ore lato parti necitur, & vacuum producit, instrumenta hæc fecantia cuti admoventur; vermis illa in circumulum quasi ducit, adducit sibi invicem, ac removel, hacque ratione cutim vulnerat. Diductis hisce ferris amplior evadit pharynx, & sanguis ejus ingreditur cavum. (*) Hirudine à cuti abscedente nunquam non vulnus triquetrum cuti inflictum cernitur.

Mitto hic reliqua, historiam hirudinum naturalem magis concernentia, ed exactius, quæ usum eorum medico-chirurgicum exponunt, relaturus.

HIPPOCRATI jam hirudinum usum cognitum fuisse, GALENUS testatur. (**)

ARETÆUS CAPPADOX in hepatitide cucurbitis scarificatis præfert, quum vulnera profundiora faciant. DIOSCORIDES, ÆGINETA, & CELSUS in operibus suis sæpius hirudinum injiciunt mentionem. Dixerat PLINIUS, (***) hirudines vario scopo adhiberi posse, in plethora sanguinem adinstar cucurbitarum educere, poros etiam aperire obstructos. HORATIUS in suis *Satyris* inquit:

„ Non missura cutim, nisi plena cruoris, hirudo. “

Arabes hirudinum utilitatem probe nôrunt; commendarunt eas in adfectionibus melancholicis & hypochondriacis. RHAZES multos felices casus refert, in quibus ad animantia hæc ipsa confugerat. PA-

RA-

(*) Giornali d'Italia, T. V.

(**) De hirudinibus, cum Commentario SEBIZII.

(***) Histor. Natural. l. 32. c. 10.

RACELsus eas laudat in ictero. (*) Apud Medicos chemicos autem non adhibebantur, quum hi omnem sanguinis missionem, ceu rationi contrariam, & noxi-
am, rejiciebant, & HELMONTIUS ne quidem in tu-
midis hæmorrhoidibus eorum usum adprobat. (**)
RANZOVIVS peculiari capite de sanguisugis agit, (***)
simulque monet, V. V. iis usos fuisse ad educendum
sanguinem atrum melancholicum, summo inde enasce-
nte commodo; suo vero ævo neglectam denuo hanc
fuisse methodum. Exemplum adduxit sororis propriæ
robustæ ac plethoricæ, quæ in octuagesimum usque an-
num sana permanferit, admovendo singulis annis cuivis
pedi quatuor, cuivis brachio duas, interscapulio insu-
per aliquot hirudines. SENNERTUS & ZACUTUS LUSI-
TANUS hirudinum usum denuo introduxerunt. Cl. HIR-
SCHEL in Diarium Berliner Mannigfaltigkeiten pul-
chram diatriben de diversis adfectionibus, in quibus
hirudines cum successu adhibentur, inseri curavit.
Catalogum hunc eundem additamentis quibusdam au-
gere constitui. Utiles sunt hirudines

I) in omnibus speciebus pleuritidis, a phlo-
gosi sanguinis enatis. Cl. MEDICUS in febribus bi-
liosus epidemicis, ubi bilis nimia corrupta, & re-
ceptacula sua egressa pleuriticos dolores excitabat,
admotis loco dolenti sanguisugis manifestum produ-
xit levamen.

(2 In

(*) Dessen Bücher und Schriften 3ter Thl. her-
ausgegeben von Johann Zuserus, Basel 1589.
S. 345.

(**) Sämmtliche Werke, Sulzbach 1683. S.
359.

(***) De valetudine conservanda, verdeutschet
durch Joh. Wittich, Leipz. 1585.

2) In morbis epidemicis hirudines tum adhuc utiles sunt, ubi venæsectio ipsa maximum adferre valet damnum. Quodsi morbis his adjungatur delirium, & furor, tum temporibus, tum retro aures adponi queunt sanguisugæ, ut symptomatum horum minuat periculum. Notum habetur, in febribus acutis ac inflammatoriis hæmorrhagiam remissiolem narium plus producere utilitatis, quam si plures libræ sanguinis ex remotiori extrahantur vena; quum sanguis in primo casu illico ac inmediate ex adfecta parte petatur. Hinc Veteres Medici in majori congestione sanguinis ad encephalon nunquam non hæmorrhagiam artificialem narium producere tentarunt, aut arteriotomen capitis fecerunt; hirudines idem adferunt commodum, securiori tamen ac certiori ratione.

3) In infantibus junioribus ac tenellis, tum & in hominibus phlebotomen horrentibus proficua fieri queunt sanguisugæ, præsentibus variolis, morbillis ac inflammationibus: lenta sanguinis evacuatione simul præcaventur omnes debilitates, syncopes e. s. p.

4) In febribus continuis, ubi vires jam eò usque fractæ sunt, ut cita evacuatio non amplius tentari queat, *Cl. MEAD* hirudines ut securum maxime medium sanguinem educendi commendat. Dum æger delirans est in hujuscemodi febribus, aut pulsus exiguus, simulque indicia percipiuntur inflammationis encephali, usus hirudinum tanto magis indicatur.

5) In phrenitide a caloris æstivi excessu, aut febres putridas, malignas concomitante *Cel. PRINGLE* jubet, ut sex vel septem hirudines, præmissis largioribus venæsectionibus admoveantur temporibus: testatur, hoc factò nunquam indiguisse arteriotome arteriæ temporalis. Quodsi phrenitis ut symptoma febribus jungatur, & debilitas pulsus vetet venæsectio-

ctionem, egregii sunt usus hirudines. MEDICUS hoc ex propria experientia adseverat: inevitabilem hoc in casu sanguinis ex encephalo educationem, huic scopo maximopere convenire sanguifugas, sufficienti autem numero adplicandas esse, autumat. PETRUS SALIUS DIVERSUS jam suaserat, ut in febribus malignis ac pestilentialibus temporibus adfigantur. Phrenitidem ab obstructis mensibus ZACUTUS LUSITANUS (*) curavit admotis quatuor hirudinibus ad genitalia externa; incassum antea tentatis venæsectionibus, scarificationibus, ipsisque sanguifugis pedibus & circa anum adplicatis. Utiles etiam expertus est in ictero a subpressis lochiis. In vertigine chronica ut retro aures admoveantur sanguifugæ suavit ALEXANDER BENEDICTUS, & Cl. SALOMON (***) curavit juvenem a debilitate capitis, eousque prosecta, ut æger solus non amplius ire posset, sed nunquam non ab aliis duci deberet: hirudines adfigebantur circa anum, etsi nulla cernerentur hæmorrhoidum indicia.

6) In epilepsia & apoplexiis sanguineis a sanguinis copia enatis sanguifugæ laudantur a WILLISIO, & DOLÆO (***): laudantur insuper a DOLÆO, si retro aures adponantur, in kephalalgia (****), vertigine, (*****) incubo, (*****) scorbuto
&

(*) Obs. V. & lib. I. admir. obs. 23.

(**) Abhandlung der k. Schwedischen Akad. der Wissenschaften B. 22.

(***) Encyclopædia medica, p. 146.

(****) p. ead.

(*****) p. 133.

(*****) p. 232.

(*) & mixtu cruento. (**) Etiam si ipsa causa non foret congestio sanguinis, per dolores tamen excitatur congestio, atque tum quoque utiles sunt sanguifugæ. Si dolores capitis veniant a rheumatismis, secundum FORESTUM (***) hirudines retro aures & intra narium foramina adplicandæ sunt. Quin & in doloribus capitis ab acrimonia venerea, ubi ipsum opium graviora reddebat symptomata, *Cl. HIRSCHEL* hirudines egregium præbere remedium palliativum didicit.

7) In feбри variolosa & morbillosa, si quarta die indicia observentur phrenitidis, cum pulsu exiguo, SAUVAGES (*) vermes hosce temporibus admovendos esse ait, indeque oriturum certum valde juvamen. In anginis commendantur a BRUELE, ac ZACUTO LUSITANO. HILDANUS in feбри quartana magno cum fructu in se ipso illis usus fuit.

8) In doloribus validis aurium ac dentium ab inflammatione gingivarum, tum in doloribus capitis ac podagricis, pulcherrimos effectus præstant sanguifugæ, si locis dolentibus retro aures, vel gingivis & temporibus, admoveantur.

Refert *Cl. GISLER* (*) virum quinquagenarium doloribus podagricis adfectum, obsidente simul femur tumore lymphatico, inducias sibi semper procurasse per semiannum, adplicatis calci sanguifugis. Narrat præ-

(*) p. 643.

(**) p. 681.

(***) Observat. & curat. med.

(****) Nosologia methodica.

(*****) Abhandl. der k. Schwedischen Akademie der Wissenschaften, B. 22.

præterea casum alterius viri, quadragenarii, cui post febrim chronicam dolor magnus in pede remanserat, admotis hirudinibus quinque ad annum integrum fugatus; incassum antea adhibitis balneis, aquis medicatis, decoctis & fulmine ipso electrico. — Alteri podagrico cutis pedum sub paroxysmis plurimum extenuabatur, simulque nascebantur bullæ lymphaticæ ardentes. Adplicabat digitis ac malleolis hirudines, atque hac methodo per sex menses semper doloribus reddebatur liber. In cephalalgii celebrantur a ZACUTO LUSITANO ac FORESTO, uti & in doloribus ischiaticis, si musculis psoas adfigantur, tum quoque in ehiragra & podagra; corpus tamen antea probe purgatum sit, & si in podagricis obstructæ sint hæmorrhoides, hirudines non admoveantur loco dolenti, sed potius ano. In odontalgii a PARÆO ex propria laudantur experientia.

9) In exanthematibus scabiosis corporis & capitis. Discimus ex *Cl. GISLER* boreales in omnibus adfectionibus, a sanguine corrupto, acri, enatis cum successu uti hisce animalibus; inprimis autem in scorbuto hujusque sequellis, in erysipelate, arthritide & omnibus vulneribus insanabilibus, antiquis, carie, malis etiam venereis; in quibus tamen casibus ad minimum admovendæ erunt hirudines triginta, nec in nimia vicinia cutis tenuioris vulneris officium ambientis.

In scabie & exanthematibus adplicentur, ubi artus maxime cernuntur obsessi. In scabie sicca, ægerrime, inprimis in manibus, sananda, optime agunt. Ulcera in hac specie nonnunquam extremitates ac apices unguium & digitorum occupant, atque sic dictam reduviam unguium producant. Vero videtur simile, sanguisugas ideo inprimis egregios adeo effe-

ctus producere, quod sanguinem acrem extremitatum, ubi venæ cum arteriis confluunt, inmediate educant, quem quidem effectum venæsectionum & purgantium internorum ope non ex facili adeo consequimur. In exulcerationibus capitis RHAZES illis sæpissime usus fuit (*) ac in maculis & pustulis faciei incurabilibus ZACUTUS LUSITANUS (**) decem hirudines quater fronti & cuti capillatæ bono cum effectu admovit. In universum notandum est, longam docuisse experientiam, in casibus, ubi sanguis corruptus & acrimoniis infectus est, paucas hirudines plus nocuisse, ac in magna satis copia iis utendum esse, si usui esse cupias: sanguis enim acrimoniösus, nisi subficienter educatur, versus locum, ubi irritatio facta fuerit, adigitur, atque dolores cum inflammatione auget.

IO) In doloribus ac inflammationibus oculorum jam ab HOLLERIO & FORESTO extolluntur. *Cel.* PRINGLE iussit, ut in morbis oculorum gravibus epidemicis cantho oculorum externo adfigantur; monuit tamen simul, ut humores antea remediis evacuantibus, antipyreticis, & cantharidibus reddantur meliores. HEISTERUS (***) illas adhibuit in tumore glandulæ lacrymalis, in oculorum inflammationibus aliisque gravibus horum adfectionibus; quod & St. YVES fecit, & ego ipse præstantissimos inde nasci vidi effectus.

II) In difficili dentitione omnibusque inde promanantibus symptomatibus hirudines peculiarem

me-

(*) L. 36. Tract. 2. c. 2.

(**) Med. Hiflor. 4. obs. 3.

(***) Institut. chirurg. p. 461.

merentur commendationem; adponuntur aut retro aures, aut ad tempora. In achoribus profunt adhuc, dum omnia reliqua frustraneo eventu fuerant adhibita.

12) Maximæ efficacix sunt in hæmorrhoidibus, hasque stipantibus symptomatibus. TULPIUS inter optima illa conlocat remedia, uti & FABRICIUS *ab AQUAPENDENTE* (*); non tamen credit, arbitrarium esse, cuinam loco adplicentur. Venæ hæmorrhoidales, ait, oriuntur tum ex vena portæ, tum ex vena cava; rami prioris distribuuntur magis in partibus internis intestini recti, & sanguinem continent crassiolem, nigrum; rami posterioris proficiscuntur potius per partes externas recti, atque sanguinem recludunt limpidum, læte rubrum. Quodsi itaque obstructions hepatis, atque adfectiones lienis & melancholicas remove cupias, hirudines interne versus spinam dorsi adplicandæ. Hoc etiam respectu suadet ZACUTUS LUSITANUS, ut intestinum rectum ope cucurbitæ non scarificatæ antea protrahatur. — Dum autem curare velis febres, morbos renales, adfectiones pulmonales &c., externe magis adfigantur. Proficuas esse hirudines in inflammationibus ac subpurationibus pulmonum, si sanguinem ex hæmorrhoidibus evacuent, propriâ experienciâ testatur ZACUTUS LUSITANUS, & a Cl. UNZER (**), laudantur in tabe, ac infirmitate pectoris ob tubercula, obstructions & scirrhus pulmonum. Ad hæmorrhoidum fluxum promovendum efficacissimum præbent auxilium, atque inflammationes parvas nunc primum enascentes ab obstructione horum vasorum

Bb 2

hoc

(*) Chirurgische Schriften, Basel 1691. S. 79.

(**) Der Arzt. 4. B. S. 307. 6. B. S. 259.

hoc modo in ipso adhuc exortu subfocari poterunt. **HILDANUS** curavit virum septuagenarium, ob hæmorrhoidum obstructionem vertigine primum, dein & immobilitate, seu paralyfi, dextri lateris adfectum, sanguifugis intestino recto admotis.

In hæmoptoë a resitantibus hæmorrhoidibus laudantur a **FONTANO** (*): utilissimæ etiam sunt in induratione viscerum, & ipsæ strumæ sanguifugis fuerunt solutæ. (**). In morbis abdominalibus hypochondriacorum plurimum denuo utiles sunt, nisi sola debilitas ut causa mali lateat.

AMATUS LUSITANUS viro melancholico binis sanguifugis ano adplicatis levamen adtulit; eundem effectum vidit in viro quadragenario, ac in femina, eodem malo adfectis; contra quod omnia alia remedia incassum fuerant tentata. **Cl. SALOMON** illis usus fuit in hæmaturia maximis doloribus stipata, ab obstructis hæmorrhoidibus oriunda (***), quo quidem in casu & a **ZACUTO LUSITANO** & **AMATO LUSITANO**, & a **MERCATO** proficuæ fuerunt prehensæ. Idem **AUCTOR** pulcros effectus ab illis observavit in femina, quæ ex eadem causa laborabat vertigine, delirio, & validis adeo doloribus lumborum, ut calculi suspensionem movere potuissent; præterea in doloribus magnis ossis sacri, lumborum & femorum, post obstructum fluxum hæmorrhoidalem, in erysipelate cum acutis doloribus, & bullis lymphaticis calidis; in obpressione thoracis, & malo hy-

(*) p. 100.

(**) Auctor additament. ad brev. *Arnold. VIL-
LANOV.* l. 2. c. 4.

(***) l. c.

hypochondriaco cum appetitu deleto, vomitu, agrypnia, & retentione urinæ. *Cl. PETERSEN* (*) hirudinum ope sanavit magnum ulcus ani; & alibi legitur, (**) asthma sæpius oriri ab hæmorrhoidibus obstructis & male fluentibus, atque insultus ejus gravissimos, fluxu per hirudines denuo restituto, illico remittere, etiamsi jam adforent obstructiones in pulmonibus; homines tales jam pro conclamatis phthisicis habitos, hoc methodo restitutos per plures adhuc annos produxisse vitam.

Quodsi requisitum videatur, ut sanguinis evacuatio, remotis jam hirudinibus, aliquamdiu producatur, fella a *Cel. Archiatro ROSENSTEIN* in hunc finem excogitata & descripta, poterit adhiberi.

Etsi vero hirudines tot adferant commoda, varias tamen producere simul queunt noxas; imprimis dum nimia adhibentur copia, ut excedentes nascantur hæmorrhagiæ. Vidit *Inl. LINNÉ*, hirudinem equinam tantum sanguinis equo extraxisse, ut demum debuerit obcumbere. In hominibus quoque similia prostant exempla. Rusticus, qui nudis pedibus aquam intraverat, fato cedere debuit, quum ingens simul & semel quantitas hirudinum pedibus sese adfixerit, ac homini huic nimium eduxerit sanguinis. (***) Deglutiti etiam periculosa excitare queunt symptomata. Juvenis hac ex causa magna adeo corripiebatur hæmoptoë, ut singulis momentis mors iustare crederetur, pulsus tamen non erat mu-

Bb 3

tatus.

(*) *Abhandl. der k. Schwedischen Akademie der Wissenschaften.*

(**) *Gazette salulaire 1767.*

(***) *Gazette salulaire 1767.*

tatus. Explicationem omnem hoc respuere videbatur, donec tandem pharyngi adfixa cernebatur hirudo: exemtâ hâc illico filuit hæmoptoë (*).

*Observationes quædam ac experientiæ circa
usum hirudinum.*

Venio jam ad ea, quæ ex propria experientia didici; paucis nonnisi referam casus eos, in quibus hirudines præ omnibus reliquis remediis certum ac velox adtulerunt auxilium. Patebit ex dicendis, adductos antea Auctores nimium nullatenus dixisse, sed hirudinum utilitatem meis propriis observatis eo magis confirmari.

In *Observat. 44. 45. 46. Part. I. observatio-
num mearum chirurgicarum* nonnulla adtuli de egregiis viribus hirudinum in ophthalmiis. Sæpemunero adducti mihi fuerunt ægri, ab optimis Chirurgis antea tractati; ubi tamen magnis sæpiusque repetitis venæsectionibus inflammatio resolvi nequaquam potuerat; in eodem manserat statu, & ægris iminebat periculum, perdendi oculos. Hac rerum facie, pro ratione phænomenorum sex octove hirudines utrisque palpebris admovi, atque hac methodo inflammatio intra paucas horas longe melius resolvebatur, quam antea per sex venæsectiones, quarum quævis 6—7. uncias sanguinis eduxerat, factum non fuerat. Venæsectio solummodo evacuat vasa hæmatophora majora, in ramulos autem minores, inprimis laterales, parum valde agit, uti quotidiana constat experientia. Dum sanguis vasa ejusmodi ingressus fuit, quæ in
sta-

(*) Gazette litt. de Berlin 1767.

statu naturali sanguinem rubrum non vehunt, phlebotome damni plus quam commodi adferre debent; vasa enim hæc repetitis evacuationibus tonum suum amittunt, atque sanguis eo magis illis impingitur. Hirudines autem sanguinem ex ipso loco adfecto educunt, atque hanc ob rationem inflammationes intra paucum adeo temporis intervallum resolvunt. Si effectus non illo sequatur, bis vel ter denuo applicari poterunt, atque tum certo certius resolutio fiet inflammationis. Ante curam ipsam venæsectio una vice cum successu institui poterit, quum hujus ope non solum ipsa sanguinis massa, sed & vasorum minuatur irritabilitas, atque sanguinis in aliena vasa ingressus ulterior prohibeatur. Hac ratione plurimos in ophthalmiis gravissimis, & chemosi à cæcitate præservavi, quæ adhibita quavis altera medendi methodo, vel post subpurationem, vel prægressa cicatrice, ex integro, aut partim saltem, certò foret subsequuta.

D. D. BLOCH in suis *observatis medicis* p. 58. varias objectiones contra usum hirudinum in ophthalmia interna adtulit: nonnullæ fuerunt refutatæ in *P. I. Tomi XXII.* operis *Allgemeine deutsche Bibliothek*, p. 216. Monuisse hic solum subiciat, minime necessarium, ac superfluum esse, ut hæmorrhagia aceto aut remediis spirituosus sistatur; fluat sanguis, donec sponte cesset; id enim salutare maxime est, quum vasa semper magis evacuentur; plerumque hæmorrhagia sponte sua subflaminatur: quodsi vero fortuito arteriola quædam exigua læsa foret, fluxus sanguinis abs omni periculo per agaricum coerceri poterit.

In cephalalgis à nimio sanguinis impulsu verus enkephalon, hominibus, ob vehementiam dolorum fere rabidis, decem duodecimve hirudinibus,

temporibus adplicatis, momentaneum procuravi juvenem: quodsi dolores capitis paralyfi deberent ortum, retro aures, collo, aut loco, ubi dolor est vehementissimus, adplicandæ erunt.

Refert *Cl. SCHMUCKER* casum Nobilis viri rheumate ex refrigeratione, cum fixis adeoque acutis doloribus in dextro latere sinus frontalis adfecti, ut illico terebrationem subire voluerit: quum pulsus foret multum febrilis, simul præscripta venæsectio, una cum remediis temperantibus, ac vesicante ad nucham. Adposuit simul *Cl. SCHMUCKER* decem hirudines ad locum dolentem tetro aures, & ad regionem temporalem lateris dextri. Ad vesperam æger lætus valde exposuit, dolores, finito sanguinis stillicidio, ex integro remisisse. Pulsus etiam in rythmum rediit consuetum ac rationalem. Sequenti die dolor pristinus rediit, sed & nunc eodem numero sanguisugarum iisdem locis adplicato, evanuit denuo, nec dein amplius reversus est.

In angina inflammatoria, subflaminata jam deglutitione, & sex pluribusve venæsectionibus abs effectu ullo in usum vocatis, circa guttur, per collum, ac retro aures 16—20. sanguisugas adposuit, sæpeque vidit, vomicas colli ruptas fuisse ægrumque periculo subfocationis ereptum.

In omnibus speciebus odontalgæ, carie solum ossium excepta, optimos frequenter inde consequutus fuit effectus.

In pleuritide, in hæmoptoë periodica post obstructionem hæmorrhoidum, aut mensium, in panaritio incipiente, plures egregios ab hirudinum usu effectus observavit; atque casus quosdam, id evincentes, hic adduxit, quos compendii causa prætereo.

Inferendas autem ratus fui observationes quasdam *Cl. SCHMUCKER* circa adplicationem hirudinum in tuberibus hæmorrhoidalibus.

Dum tubera adhuc minora sunt, nucem minorem nonnisi æquantia, optime conveniunt hirudines, quum plerumque illa aperiant, & sanguinem crassum, inpaetum evacuent; quo facto sponte concidunt. Inpositâ tum externe aquâ frigidâ, aut, si tubera sedem suam in ipso intestino recto fixerint, injectis mane ac vesperi clysmatibus aquæ frigidissimæ, partes relaxatæ denuo contrahuntur, ardor sub exoneratione alvi evanescit; circulatio sanguinis in hisce partibus denuo legitima fit ratione, & recidivæ hinc impediuntur. Hunc in finem adhiberi poterit syringa stannea, vasculum circiter, quali pro chocolada utimur, aquæ capiens.

Multi, qui his adfectionibus torti consilium meum sequuti sunt, ac indies una alterave vice dictam quantitatem aquæ intestino recto injecerunt, optime nunc inde valent. Quin & multi, nunquam non alvo obstructa laborantes, quod maximam partem hypochondriacis ac hysteriis proprium est symptoma, hac quoque nunc liberati sunt, & abs omni difficultate alvum exonerare queunt.

Dum autem tubera hæmorrhoidalia in majorem jam excreverunt molem, insanum foret, si quis sanguisugis uti vellet; his tamen non obstantibus, tuberibus, pomî magnitudinem æquantibus, adplicari vidi. Chirurgus his in circumstantiis hirudinum usum præscribens sane nunquam viderit apertum talem tumorem, ac in universum nullam cognitionem structuræ illius indolis habuerit necesse est. Nam quo major evadit intumescentia, eo magis quoque augetur tunicarum diameter; vidi sane sæpius, quæ digitum minimum crassitie

æquarent. Impossibile plane hic est, ab hirudinibus crassas adeo tunicas perforari, sanguinemque inpatum evacuari: non solum nil tum juvant, sed vidi quoque tubera talia ab adplicatione hirudinum, aliisque ineptis medicationibus reddita fuisse cancrofa.

Cel. SCHMUCKER in viro nobilissimo incisione partim partim exstirpatione optime percuravit tubera talia tria magna, quorum unum pugnum complicatum æquabat, sanguine spisso nigroque turgida, & binis aliis, in ipso intestino recto delitescens, stipata. Hæmorrhagia omnis vix octo uncias æquabat; externe lintea, aqua frigida inprægnata adponebantur; interne autem aqua frigida syringæ ope injecta; vulnera ipsa tegebantur ope lintei carpti unguento de lithargyrio; intra paucos dies omnia erant ex integro sanata.

Tali operatione, ait, fistulis periculosissimis an obviam ire possumus & quum dolores acerbissimi non nisi ab expansione producantur per sanguinem congestum, illico remittunt, dum tumores fuerint aperti & labia ambientia resecta.

Suaferunt nonnulli Chirurghi deligationem, hac vero non solum excitarentur dolores gravissimi, constrictiones intestini recti, inflammationes, spasmique lethales, sed & quum funiculus indies deberet adduci, æger hisce nunc enarratis malis citius omnino occumberet, inprimis dum plures simul tumores forent deligati, quam hac methodo possent exstirpari.

Celerrimum auxilium ortum vidit in subpressione urinæ a 16 — 20 sanguisugis, perinæo adpositis; licet ægri jam per plures dies lotium emittere non potuerant, ac venæsectiones, balnea, epithemata, aliaque remedia, abs omni omnino effectu fuerant in usum vocata, post hirudinum operationem intra pau-

cas horas jam lotii profluvium recuperarunt; insequenti etiam tempore mali hoc genere liberi.

In dysuria cum tenesmo, a nimio impulsu sanguinis ad vasa hæmorrhoidalia, horumque expansione præternaturali, unde collum vesicæ spastice constringebatur, hirudines omnibus aliis remediis efficaciores denuo deprehendit.

Remedia emollientia, balnea tepida, cataplasmata, aliaque epithemata, manifesto hic nocent; vasa siquidem his eo magis relaxantur, collum vesicæ autem eo magis constringitur. Hirudines vasa immediate evacuant. Vidit *Cl. SCHMUCKER* sæpius, jam liberè fluxisse urinam, antequam adhuc recesserant omnes hirudines; redeunte subin altero die eodem symptomate repetita hirudinum applicatio, ægrique restituti ex integro.

Oritur haud raro præsentibus cæterà hæmorrhoidibus, a dilatatione vasorum vesicæ urinariæ hæmaturia, una cum difficillimis symptomatibus. In nonnullis venæsectio in brachio, præter usum temperantium remedium, illico adtulit levamen. In aliis autem malum inmutatum mansit per multos dies, doloribus stipatum maximis, etsi venæsectio quater, quin & sæpius, celebraretur, & æger strictissimas observaret diætæ leges. Quin & in multis hæmorrhoides viam ex integro per vesicam urinariam sumserunt, vasis jam subficienter relaxatis.

Vidit Auctor tres ægros, hæmorrhoidibus vesicæ, multum doloris adferentibus, adfectos. Omnes veras hæmorrhoides fluentes habuerant, nunc vero nonnisi minor stimulus loco solito percipiebatur, uti ab hæmorrhoidibus sic dictis cœcis. Primo horum ægrorum fluebant omni quarta-septimana, secundo singulis octo vel decem septimanis, tertio demum
bis

bis in anno, vere & autumnno. Venæsectionibus, remediis temperantibus frustranee tentatis, cuius demum, eo, quo hæmorrhoidum fluxus ingruebat, tempore circa orificium intestini recti hirudines *Cl.* AUCTOR admovit: ter quaterve repetita hac encheiresi hæmorrhoides antiquum denuo repetierunt locum, nullusque amplius sanguis ex urethra prodiit.

Aliud exemplum refert viri quinquagenarii, summis doloribus vexati, antequam paucas guttas lotii sanguinolenti emittere posset. Venæsectiones pariter cum omnibus aliis congruis internis externisque remediis incassum vocatæ fuerant in auxilium: præfente *Cl. SCHMUCKER* cum reliquis Medentibus consilium capturo, æger in apoplexiam incidit ferofam. Hanc ob rationem exhibita emetica; elapsis aliquot horis æger ad se rediit, urinæ tamen profluvium dolorificum in eodem statu mansit. Suasit NOSTER, ut hirudines applicarentur; applicatæ illico viginti perinæo & circa orificium recti. Vix operationem suam inceperant animantia, tranquillius magis æger, dysuria sanguinea siluit. Elapsis tribus quadrantibus horæ, adfixis adhucdum hirudinibus, magnum replevit urinale lotio sanguinolentó, admistis magnis grumis sanguinis coagulati, plurimâ cum enphoriâ: brevi prodiit similis copia, grumis denuo intermistis: tum vero libere & abs dolore fluxit. Quarto die idem rediit symptomata; admotis denuo sanguisugis malum abs ulla recidiva eyanuit. Tribus elapsis mensibus hydrope cerebri interiit vir hic veneratione dignus. Sectio anatomica exhibuit sat magnam copiam laticis aquosi in ventriculis ac inter membranas enkephali.

Hæc ex *Cel. SCHMUCKER.*

SETACEA ET FONTICULI.



§. 1239.

SETACEA & FONTICULI dolore leniori stimulant, genus nervosum concutiunt, serum evacuant, nimis repletioni exitum dant; etiam hæc Chemicis in scholas galenicis relegarunt, & ex bona Medicina proscribere, veluti inutiles cloacas, quia natura subficientes cloacas naturales fecisset.

SETACEUM fit acu cum multiplicato admodum filo transacta per cutim, inter digitos primum duplicatam & compressam. Filum illud multiplex manet in vulnere, ut irritatio fiat continua, & exstillet semper inde aliquis humor.

FONTICULUS fit, dum incisæ cuti inponitur globulus, sed maxime pisum, quod quotidie inbibit lympham, & turgescens dilatat vulnus. Emplastro superposito & fascia circumdata manet pisum in foramine suo tranquillum. (*)

Duo hæc ponuntur in locis, quæ maxime obportuna videntur ad malum debellandum. Iniquos admo-

(*) Monendi sunt Chirurghi, vel homines ipsi, qui fonticulum habent, ut quotidie contrario modo deligent; hodie a dextris, cras a sinistris; alias locum mutat incredibiliter. *De H.*

modum multi hodie dum Medici se gerunt in fetaces ac fonticulos & rident hæc. Rideremus cum illis, nisi egregii inde nati effectus nos cogerent, aliter concludere.

RUYSCIUS *Observat. anat. No. 40.*, sequentem casum refert. „Filia cujusdam mercatoris amstelædamensis, octodecim annos nata, temperamenti sanguinei, diu laboraverat capitis dolore assiduo & intolerabili. Varia à *Magistro* PETRO, ADRIANI filio, ad arcendum malum adhibita sunt remedia: ut sunt purgantia, kephalica, alterantia, venæsectiones, tam in pede, quam in aliis partibus, vesicatoria, sternutatoria, cucurbitulæ &c. Tandem quoque propositam admisit crucialem incisionem in brègmate, quam notabilis sequebatur hæmorrhagia, sine ulla tamen euphoria. Consultationes diversas instituimus cum celeberrimo Practico *Matth. SLADO.* Tandem nullis remediis proficientibus, animus nobis erat, cranium terebra perforare. Antequam vero hæc extrema institueretur operatio, fetaceum in nucha proposui: cui remedio dicti viri celeberrimi calculum adposuerunt. Remedio hoc celebrato, statim evanere dolores, &, quod notatu dignum est, post aliquod tempus ægra, hujus remedii pertæsa, extraxit fetaceum. Quo factò illico recrudit malum, ita ut coacta fuerit, ad novi fetacei usum confugere: quo instituto extemplo rursus cessarunt dolores ægram vexantes: tum igitur prudentior facta gestavit hoc fetaceum renovatum, donec sua sponte natura illud expelleret. Quid sit? Tertia vice fetaceo abdicato recidivam patiebatur, & coacti denuo eandem encheiresin iterari jussimus; qua sic repetita, iterum liberata fuit ab hoc malo, & posthac pancreatice vivere cœpit, quemadmodum in hunc usque diem incolumis degit.“

Nobilis vir in Belgio ob convulsiones externarum internarumque partium ex dorso & lumbis oriundas omnem artis opem frustra expertus, tandem in re desperata, *Cl. ALBINO* suadente, fistulam unam in dorso, alteram in lumbis, ponendam curat, fuit deinceps liber ab omni malo.

Curas impossibiles vidi his remediis fieri: in asthmatibus ad omnia rebellibus, in lippitudinibus annosis, in rheumatismis inveteratissimis. Fateor Vobis, in desperatis rebus me ad hæc auxilia sæpe recurrisse, & sæpius bonos, quam nullos, inde tulisse effectus.

Setacea in inveteratis kephalæis & ophthalmiis ponuntur in nucha. Fonticuli ponuntur in brachio inter deltoïdem & bicipitem; in crure inter sartoriï tendinem & gastrocnemios; ut eò plus lymphæ motu horum musculorum derivetur versus aperturam. Lapsu temporis pisum inæqualiter ligatura pressum ad latera, vel sursum deorsumve viam aliam adfectat per panniculum adiposum; unde attendendum, ut ligatura fiat perpendiculariter & æqualiter premens in pisum. Ultimis temporibus meæ praxeos in Belgio duos notabiles casus vidi. Feminam sexagenariam, delicatissimam in genere nervoso a multis retro annis insanabilis rheumatismus adfecerat, qui jam per 2. 3. annos vel kephalæam faceret intolerabilem, vel dysenterias non levantes. Cum omnibus his malis adversus temperamentum hystericum continuo agendum erat. Quum omnia artis auxilia & ante me, & per me, essent adhibita citra effectum, fonticulum in interno femore ponendum curavi. Est mulier hæc adeo mutata, ut nemo citra admirationem videre possit, remediis ullis ultra non indigens.

Jurisconsultus nunc (dum hæc scriberentur) fere septuagenarius, homo tercentarum librarum, à decem

retro annis ulceribus kakoëticis & magnis & multis in crure laboravit; contra quæ omne genus remediorum internorum ac externorum a peritis Medicis & Chirurgis ante me, & dein per me, fuere adhibita, sed rebus semper in pejus ruentibus. In summa rerum desperatione proposui fonticulum sub genu in crure interno. Ex eo tempore brevi sanantur omnia ulcera, & crus jam à triennio perfecte sanum est, & Jurisconsultus ipse sanissimus. Octennio ad minimum (HAENIUS observationi huic subjunxit) postea mortuus est.

Res admiratione digna! exstillat guttatim lymphæ pauca, ichorosa sæpe, per parvum foramen, & sanescunt ulcera tria, quatuor, maxima, totum crus perambulans, & depascentia. Quis hæc à priori explicet? tamen sic est. Machina naturæ in multis nobis paradoxa. Tamen ipse ille Jurisconsultus bis, ter fuit in summo vitæ discrimine, dum ulcera ficescebant, ante inpositum fonticulum.

Homines in praxi novi plures, qui, ulcera antiqua gerentes, sani degunt: dum vel sponte, vel arte, clauduntur, ægrotant, moriuntur.

Hinc PROSP. ALPINUS *de Med. method.* l. II. c. 5. varios lethales tales casus enarrans suadet, ut mox cauterio talia ulcera sanata renoventur.

Ex prioribus exemplis in ulceribus antiquis si non amplius viderentur aperta manere velle, vel si subito clauderentur, posset tentari, an in parte eadem fonticulus positus non interciperet cursum materiæ, ita ut membra inpune sana manere possent.

PROSPER ALPINUS *de Medic. Ægypt.* l. 3. c. 12. „Dominicus à REGE (Medicus christianus in Ægypto) quadraginta annorum Cayri multis annis ab asthma difficillimo vexatus, a nullo ex innumeris

ris ab ipso expertis auxiliis juvatus, demum ad pectoris uestionem, Ægyptiorum more præstandam, ad ultimam salutis spem, quasi totus consumptus ac fere tabidus, sibi pectus triplici inustione inusserit, ulceraque diu aperta servavit: quo auxilio sanatus est.

Plura exempla, idem demonstrantia, habentur apud HILDANUM, *Cent. 4. No. 74. 75.*, & plura simul collecta *No. 86.*

§. 1240. *Unde & liquet, ubi & quando indicentur; ut jam fuse explicui.*

STIMULANTIA, VESICANTIA.



§. 1241.

Stimulantia, dolorem, calorem, rubedinem, creantia medicamenta; &c. Sequuntur remedia haud absimilia plane à præcedentibus, quia quoque in levamen morbi partes nonnullas reddimus ægras, vel vulneratas.

Habentur hac in classe plura gradu tantum differentia; ita tamen, ut a primo ad ultimum, calorem, ruborem, motum, stimulum in determinato loco excitent, & a se invicem modo differant secundum majus & minus, ut in scholis loquuntur.

Omnia stimulo constant: stimulus hic adplicatur locis illis ad nervos, fibras, vasa. Stimuli plurimi

subtiles adplicati venis bibulis absorbentur, ducunturque in massam sanguinis. In sanguine motum excitant inter humorum particulas, & agitantes simul vasa efficiunt quoque fluida inter solidaque majorem motum.

Hinc in corpore repleto adplicata possunt valde nocere, dum repleta omnia vasa, aucto motu demum obstructions & inflammationes creant. Si enim in corpore repleto stimulus acer, variolosus, morbillofus, scarlatinus excipiatur, tunc in validas febres terminatur, aucta solidorum oscillatione in fluida, fluidorum in solida impulsu.

Ergo evacuantia generalia semper præcedant oportet. Si adsit febris continua, putrida, ardens, phrenitis, angina &c. demenda prius est copia humorum, ut evacuatis vasis susceptus stimulus minus noceat: 1) quia jam continuo diluentia & solventia in sanguinem intrant; 2) quia per depleta vasa nunc tota massa facilius movetur.

Incerti sæpe eventus tamen sunt: si enim humores mucosi facile dividi queant, possunt eosdem adtenuare, movere & in fluidum vertere; ita ut illi sic mobiles redditi jam tranquille circumeant per corpus. Hic intelligitis, quomodo possint nocere in apoplexia mucosa, & quomodo prodesse.

Humores inflammatorie densi, si nulla arte solvi queant, agitante stimulo in iisdem, motuque inde aucto adiguntur in loca minime pervia, & lethales obstructions, aut etiam subpurationes, gangrænasque producant.

Si vero solubiles sint utcunque, stimulus susceptus intra sanguinem adtenuare eosdem potest, & reddere permeabiles.

Hinc capitis, cur v. g. in pleuritide latum vesicans adplicatum lateri dolenti in desperato fere casu,

mor-

mortem acceleret. Crassus nempe & indissolubilis cruor magis magisque inpingitur in obstructa loca & destruit eadem. Si vero sanguis ille potest solvi, egregie ex arteriis intercostalibus & pleuræ arteriis expeditur ille & solvitur inflammatio.

Idem in phrenitide, angina, verum; ut & in omnibus morbis inflammatoriis.

Hinc non adhibentur fortissimi stimuli, ubi spes est fore ut adtenuetur sanguis: sed tantum, ubi periculum morbi augetur ob spissum cruorem.

Dicetis: poterit mortem accelerare, uti mox visum. — Ita est; sed poterit etiam causam mortis auferre, sanguinem dividendo & solvendo. Ubi ergo mors certa timenda, etiam anceps auxilium licebit experiri.

Hæc nunc de actione stimulantium intra ipsos humores receptorum. Verum agunt aliquid in loco ipso, cui applicantur.

Ruborem ibidem excitant & dolorem, quia plura eorum alii corpori inviscanti inhærentia, in lata plaga perspirationem retinent; unde cutis emollitur quasi in balneo. Actria penetrant emollitam cutim, vasa, & nervos cutaneos stimulant, vasa tenerrima lædunt, solvunt, destruant; unde lymphæ ex his ruptis vasibus exstillans colligitur eo in loco, ubi vasa olim illa hæserant integra. Ita, dum fibræ vasæque tenerrima actione acrium rumpuntur, magna copia ex tot exilissimis quidem, sed multiplicibus vasculis abruptis exstillat, & elevat epidermidem.

Sed accedit hujus copię aquosæ collecta & alia causa. In omni loco, ubi stimulus alienus adest, eò non tantum, qui ibidem præsentem sunt, humores, sed alii bene multi ex quavis parte alia ruunt: ut toties jam vidimus in oculis, naribus, ventriculo, intestinis, gingivis infantum &c.

Hæc si consideremus, stimulantia omnia excitant quamdam eo versus derivationem, ergo quamdam aliis ex locis revulsionem.

Ex ininvestigabili naturæ ordine contemplabamur paullo ante a tantillo fero quotidie fluente ex fetaceo, fonticulo, multos eosdemque maximos morbos non solum levari, sed tolli integre, exiguo hoc stillicidio intercepto morbos redire eosdem.

Ergo stimulantia & vesicantia possunt hac ratione, revulsione facta, morbos ipsos minuere, auferre; perinde atque mox ex stimulo fetaceorum & fonticulorum fieri intelligebamus. Odontalgia, ischiades egregie hinc sæpe levantur. Vesicans post aures, vel ad nucham, in odontalgia, in inflammatione oculi &c., vesicans magnum latum ad ipsam coxam dolentem, vel inferius, ubi doloris sedes, maximum sæpius adfert emolumentum, levamen. Multoties sic inveteratos ischiadicis sanavi, omni octavo die applicando novum vesicans, ad tertiam, quartam vicem usque.

Hinc vesicantia & stimulantia multis in morbis profunt, ubi 1) vasa non nimis plena motum ferunt utcunque auctum; quippe sæpe concreta resolvunt. 2) Motum subflaminatum, subpressum possunt feliciter augere, ut in morbis lentis, forte & in malignis. 3) Ipsius materiæ morbi revulsionem facere possunt à loco morbofo.

Quare & nocent in pleno corpore motu nimio: tum & in humoribus nimium adtenuatis, jamque in putredinem vergentibus: magis enim adtenuando putredinem augent, efficiuntque ut de corpore effluant & homo moriatur: qua de causa intelligitur infelix eorum effectus, dum in malignis morbis humores jam dissoluti sunt & in hydropes.

Cucurbitæ scarificatæ & non scarificatæ agunt more simili: scarificatæ agunt ut epispastica, & scarificationes; 1) enim derivant humores in locum; 2) sanguinem educunt: immo extrahunt sanguinem in vacuum. Videte apud DECKERUM in *Exercitationibus practicis* miras curas inflammationis dirissimæ oculorum cum perdito visu, in coxario dolore inveteratissimo, applicatis cucurbitis ad tempora, coxam &c.

Cucurbitæ non scarificatæ agunt ut vesicantia, sed fortius & rapidius: usus in Medicina ingens in fixis doloribus, in angina inflammatoria.

Cucurbitæ, scarificationes, inuisiones, partem habent actionis vesicantium, partem non habent: non enim agunt humores movendo in loco, vasa destruendo, nervos stimulando, & ex aliis corporis locis humores eò revocando. Hinc hoc respectu minus nocent applicata in nimia humorum dissolutione, aut inspissatione; sed minus quoque prosunt in casu humorum resolubilium, in motu subpresso, in mucositate eorum subigenda: unde demum *Textus*

§ 1242. *Unde infinita sæpe, eaque exoptatissima, effecta prosunt; quorum etiam cognita necessitate indicantur; quemadmodum nunc explicui.*

§. 1243. *Revocari vulgo hæc solent in doctrina medica* 1) ad DROPACES &c.; applicata hæc 1) rube faciunt locum, sanguinem hic retinendo in vasis, retenta ad dropaces perspiratione emollitis: 2) quia multis in locis tenaciter adhærent corpori; si tunc vi avellitur emplastrum hoc, cutis trahitur valide, vasaque omnia ipsaque epidermis hinc inde solvitur: 3) quia adfluxus magnus humorum huc adlicitur ratione stimuli. Quare, si neque avulsa epidermis est, pars tumet.

Muliercularum, Barbitonforum, Agyrtarum mos est, promittere, ut integre curent achores & favos infantum, sine repercussione introrsum versus. Ex pice, resina &c. dropacem parant & capiti toti per aliquot dies adplicatum hoc relinquunt: tum totum vi avellunt, & sæpe crines ipsos fere totos cum radicibus. Si stillicidium humorum adfluentium unguentis suis tunc non repellerent, subin curarent integre; verum pice, plumbo, aliisque retropellunt materiem & vel majora interna mala excitant, vel bonitate naturæ achores redeunt.

2) *Ad SINAPISMOS lenes, PHÆNIGMOS dictos &c.*; conveniunt in plerisque acutis morbis, in quibus animus est, stimulo in aliquo loco excitato ex alio loco revellere & in hunc derivare. Utrisque pedum plantis, sive pedibus totis, immo & poplitibus, quandoque integris cruribus, hæc adplicantur. Si podagra ruens ad pedem venire lethalem morbum in thorace, aut abdomine minetur, crura pedesque toti involuti cataplasmate his acrioribus saturo, quandoque egregie revocant ab interioribus ad pedes podagricam materiam.

In variolis futuris, si bis de die pedes & crura tota in balneo ponantur, deinde toto intermedio tempore cataplasmate acriori involvantur, variolæ paucæ superiora, agmine denso inferiora, obsident.

Sinapi, sapone lotricum & fermento panis acidiana ad part. æquales compositum cataplasma adhibui, & mihi, & aliis, in angina synanche, & illico levamen ingens habui, factis primo evacuationibus debitis.

Pisces, v. g. haleces salitos, lien, vel carnem ipsam vituli; apertas columbas crudas & calidas adplicare pedum plantis multis moris fuit. Nil habent peculiare (in halecibus tamen salitis ad stimulum salis muriatici sæpè acrem respiciendum utique simul erit) sed dum in calido tali loco brevi putrent, stimulant, rube faciunt.

Calx viva cum subficienti quantitate mellis redacta in formam cataplasmatidis, in dolore fixo rheumatico, nullis remediis cedente, ad miraculum fere curavit dolorem; dum adposita ad locum dolentem omnem materiem acrem ad cutem collegerit.

3) *Ad VESICATORIA*; quæ pro majori aut minori cantharidum pondere addito, plus aut minus operantur fere ignis instar. Si cataplasmati No. 2. ab AUCTORE descripto drachma I, $I\frac{1}{2}$ pulveris cantharidum adjungatur, eò est majoris effectus in retrogressa podagra. Datur in *Textu* varia acrium proportio, prout animus est, varie stimulandi: oportet acria illa semper esse inviscata corpori pingui, tenaci, mucilaginoso, ut adplicata loco exacte agere possint & calore ejus in actum ducantur.

Hæc in parte viva agunt, in mortua nihil. Experimenta, uti jam alias dixeram, Galli Academici ceperunt in cadaveribus, & invenerunt agere nihil, nisi continuo calida cataplasmata adponerentur desuper; tunc enim longis postea horis nonnihil egisse cantharides, prehensum est.

4) *Ad CAUSTICUM POTENTIALIALE*; quod quidem ipse ignis elementaris non sit, sed instar ignis tamen agat. Hæc adponuntur timidis hominibus, qui in abscessu aperiundo nolunt ferro tangi; ferro momento citius dolore liberi fuissent; jam caustici potentialis rudem actionem debent sustinere per multas horas, quandoque dies. Præter ea, quæ dicta in *Textu*, butyrum antimonii, ruptorium commune, aliaque chemica præparata habentur. In loco gangrænoso butyro antimonii, penicillo excepto, pingunt locum sanum in ambitu, ut progressus mali ibi sistatur: mortuum sic a vivo, urendo quasi, separatur.

5) *Ad CAUSTICUM ACTUALE dictum, ex ferro ignito*; jam olim Vobis laudavi *cap. 12. lib. 3 PROSPERI ALPINI de Medicina Ægyptiorum*: methodus & modus urendi tabulâ ibidem exprimuntur: intermiscui plura ex his, dum egi de scarificatione. Apud KAEMPFERUM in *Itinere Japonensi* tabulâ integrâ sistuntur omnes partes corporis varios ad morbos *Moxâ* inurendæ. — Curationes inauditæ & inimitabiles ferro candenti fiunt.

Videte apud RUYSCHIIUM *Obs. anat. chirurg. No. 48.* fungum & cariem palati scalpello & cauteriis feliciter exstirpatum: *No. 76.* linguam cancrösam scalpello & cauterio exstirpatam. Cancrösam in medio linguam vidi præsens cauterio exstirpatam; verum in corpore atrabiliari recrudit malum. Vidi præsens hæmorrhoides vitam cum sanguine fere profundentes, pugni magnitudine extra anum semper hærentes & scirrholas, ferro ignito integre curatas: nam, ut jam ante ex *Aph. 8 — 6.* HIPPOCRATIS monui, quæ medicamenta non sanant, ferrum sanat; quæ ferrum non sanat, ignis sanat, quæ ignis non sanat, ea insanabilia existimare oportet. “ Apud HIPPOCRATEM pari passu hæc eunt, ferrum & ignis; debent secari, aut uri: nisi usseris, vel secaveris. Usus est sæpe igne & ferro indiscriminatim: v. *Aph. 6 — 27., 7 — 44., 7 — 45.*

CURA PALLIATIVA.

§. 1244.

*M*itigando &c. Ultimum, quod sibi proponebat Therapentice, erat symptomatum mitigatione; sive iu-
mor-

morbis incurabilibus & lethalibus, quando tolerabilius malum homini conciliabat; sive in morbis curabilibus, si adessent symptomata, quæ nimis ferocia essent, quam ut sibi dimitterentur. Symptomata talia nocent morbo curabili, ita ut turbent in coctione & excretionem naturam, hincque morbum, per se curabilem, reddunt aut incurabilem, aut diuturniorem, aut pro curatione integra mutatum in alium morbum. In morbis incurabilibus dantur symptomata, quæ morbum reddunt pejorem, quæque vitam abbreviant. Hinc ubique datur ratio mitigandi.

Est tamen aliquid, in quo Medici sæpe deficiunt: vel enim ignorant, quæ ratione mitigent symptomata, vel præ inclementia negligunt. Surdos ad miserorum clamores passim invenietis multos, vel indignabundos, & objurgantes.

Mitigando symptomata semper etiam aliquid de morbo tollitur. Sit dolor pleuriticus, colicus, intolerandus. Medicus cataplasmate, enemate, potu oleoso, mucilaginoso, opio, dolorem mitigat; verum hoc ipso pleuritidem, colicam, minuit: si enim ad hæc dolor moderatior reddatur, vasa emollita per emollientia faciliorem transitum dabunt obstructi liquido.

§. 1245. *Unde omnia symptomata sanans simul, totum fere morbum sanat.* Morbus enim quasi variorum symptomatum est adgregatum quid. Si morbus habeat decem symptomata egoque unum tollo, decima parte morbus est minor; si quinque, mediam partem abstuli. In angina kyanche adest febris acuta, putrida, respirandi difficultas, & quamvis œsophagus non sit inflammatus, tamen deglutitio est impedita, quia in ultima actione deglutitionis caput asperæ arteriæ sursum contra radicem linguæ ferri debet: adest simul dolor magnus

& respiratio impedita. Quicumque nunc internis externisque remediis febrim minuit, minuit adpulsum sanguinis ad locum inflammatum. Ergo minuit aliquid de dolore, de anxietate respirationis, de difficultate deglutitionis, qui per adplicata externa, maxime per cucurbitulas siccas, materiem revellit a capite asperæ arteriæ, & derivat ad colli & juguli exteriora, mitigat symptomata omnia, mitigat ipsum morbum, quandoque integre tollit; ut præsens vidi in juvene, qui ex tali angina orthopnoeicus fere animam agebat: jubebam illico Chirurghum vocari & adplicare eum jubebam octo vel decem cucuphas (an non hic pro *cucuphis* ponere volebat HAENIUS *cucurbitulas*?) in circuitu colli & juguli: intra semihoram redivivus loquebatur, deglutiebat.

In angina subpuratoria quondam mihi os erat tam firmiter clausum, ut per quatuor dies nonnisi per diffractorum dentium aperturam tenuis jusculi quid sorbillare potuerim, idque in loco degens, ubi nullus Medicus aderat. Dum in hoc misero statu periculum cernebant Magistri mei, miserunt ad Medicum quadrihorio inde distantem: mox ille cochleam inter series dentium intrusam per vim mihi os aperuit & inter aperiendum abscessus ruptus est exivitque ore inmanis copia puris, jam foetentis. Voluit bonus ille vir symptomatibus clausi oris, adeoque debilitati inde natæ, subcurrere & ore aperto videre, quid sibi circa fauces agendum esset, & unâ hac operâ totum mihi morbum abstulit. (*)

§. 1246.

(*) In angina subfocato fere mihi [nam juvenis eram bis ter in anno anginis obnoxius] empirico consilio adponitur cataplasma ex sinapi comestibili,

§. 1246. *Primaria autem hic considerata sunt, fitis, dolor, vigilia nimia, lipothymia.*

§. 1247. *Sitis habet causas varias, singulatim hic expendendas. Sit totum corpus internum externumque aridum, ob defectum humorum, obstructionem ultimorum osculorum, exsiccationem; tunc aquosis, farinaceis, nitrosis, saponaceis, forma nutrimenti, potus, medicamenti, enematis, balnei, fotus, hæc sitis emendatur. Latius hæc sunt explicata cap. DE INDICATIONE CORRIGENTE FLUIDA.*

§. 1248. *Si non sit universalis talis siccitas, verum a determinatione materiae phlogisticae in acutis, aut mucosae phlegmaticae in chronicis, versus guttur, linguam, buccas, labia & gingivas; tunc similia ore continuo adhibita, gargarifata, deglutita, in ore continuo detenta, extrinsecus adposita, sitim levant.*

§. 1249. *Si a salibus quibuscunque actioribus fitis fiat, aquosa, acida, nitrosa, eo, quo dictum est, modo omnem absolvunt paginam. Si à muriaticis, copia aquae rem totam expedit.*

§. 1250.

sapone nigro lotricum & fermento panis acido ana partes æquales. Illico symptomata mitigabantur & intra diem morbus ablatu totus. Si inde etiam cutis inflammetur, dixit HIPPOCRATES, bonum esse in angina, si erysipelas foras fiat; quia è loco periculoso in minime periculosum materies adlicitur. *De H.*

§. 1250. Siti vero orta à materie sive inflammatorie, sive mucoſe, ſpiſſa, aqua, aquoſa ſaponacea, ſuo cuique generi adcommoda, conveniunt; ut in laudato *cap. de INDICAT. CORRIG. FLUIDA* dictum.

Quicumque adtente conſideraverit ægros noſtros in noſocomio, animadvertere potuit ſymptoma ſitis durable in illis non fuiſſe: etenim, a quo momento ad nos adducerentur, illico ſumma cura adhibita fuit, ut potus aquoſi, farinoſi, melliti, copia tanta exhiberetur, quam ebibi poſſet: unde 2. 3. menſuras, id eſt 8. 10. 12. libras, hujus potus intra nycthemeri ſpatium abliguriverunt.

§. 1251. *Dolor, ut ſymptoma, ſedatur* 1) &c. iterum idem, quod ad ſitim:

2) denuo idem, quod in ſiti:

3) iterum per eadem; oleum lini epotum hic mira facit:

4) neque hic differentia; generalibus, vel ſpecificis, obpoſitis:

5) per eadem, ut & per evacuationes & opiata:

6) ſi reſolutio non ſperanda, ſubpurationem promovendo:

7) *obtundendo* &c. hæc ſunt anodyna ſine opio fere; quibus liquor anodynus HOFFMANNI jungi poterit.

§. 1252. Symptoma præcipuum in morbis (*vigiliæ*) & ideo bene expendendum; quia primò neglectum morbos indies reddet pejores: uti enim toties viſum, ſomnus in morbis eſt ille magnus virium reſtaurator, dolorum pacator: hinc ſomnus erat bonus, ut *cauſa*, & ut *ſignum*; ut *cauſa*, quia omnia pacabat & reſiciebat; ut *ſignum*, quia notabat, non ad eſſe acrimoniam magnam, aliasve cauſas irritantes, quæ alioqui cerebrum turbent.

Sed & 2) vigiliæ maturam considerationem mereantur, quod Medici etiam methodici vigilias nimias in morbis passim opiatis sedare adnitantur; quo sæpe funestius nihil. Maniacis, phreniticis, nunquam somno sopitis, opiata exhibita eosdem passim in majores furores præcipitant, causam figendo: hinc

§. 1253. Si 1) à siccitate,

Si 2) ab acrimonia,

Si 3) a validiori motu humorum, oriantur vigiliæ; erunt hæc emendanda, uti mox dictum in siti nimia.

Si ab acri quocunque; denuo medella, ut in siti dictum.

§. 1255. *Repercutientibus simul ad superiora applicatis*: vix possum Vobis id explicare, cur lenia repercutientia plus hic, quam emollientia, præstent; subficit, practice id observatum esse. — Aceta hæc omnia bona: in nosocomio vim augetur eorum; fumimus placentam rosaceam a destillatione residuam, eamque, aceto madentem, sæpius inroratam, capiti nudo circumponimus. — Olea narcotica hic in *Textu* sequentia rarius adhibentur ob dubium effectum; nisi, ubi nil præterea juvaret.

§. 1256. *Opiatis internis* ----- *spirituum*: ut in hystericis & hypochondriacis sine materie; immo & cum materie; si nulla signa adsint materiæ hypochondriacæ motæ, signaque adsint motorum spirituum ex animi passionibus. Si vigiliæ oriantur nimix ex profundioribus meditationibus, studiisque protractis, opium nocet: demulcentia remedia, aquosa; leniter

nutrientia, spiritus restaurantia, ex classe tertia cardiacorum, & revulsio acrium a cerebro per valida epispastica & pediluvia.

Præter decoctorum emulsionumque copiosam exhibitionem, multum quoque hunc in scopum facere vidi ægrorum erectum situm frequentiore in lecto, aut sedili: sæpius postea levis blandusque somnus obrepit.

§. 1258. *Excretiones nimix &c.* Vidimus antea, quomodo nimii sudores, nimii vomitus, nimia alvus, aut urina, conpescantur.

Phthifici semper volunt purgari & accelerant mortem derivatione humorum versus alvum facta: hinc monendi sunt, ne id ultra tentent. Sed brevi ante mortem spûta cessant & alvo diffluunt: vix hic quid possumus: tamen opii grana 2. 3., drachma therebinth., vitellus ovi & unc. vj. lactis, simul mista, tepide ano injecta, & quando alvus intra sex horas copiosa redit repetita, levant utcunque.

§. 1259. *Hæmorrhagiæ magnæ raro ex vena externa fiunt: videte, ubi magnâ aperturâ venæ Chirurgus eduxit densam columnam sanguinis; solvit ligaturam, & sæpe sanguis fluere cessat; saltem, levi inposita ligatura, cessat.*

Hinc dico, magnæ hæmorrhagiæ raro ex venis externis fiunt, nisi varices adsint; venas tamen jugulares inde excipias. In varicibus autem venæ à longa die diametro auctæ & duriores redditæ, vulnere facto emittunt fere sanguinem omnem; quia pressus sanguis ex arteria hic semper viam apertam invenit. In vulneratis autem venis non varicosis vulnus illico quasi coëst; aut saltem compressis supra cuti & pannelulo adiposo, facile clauditur.

Arteria verò vulnerata, à vi cordis a tergo directe urgentis manet semper aperta, quamdiu columna sanguinis eam tenet apertam. Hinc ad animi deliquium effluit & nonnunquam ita, ut arteria vix ultra possit columnam sanguinis comprehendere; unde circulatio plane cessat.

Sedatur hæmorrhagia *ligaturâ*: dum enim venæ ligantur versus inguina & axillas, minus sanguinis potest ad cor venire; hinc minus veniet ex corde sinistro ad arterias ad extrema pergentes. Ligatura fit supra vulnus, ut ligatura venæ vulneratæ fit infra. Ex notitia anatomica noscendus est truncus major arteriarum, ut ibidem possit ligatura idonea fieri: loco cognito inponitur conprimens aliquod corpus & ligatura desuper.

Sedatur hæmorrhagia *compressû*, ut soror Principis Arausiaci vitam fratri servavit premendo jugularem. Olim narraui Vobis, quomodo industriâ Medici amici mei homo a morte servatus fuerit. Ceciderat cæmentarius de tecto & fracto brachio simul arteria brachialis læsa erat. Natabat homo mox in sanguine suo. Forte fortuna Medicus pertransiens, nihilque ad manus habens, exiit de manu sua chirothecam, quam apte convolvit, tum subligaculum à suo crure auferens, chirothecam bene convolutam ligat ad internam humeri partem, ubi truncus arteriæ est, unde pro tempore sistebatur hæmorrhagia, donec Chirurghi adessent, qui instrumentum tornatile (tourniquet) adponerent.

Dum sic truncus arteriæ interceptus est, poterit tentari, an ipsi vulneri applicata charta masticata stratum super stratum posita, ita ut stratum primum sit minimum, stratum secundum majus, tertium majus secundô &c., tumque bonâ ligaturâ sæpius circumductâ chartaceus ille conus inverfus adprimatur arteriæ. Ar-

tifices excogitare bonas machinas efficientes, ut ligatura bene premat in arteriam, vicinos locos non nimium premat.

Conbustione vasis; si non nimis magni; dum enim crispantur omnia solida; obturaculo sunt factæ escharæ. Palliativa cura est, nam eschara decidente renascitur hæmorrhagia: sed, dum eschara adest & sistit pro tempore fluxum, poterunt alia auxilia adhiberi.

Inspissatione fluidi; per spiritum therebinthinæ, alkohol vini calefactum; unde coagulato cruore thrombus innascitur; quem vidimus hic olim in cadavere in unum corpus coivisse cum arteria, ita ut crassus sacculus formatus esset. Verum sæpe thrombi exsiliunt vi, ut suberes ex clausa lagenâ, in qua fermentans liquor est, & reduplicat hæmorrhagia. Interim, dum thrombus adest, possunt alia auxilia adhiberi: juvat & vitriolum hungaricum vulnere inpositum.

Lycoperdon, crepitus lupi, mirus ille fungus, lamellatim adhibitus, absorbendo, & forsitan alia virtute, magnas sitisse hæmorrhagias deprehensus est.

F I N I S

Prælectionum pathologicarum.



ADDITAMENTA
AD
TOMUM QUINTUM
PRÆLECTIONUM PATHOLOGICARUM.



Ad sectionem de **HYGIEINE** referendam hancce diatriben *Cl. in Academia lipsiensi Procancellarii, Anat. & Chirurg. Prof. publ. Ord. &c. &c. D. Joh. Car. GEHLER de variis aërem corruptum emendandi mediis, Lipsiæ 1781. ad finem anni editam,* huc transferre debui, quum ante paucos dies primum acceperim.

Quum nuper, *Cl. GEHLER* ait, de usu aëris, à pulmonibus hausti, ad sustentandam animantium vitam differerem, aëris, quem spiramus, indolem veramque naturam, **RR.** potissimum industria ac experiētiis plenius demonstratam paullo curatius exponere adlaboravi. In quo quidem aëris scrutinio, quoniam magis ad chemicas hujus fluidi, quam ad physicas ejus qualitates esse attendendum perspexi, si quid certi de ejus in corpus animale effectibus statuere voluerimus; ad vim ejus,

qua solvere varia corporum genera solet, quamque admodum magnam esse, instituta pericula probant, præcipue esse respiciendum monui. Fit enim hac dicta virtute solvente, ut quasuis corporum, sive viventium, sive demortuorum, exhalationes aër elementaris purissimus avide in se rapiat; unde mistum exoritur fluidum, ubivis & quovis fere momento maxime diversum, quod auram atmosphæricam dudum jam nominârunt naturæ Indagatores. Nullibi enim invenitur purus, vere elementaris aër, qualem è multis corporibus nunc nostra ætate expellere, colligere & ad varios usus, *dephlogisticati aëris* nomine, impendere Physici didicerunt. Neque etiam ille purissimus aër vel ad respirandum aptissimus, vel adluens ad corpus animalium, ad sorbendam, quæ per transpirationem è poris cutaneis exit, materiam præprimis idoneus videtur. Quemadmodum enim reliqua omnia chemica menstrua, si omnino pura sunt, nullisque heterogeneis particulis inquinata, nimia vi nimisque inpetuose solvenda in iis corpora agrediuntur; sic idem & ab aëre purissimo esset metuendum.

Hinc merito mihi videtur MACQUERUS deleterium, certe noxium, effectum à tali aëre suspicari. Sapienter vero provida natura contemperavit atmosphærici aëris indolem admistis variis halitibus ac vaporibus ita, ut, licet inpurior hoc modo factus videatur aër, hominum tamen sanitati magis nunc favere & simul plantarum lætæ vegetationi optime inservire queat. Quæ enim puriori aëris parti adhærent solutæ particulae, vel viventium animalium expiratione & exhalatione, vel à putredine resolutorum corporum evaporatione, vel aliis de causis enatæ ac evolutæ, eam solent in varias species conmutare, à recentioribus Physicis diversimode adpellatas; quarum aliæ, licet nec ad respi-

spirandum, nec ad conservandum animalium corpus inpendi queant, mirum tamen in modum plantarum, quarum aptum satis nutrimentum constituunt, incremento ac vitæ conducunt: id quod ab INGENHOUSZIO multis ac certissimis argumentis & experimentis fuit satis demonstratum, quibus ostendit, puriorem aërem, seu dephlogisticatum, plantarum vegetationi admodum esse inimicum, licet animalium vitæ ac sanitati maximo opere faveat.

Sæpissime autem hæc salubris aëris temperies multis de causis valde corrumpi solet, atque animantium vitæ omnino nociva reddi; quum vel in respirationis negotio nimiam phlogisti copiam inprægnetur; vel omnis generis vaporibus, v. c. in populosis urbibus, vel in cryptis subterraneis &c. adeo inquinetur, ut, quem ab ea exspectamus, solvendi effectum nullo amplius modo, saturata jam aliis moleculis, præstare possit.

Sunt vero, quæ hoc dicto modo aëri atmosphærico admixtæ deprehenduntur particulæ, sive vere à puriori ejus parte solutæ sint, sive tantum in aura suspensæ obvolitent, diversissimæ naturæ; quod quisque facile perspiciet, quum à diversissimis corporibus vel detritæ, vel ex eorum mistione expulsæ fuerint. Quæ, si aut respirando hauriuntur, vel aliâ viâ humoribus nostris immiscentur, fieri non potest, quin animantium sanitatem mirum in modum adficiant ac destruant.

Augetur hæc atmosphæra, nos cingentis, corruptio tam per expirationem, quæ & purissimum aërem solet in fixum commutare, quam per transpirantes è nostro corpore vapores continuo, atque adeo infesta fit hominum vitæ, quemadmodum multa testantur subfocatorum in arctis carceribus detentorum exempla, ut summum inde sanitatis certe, nisi ipsius vitæ, discrimen oriri soleat. Quæ omnia abunde omnino conprobant,

quammaxime esse à Medico hanc variam aëris mistionem, non solum in sanitate hominum tuenda, sed imprimis in morborum curatione, probe disquirendam, quum haud raro hæc aëris inluyies morborum seminia & causas in se contineat, vel & morborum, jam enatorum, vim omnino augere ac intendere soleat. Neque etiam difficile est hoc nostro ævo, salubrem aëris indolem ad amissim cognoscere, inmo, quot & quibus partibus inquinatus sit, vere detegere, quum varia sint inventa instrumenta, quæ tam physicas, quam chemicas aëris atmosphærici qualitates facillimo negotio manifestent.

Dudum jam consueverunt Physici, aëris gravitatem *barometrorum*, diversum calorem *thermometrorum*, humiditatem *hygrometrorum* ope explorare. R. R. vero his nunc addiderunt aliud ingeniose excogitatum machinamentum, *eudiometrum* quod dicunt, quo salubritatis, ab intima miscella aëris pendentis, gradus optime cognoscere & indigitare valent.

Neque etiam deficiunt auxiliorum varia genera, quibus commode in hominum salutem corruptum talem, sanitati infensum, aërem corrigere ac emendare possumus. Sunt autem ista ita comparata, ut apte in duas classes dividi posse mihi videantur. Prima earum jam V. V. qui aëris modo gravitatem ac elasticitatem cognoscebant, nota, motum tantummodo stagnantis, ac immobilis auræ præstat: altera vero ipsam atmosphære variam mistionem spectat, & eam ita emendare ac commutare tentat, ut, quæ ipsi insunt, nocituræ partes, eas variis artificiis dissipet, aut certe nocivam earum indolem infringat. *Mechanicas*, seu *physicas* has prioris generis correctiones adpellare possumus; quum, quæ sunt alterius generis, *chemicæ* omnino dici mereantur.

Ipsa rerum natura sæpe excitato aëris inpetuosiori motu abortisque ventis, gravem ac nimis densam auram,

ram, quæ, quum jam saturata ab admistis particulis sit, ad respirationem vaporumque solutionem prorsus inepta est, dispellit atque dissipat. Quæ quidem naturæ conamina & arte imitari incoeperunt indefessi naturæ scrutatores, & varia ratione loca stagnante atque hinc depravato aëre repleta, ventorum artificialium ope purgare & salubria reddere adnisi fuerunt.

Igne ad aëris motum excitandum ac promovendum auramque atmosphæricam, noxiis particulis inpregnatam, propellendam jam V. V. in morbis epidemicis, præsertim ad profligandum pestis contagium, usos fuisse, testantur V. V. Medicorum scripta: quod renovandi aërem medium & R. R. interdum adhuc in usum vocant, quum ab igne caloreque expandi suâ naturâ aërem ipsa experientia abunde conprobet. Exstruuntur hunc in finem camini, fornaces, furnique, quos *anemios* adpellare solemus, quibus talis in conclavibus excitatur aëris motus continuus, ut perpetuo expellatur aër conspurcatus, novusque, purior, ignis locum occupet.

Sed & sponte sua, absque ignis auxilio, inruit aër in ea loca, ubi extenuatus variâ ratione aër hæret; potissimum si angustior sit, quæ ad hæc loca ducit, apertura, huicque altera, æque angusta, obposita fuerit. Quod præcipue fieri in metallifodinis videmus, in quibus aëris renovatio optime succedit, si ad puteum cuniculus pertingat. Si vero in profundis puteis, ad quos neque cuniculus, neque ex altero vicino puteo *fossa* sic dicta *latens* duci agique potest; aut & in cuniculis admodum longis aër stagnans, tam fossorum, quam minerarum variis exhalationibus valde inquinatus, adeoque gravis deprehendatur, ut difficulter spirare fossores queant, haud raro etiam subfocentur, eorumque candelæ ac elychnia extinguantur; tunc opus est machinis, quas *spiritalis* (*Windfänge*) nominant,

quæ tales aëris mutationes præstant, ut fossiles salubri aurâ frui, suumque laborem absque discrimine sustinere queant. Harum machinarum ope aëris motus atque circuitus fit ita, ut non solum gravis ille ac respirationi inimicus aër è subterraneis locis expellatur, sed & salubrior aura ad hæc loca penetret.

Huic scopo imprimis apta sunt, vel follium quædam genera, vel pistrinæ alatae flabellisque variæ formæ instructæ, quæ exceptum aëris flatum in longos canales deprimunt, & sic in puteum deducunt. Docuit enim experientia, simpliciorum illam, à PLINIO jam commemoratam, methodum, qua adsiduo linteorum jactu aëris motitatio efficitur, puteusque, ut ajunt, *eventilatur*, huic operi non semper subficere. — His igitur modis, excitato necessario aëris motu, omnes venenati ac pestilenciales halitus, vario pro varia sua natura nomine à Metallicolis dicti, optime dispelluntur.

Eadem fere ratione & naves & carceres, amplaque nosochiorum cubicula, in quibus vel ob nimiam hominum copiam, vel ob aëris liberioris denegatum accessum, aër inclusus maximopere depravatur, adhibitis ad hunc usum machinis, quas *Ventilatores* adpellant, commode & saluberimò consiliò repurgantur, horumque aura perpetuo renovatur.

Hæc dicta igitur aëris emendandi auxilia poterunt & in cujusvis, tam sani, quam ægroti, conclavi, formâ paullulum atque structurâ mutatâ, prodesse atque insigne tuendæ, aut restituendæ, sanitatis præsidium subpeditare.

Jam CÆLSUS aëris liberioris perflatum commendat, eumque patentibus fenestris in ea loca, in quibus commoratur, derivare suadet. Licet enim haud pauci hunc aëris perflatum insensissimum sanitatis hostem existiment, eumque cane pejus ac angue fugere soleant;

ita

ita ut, etsi maxime æstuet cœlum, fenestram aperire nullo modo audeant, nescio tamen, an ullum renovandi aërem auxilium præstantius tutiusque possit commemorari. Quamquam enim facile concedo, posse hunc aëris motum quibusdam hominibus obesse, quum exhalantes cutis poros crispare suo stimulo, atque adeo coarctare queat, ut dein ob perspirationem subpressam hæreant, stagent, & corrumpantur ea, quæ per has vias è corpore eliminari & expelli debebant, acres humorum particulæ, atque adeo rheumatismorum causa fieri soleant; poterit tamen, meâ quidem sententiâ, & hic, quem metuunt, effectus facile evitari; modo curemus, ne aër exterior vel nimis impetuose in cubiculum penetret, vel nimium incalescens, aut vere sudans, corpus aduat. Vitandum etiam cuilibet putamus talem aëris perflatum, qui per rimam angustam in cameram inruit; qui solet, ut omnes nôrunt, multò magis sensiles corporis nervos adficere ac irritare, quam si apertis fenestris & januis liberiori aëri in habitaculum accessus concedatur. Probe hinc esse distinguendum perflatum violentiorem, quem *Zugwind* nostri dicere solent, ab isto mitiori ac blando aëris perflatu (*durck freichende Luft*), qui auram corruptam, ægris infestam, expellit, purioremque ac reficientem subpeditat, qui libet, vel me non monente, perspiciet.

Quum tamen hæc a nobis recensita aërem renovandi inmutandique media vel ob ægrorum idiosyncrasiam variumque corporis habitum, vel ob vitæ consuetudinem aliasque varias causas non ubivis adhiberi commode queant; ad ipsam aëris in conclavi hærentis indolem ac naturam sæpius est respiciendum & hac rite vereque cognita ad apta corrigendi corruptam ejus missionem auxilia confugiendum.

Hæc vero chemica inquinati aëris depuratio duplici fieri modo posse videtur. Vel enim subtrahere ac eripere aëri, quas sibi junxit, peregrinas particulas tentamus, vel ipsam purioris aëris, seu *dephlogificati*, quantitatem augere adlaboramus. Utrumque artis fere solius opus videtur, licet & natura subinde eodem modo auram corrigere soleat.

Putant plerique hanc depravati aëris in ægrotantium cubiculis emendationem optime posse institui per suffimigiorum varia genera, quæ vel accensa, vel ardentibus prunis injecta, vel & fornaci calenti adfricta volatiles suas aromaticas suaveolentesque partes dissipant, gratissimisque odoribus atmosphæricam auram replent. Huic usui apta censent varia gummata, seu potius resinas, benzoën v. c., storacem, succinum, olibanum &c.; ex quibus, additis aliis thymianatum speciebus, usitatissima odora miscentur, & in varias tædarum pastillorumque formas rediguntur. Pauperibus solemne est, baccis juniperi, prunis inspersis, hanc aëris correctionem vilissimo sumtu efficere. Quæ tamen omnia ita sunt comparata, ut, licet olfactum fallere soleant, vix tamen usum exoptatum præstare posse videantur. Ut enim taceam, sæpissime hos odores, ob peculiarem nervorum indolem, quam maxime displicere pluribus, nocere sæpenumero solent, vel ob particularum volatilium aut nimiam fragrantiam, aut evolutam per ignis vim acredinem; quemadmodum fieri quotidiana docet experientia in iis tædulis vel pastillis, quibus benzoës gummi inmistum est, ex quo calore accedente expelluntur acres, salinæ indolis, flores, qui adeo plerorumque, certe phthysicorum, pulmones, præsertim tuberculis refertos, vellicant atque stimulant, ut molestissima tussis excitetur, metusque subfocacionis

haud

haud raro oriatur (*); vel & grato suo odore ad profundam & magnam inspirationem invitant, qua fit, ut major aëris, his quidem particulis odoriferis inprægnati, neutiquam vero a sua, quam contraxerat, inluvie repurgati, copia hauriatur atque in pulmones adtrahatur. Quod idem accidit & iis, qui noxam, a putridis aëri admistis vaporibus metuendam, v. c. in theatris dissectioni cadaverum destinatis, avertere cupientes, pulveres sternutatorios in nares ducunt, sicque omnino plus aëris inquinati una cum hoc suo remedio ingerunt.

Præstat his omnibus vapor aceti, vel purissimi, vel ob gratum odorem cum caryophyllorum aromaticorum, aut cinnamomi pauillo, rosarumve aqua destillata commisti. His enim vaporibus omnis alkalescens ac putrida aura, halitibus tam exspiratis, quam per ægroantium sudores e corpore eliminatis referta, optime ac tutissime corrigitur. Cavendum tamen est, ne, ut plerumque fieri solet, acetum adeo incalescat, ut empyreuma contrahat, quo displicere non solum, sed & haud raro nocere ejusmodi suffitus posset. Satius hinc erit, acetum frigidum pavimento conclavium inspergere, ut lente exhalans atmosphæricam auram corrigit, atque simul grato suo odore ægrum reficiat.

Vel & sola aqua aut circumspersa, aut alio modo in tenues halitus mutata, aëris, siccioris potissimum & calidioris, cui nimium phlogiston inhærens subducit, indolem egregie emendat; eodem modo, uti videmus in valde exaestuante cœlo a pluvia decidente ablui quasi

au-

(*) Videantur hic, quæ jam antea in HYGIENE, Tom. IV. p. 449. 450., uberius circa hæc monui, De W.

auram, calorisque materiem ex ea præcipitari. Sic qui a prunis per conclavia dissipatur aëremque admodum contaminat halitus, ab aquæ ebullientis vaporibus optime solet forberi; quemadmodum nuper a Gallis fuit adfertum experimentisque comprobatum.

Miram quoque possidet aqua calcis vivæ virtutem, communem aërem emendandi, quum subtrahat ipsi fixi aëris admistam partem, & ita puriorem ejus partem extricet; de qua re tamen alia occasione plura erunt differenda.

Qui vero acido quodam vapore v. c. accensi sulphuris halitibus conspurcatus est aër, eum commode ab adsunta inluvie repurgant salia alkalia. Hac de causa HALESIUS suadet, in locis, hac ratione inquinatis, spiritum per linteamina sale tartari inbuta ducere, adferitque, se ipsum esse expertum, hoc modo corrigi ejusmodi aërem, & a sulphureis, acidis aquosisque particulis separari. Eidem & usui aptus videtur spiritus salis ammoniaci, nuper nimis a Gallis encomiis prædicatus, & novo, inepto tamen, nomine *alkali fluor* dictus, quo refocillari, ac in vitam revocari subfocatos ab acido quodam vapore, experientia testatur. Constat præterea, accensi pulveris pyrii vapores posse conspurcata ab aëris mephitici congesta ac stagnante copia loca ita depurare, ut absque subfocationis metu ea ingredi possimus.

Possent his innumera alia addi exempla, e quibus dilucide adpareret, aërem corruptum per alius generis halitus corrigi omnino, ac salubrem reddi; nisi libelli hujus angustia juberet accedere ad ea emendandi aëris media, quæ scimus novam dephlogificati aëris copiam subgerere, quæque adeo optima & ad scopum hunc obtinendum certissima auxilia esse videntur.

Solet vero, quod primo loco recensendum est, ipsa rerum natura largam nobis purissimi aëris copiam per plantarum vegetationem subpeditare: cuilibet enim notum esse arbitror, quantopere reficiat ac recreet vita inter læte virentes plantas acta: unde dudum & ab omni ævo Poëtis fuit solemne, maximam humanæ felicitatis partem in vita campestris ponere.

Licet autem experientia plantarum diffusas exhalationes saluberrimas omnino esse docuerit, nondum tamen satis apertum ac clarum huc usque fuit, quænam sit hujus refectionis vera causa ac ratio.

Multa quidem super hoc argumentum & ab HALLESIO, & BONNETO, ut alios taceam, fuerunt disputata, nemo autem tam egregie tamque adcurate illud exposuit, quam nuper INGENHOUSZIUS, qui certissimis ac fidissimis experimentis detexit, plantas eodem fere modo ac animantia respirare, licet prorsus pulmonibus careant. Haurire eas conprobavit per folia sua ex atmosphæra eas ambiente magnam aëris communis copiam, cujus particulas, ab elementari aëre solutas in sui nutrimentum convertant, ipsum vero aërem purum, his adhærentibus particulis orbatum, ipsarum nutritioni haud idoneum, per poros in aversa foliorum facie hiantes, rursus emittant. Solummodo vero folia plantarum hoc dictum negotium perficere, celebris hic naturæ Indagator docet; quum, quos tam flores, quam fructus exhalant vapores, nocivos omnino, & animalium respirationi ac sanitati prorsus inimicos esse, ex suis, summâ curâ institutis, sæpiusque repetitis, periculis intellexerit.

Reperit præterea quoque, per diem tantummodo, & in meridiana præcipue luce ac serena tempestate hanc fieri in plantis aëris dephlogificati secretionem & exhalationem; per noctem vero, aut in umbrosis locis,

aut in nebuloso caliginosoque cœlo, ipsa folia, eodem modo ac fructus & flores corruptum ac inquinatum spirare aërem.

Clare igitur ex his patere existimo, quantopere noceat, quantumque discriminis adferre queat, usitatissimus ille, præfertim delicatulis femellis, mos, quo solent angusta sæpius cubicula graveolentibus plantarum, v. c. violarum, polyanthi, malorum citreorum floribus ornare; qui, licet fragranti suo, ac satis grato odore nervos mulcere ac reficere videantur, aëre tamen inquinato, quem spirant, conclavium curam mirum in modum conspurcant, sanitatique vere infestam reddunt. Hinc plura prostant exempla hominum a tali, variorum florum exhalationibus depravato, aëre vel profusus subfocatorum, vel certe gravissimis malis, convulsionibus v. c., aut kephalalgis, conreptorum (*).

Pote-

(*) Quorum quædam in antea adducto loco HYGIENES retuli. — Patet simul hinc, quam male sanitati suæ consulant varii homines, inprimis feminæ plebejæ, aut ex vulgari classe, dum arcas suas magnâ copiâ pyrorum, pomorum graveolentium, malorum cydoniorum, onerant, maximum inde redundaturum bonum firmiter persuasæ. Scio quidem optime, multum plerumque laborandum fore Medico, si convincere tales vellet, quantum in theoria sua a recto aberrant tramite; dum haud raro autumant, ex malo animo, aut specie, ut ita dicam, invidiæ, proponi, ut hæc omnia auferant, ac impossibile plane esse, ut mali quid ex hoc fonte nascatur. *De W.*

Poterit tamen commode aura in ægrorum cubiculis depurari ac renovari, conlocatis in iis viridescentium arborum, tiliæ, betulæ &c. frondibus; ut, qui ab iis exhalat aër dephlogisticatus novam materiem præbeat, quæ solvere ac sibi jungere possit inluviem istam a respiratione ac perspiratione ægrotantium (ac vaporibus tot remediorum, aliisque sordibus, ægrorum e corpore prodeuntibus) in aëre enatam.

Erunt tamen & hæc corrigendi aërem auxilia per noctem rursus removenda; ne, ut supra dictum est, nunc aërem nocivum exhalantia, noceant omnino, quum prodesse existimentur.

Sed & ars chemica docuit cultores suos, e variis, vel a natura productis, vel arte mutatis, corporibus magnam extricare aëris purissimi copiam, eamque vario modo in hominum utilitatem ac commodum impendere. Sic primum a **PRIESTLEYO** fuit demonstratum, posse a variis metallorum calcibus, potissimum a mercurio rubro calcinato, quem vulgo *præcipitatum per se* fatis inepte dicere in officinis solent, separari aërem vere purum, ac elementarem; in quo diutius omnino vivere ac respirare animalia queant. Postmodum a **SHEE-LIO**, **FONTANA**, aliis, modus fuit descriptus, facilis quidem, tutus tamen ac fidus, quo ex nitro per ignem fuso non solum expelli insignis copia purissimi aëris, sed & in vasis coërceri, atque sic ad varios usus converti haud difficili negotiò queat.

Conmotus his experienciis *Cel.* **ACHARD**, ut nuper relatum accepimus, ingeniose fatis fornaci suæ inponi curavit vas retortum loricatum, in quo fusum ab igne nitrum per rostrum, cujus apertura, seu ostium, in conclave hiat, hunc extricatum aërem per totam auram dissipat, atque adeo salubrem omnino ac vere sufficientem indolem continuo ipsi conciliat.

Jam & in Angliæ nosodochiis incœperunt Medici, ægris, præcipue phthificis aut asthmaticis, ita prospicere, ut semper in promptu sit ejusmodi e nitro expulsus aër, in lagenis adservatus, quem ægrotantes per canalem, lagenæ inmissum, in pulmones adtrahere, sicque nimium in pulmonibus congestum aërem fixum commode eliminare queant. Qui quidem ita conspurcatus aër si, expiratione facta, in vas, calcis aquâ repletum, inmittitur, ita ab adhærentibus sordibus rursus repurgatur, ut vere purus ac dephlogisticatus novæ nunc respirationi aptus fiat. In quem usum a FONTANA inventa, ab INGENHOUSZIO commemorata, machina optime poterit adhiberi.





Dissertationem sequentem, a *Celeb.*
 in Universitate Vindobonensi *Professo-*
re Melchiore STÖRCK, *Inlustrissimi*
Magnif. & Celeb. Domini Liberi Ba-
ronis DE STÖRCK, *S. C. R. Ap. Ma-*
jest. a Consiliis aulicis, Archiattrorum
Comitis, studii medici, atque incly-
tæ facultatis Vindobonens. Præsidis
ac Directoris perpetui &c. &c. fratre
 pie defuncto, pro Dissertatione inau-
 gurali defensam hic inserui, quum & fe-
 brim hemitritæam exactius pertractet,
 & *Celeb. DE HAEN* eam sæpius in Col-
 legiis laudârit, legendam Auditoribus
 commendârit, dignissimamque in hanc
 rem lectu esse, de febribus tritæophæis
 agens, denuo monuerit.

* * *

§. I.

Ἡμιτρίτης, ex ἡμισυς dimidius, & τριτατος
 tertianus ab ætatis posterioris Auctoribus semitertiana

vertitur: dum V. V. latini eodem, quo græci, nomine rem eandem designarunt; id quod ex antiquis Q. SERENI verbis adparet: (a)

„Mortiferum magis est, quod græcis *hemitritæum*
Vulgatur verbis, hoc nostrâ dicere linguâ

Non potuere ulli (puto) nec voluere parentes. “

Rob. KEUCHENIUS in suis ad SERENUM *commentariis* (b) nomen *semitertianæ* ut ineptum expunctum omnino voluit.

§. II. AGATHINUS, Medicus græcus, GALENO teste, vir non vulgaris, integrum librum de vocabuli *ἡμιτριτῆς* significatione conscripsit, neque mirum; fatetur enim GALENUS, quod, si velit ea, quæ de hoc nomine sunt ab Empiricis prodita, quæ postea ab ARCHIGENE &c. disceptare, tria sane volumina vix caperent. (c) Verum, ut inquit PLATO, non est habenda de nominibus cura, quibus tot, ac tantarum rerum investigatio proponitur. (d) Omissis itaque, nulli usui futuris quæstiunculis τῶν λογισθηρῶν, primo perquiram, in quot potissimum genera distinguatur febris, cui *hemitritæ* nomen datum fuit ab Auctoribus.

§. III. Primum genus *hemitritæ* plerisque est, *si tertianæ simplicis, fors & duplicis, paroxysmi protrahan-*

(a) Q. SERENUS SAMMONICUS de Medicina præcepta c. 52.

(b) P. 274.

(c) Comment. II. in lib. I. HIPPOCR. de morb. vulg.

§. 25.

(d) GALEN. de differ. febr. l. 2, c. 6.

hantur adeo, ut vel parum admodum, vel plane non, intermittant.

Nondum plane liquet, quamnam febrium speciem HIPPOCRATES *Semitertianæ* nomine consideraverit: GALENUS, siquis alius, idoneus ejus interpres, conlatis inter se, quæ divus senex variis in locis de illa prodidit, neutiquam febrem paragraphi hujus ab HIPPOCRATE *hemitritæam* dictam esse contendit, subsequente imprimis textu firmus: „Infestabant illos plerisque hæc incommoda, febres horrificæ, continuæ acutæ, omnino non intermittentes: modus erat semitertianus, uno die levius, altero gravius invadebant: ac summatim in acutiem augebantur.“ (a)

AGATHINUS, de quo §. II. *hemitritæon* in eodem genere cum tertiana manifeste locavit, atque sola accessionis vehementia ab ea differre fatetur. (b)

CELSUS pariter tertianam in duo genera distinguit, cujus alterum longe perniciosius, quod tertio quidem die revertitur, ex octo autem & quadraginta horis fere sex & triginta per accessionem occupat: interdum etiam vel minus, vel plus, neque ex toto in remissione desinit, sed tantum levius est. Id genus plerique Medici *hemitritæon* adpellant. (c) Similia & alibi habet, ubi de curatione semitertianæ agit. (d) Atque hac de causa usus fere inter Medicos obtinuit, ut hoc febrium genus *hemitritææ* CELSI nomine tractetur.

§. IV. Alterum genus fit, dum quotidiana continua cum intermittente tertiana complicatur.

E e 2

GALE-

(a) HIPPOCR. l. I. de morb. vulg. §. 22.

(b) GALEN. de differ. febr. l. 2. c. 8.

(c) L. 3. c. 3.

(d) L. 3. c. 9.

GALENUS paragraphi superioris febres follicite separandas, atque *τριταιοφύεις tertianarias* esse nuncupandas voluit, nulli alteri febrium complicatarum generi *hemitritææ* nomen concedens; ait enim: „hanc ego febri compendiosæ claræque doctrinæ gratia, uno volens appellare vocabulo, inposui ei nomen *semitemianæ*. (a)

Raro tamen admodum, his saltem in terris, accidit, ut distinctum quis hujus febris, §. 4. typum observet; qua quidem de re non pauci, an unquam talis in natura rerum existerit, dubitare fuerunt ausi. Inter alios certo *Franc. PIENS* (b) eam dari, aut peculiarem febrium speciem constituere *διαρρήδην* negavit; neque id temere forsitan ab illo prolatum existimabitur, dum antiquis jam temporibus usque eo invaluit hæc suspicio, ut eidem removendæ quotidianam experientiam testem obposuerit *GALENUS*: quod enim talis febris, qualem dixi, accidat, neque hic vel testimonium *HIPPOCRATIS*, neque alterius cujusquam oratio requiritur; quum quotidie nos ipsam videamus, potissimum Romæ; sicut enim in aliis locis alia, sic in illa civitate hoc mali genus abundat. Videtur tamen ex *Textu* §. 3. colligi posse, *HIPPOCRATEM* similem quoque febri hoc nomine intellexisse; at vero quam parum referat in hoc curiosius inquirere, paucis denuo *GALENUS* habet: „quodsi aliam quamdam febri ab *HIPPOCRATE* *semitemianam* vocatam esse putas, falli me in vocabulo ratus, rem ipsam addiscas. (c)

§. V. Tertium denique hemitritææ febris genus adesse dicitur, *quum febrim acutæ continuæ tertiana jungitur.*

Col-

(a) De morbor. tempor. c. 10.

(b) Tract. spec. de febr. c. 13.

(c) l. c.

Collegi, quantum per angustiam temporis licuit, plurimas de hemitritæa observationes; exceptis, quas GALENUS narrat de adolescente, (a) de muliercula (b) &c. paucissimos sane casus deprehendi, in quorum descriptione non manifesta quædam signa inflammationis, aut præsentis, aut olim factæ reperire fuisset. Simile quid accidisse videtur MANGETTO in *Sepulchreto anatomico* BONNETI; postquam enim diu SENNERTI verbis differuit, semitertianam concludit esse tertianam intermittentem simplicem, vel duplicem cum inflammatione alicujus visceris. (c)

Pari ferme ratione *Frid.* HOFFMANNUS (d) duplicem causam compositæ hujus febris adstruens continuam ex inflammatoria quadam stasi in mesenterio pendere contendit; quod quidem subinde verum esse ex dissectis, post semitertianam defunctorum, cadaveribus demonstrat *Adrianus* SPIGELIUS. (e) Interim tamen non semper inflammationem, multo minus inflammationem mesenterii, semper subesse, & hujus & aliorum observationibus constat. (f) Nam & tabidi, & quicumque ex aliis longis morbis ægrotant, ex hac maxime ægrotant. (g)

E e 3

§. VI.

(a) L. 2. de differ. febr. c. 7.

(b) L. 2. de cris. c. 4.

(c) Tom. 3. p. 167.

(d) Tom. 2. part. I. sect. I. cap. 5.

(e) L. I. de semitert. c. 14. 15. 16.

(f) *Theoph.* BONNET. sepulchret. anat. I. 4. sect. I.

(g) HIPPOCRAT. I. I. de morb. popul. sect. 3.

§. VI. De hac itaque febrium classe, quum diversa longe à prioribus indole terreat, quumque integram fere inflammationis historiam, pro partium varietate variam, cognitam subponat, &c. pluribus agere disputationis brevitatis non patitur; hinc & nullam amplius de ea mentionem faciam.

§. VII. Docet historia medica, semitertianas febres pro diversa epidemicæ constitutionis indole, pro diversis morbis, qui in iis eveniunt acuti, non os ventriculi solummodo, nervosas partes, ac summam media attingere, vomitus, dolores ventris, alvifluxus modo criticos, modo symptomaticos, producere; sed & veterosas cataphoras, vigilias cum delirio, diaphoreses cum syncope inferre, linguam simul valde exsiccare, animi defectiones parere, vehementer, quæ in profundo sunt, commovere, jam malignas fieri & contagiosas, atque sæpe ipsius pestis instar plurimos invadere ac trucidare. At non semper terrificis adeo phænomenis febres has incedere SENNERTUS monuit, (a) ubi AVICENNAM, qui eas in septem usque menses extendi observavit, contra SPIGELIUM defendit.

§. VIII. Præterea febris §. 4. fit ex complicatione quotidianæ continuæ & tertianæ intermittentis: simplices autem febrium formas, si quispiam exquisite dignoscere studuerit, singulas seorsim, ac solas, jam non amplius difficulter earum mistiones inveniet. (b) Certò non nisi simplicissimis cognitis intricatiora enodant Geometræ.

Hinc,

(a) L. 2. de febr. c. 21.

(b) GALEN. L. 2. de cris. c. 9.

Hinc, ut distinctior quædam hujus rei notio habeatur, simplicia simul, & quod ajunt, essentialia, simplicium febrium phænomena breviter perpendenda videntur.

§. IX. In omni feбри à causis internis orta horripilatio, pulsus velox, calor, vario febris tempore, vario gradu adsunt. (a)

§. X. Febrile frigus in tres potissimum gradus distinxerunt V.V. Græci: horum acer bissimus τὸ ψίγγος rigor, medius Φρίκη horror, mitissimus vero περιψύξις seu perfrigeratio, frigus, vertitur: CELSUS tamen pro rigore, pariter & horrore, rebus, quæ & vi & verbis differunt, horrorem rem unam, unico vocabulo, substituit, (b)

§. XI. In *hemitritæa* GALENI magna accessionis pars horroribus absimitur, altera dierum scilicet, in qua & tertiana, & quotidiana continua simul invadunt; atque ea de re, teste GALENO, (c) HIPPOCRATI in principio epidemiarum febris horrida περιεργὸς Φρικώδης nuncupatur.

§. XII. Incipit itaque, uti omnis alia febris, à causa interna orta §. IX. cum majori, vel minori frigore §. X.; cum rigore, per quem carnes ægri quasi pungi videntur, si tertianæ paroxysmus ingruat:

E e 4

al-

(a) BŒERHAAVE, Aphorism. § 563.

(b) *Guilielmi* PANTINI adnotationes in CELSUM, L. 3. c. 3.

(c) L. 2. de differ. febr. c. 8.

altero autem die densatur cutis, frigus potius, quam horror, infestat. Antecedunt plerumque oscitatio, pandiculatio, lassitudo, debilitas. Omnia hac phænomena, inæquabilem & impeditum esse spirituum motum per nervos, docent; quæ sequuntur, idem confirmant.

Etenim cor minus contrahitur, minus evacuatur, (ut ex pulsu citato quidem, debili tamen & parvo novimus,) adeoque minori copia sanguis pro fecerendis spiritibus ad encephalon defertur; quo autem minor sanguinis arteriosi copia, reliquis paribus, ad organon secretorium dato tempore applicatur, eo minor solet esse secretio. Theorematis hujus veritas ipsa hac debili cordis contractione comprobatur; quum vigor ejus a valido spirituum cerebelli influxu pendeat potissimum. Liquida ergo ad extrema tanta vi non propelluntur amplius, ut solitus in vasa & se mutuo adtritum fiat, stagnare incipiunt. Tremuli musculorum concussus, frigus atmosphæræ, arctando venas, sanguinem versus cor dextrum urgent; momentum, per resistentes pulmones movendorum contra cordis, minus valide contracti, vires augment, atque sic respirationem difficilem, anxietatem &c. efficiunt. Tum etiam haud raro adsunt nausea, vomitus, urina cruda & tenuis, sitis, &c.

§ XIII. Ex his jam sponte sequitur, primum hoc febris stadium, ob vitales functiones insigniter læsas, esse periculosissimum, atque post anhelitus, suspiria & ignaviam ægros, præcipue senes, sæpe extinguere. Quum uno abhinc anno ex epidemica constitutione ubique, & in nosocomio nostro plurimi intermittentibus, diversissimis conriperentur, octogena-rium senem secundo mox tertianæ paroxysmo obpri-
mi

mi vidi; dum consuetum alias, & in simili casu salutarem adeo corticis peruviani usum primi paroxysmi lenitas differebat. Aperto cadavere cor dextrum solito majus, fibroso, tenaci admodum, mediocris magnitudinis polypo, atque congrumato atro sanguine erat repletissimum: polypus æque ac crassus sanguis, quousque culter eos prosequi poterat, per pulmones extendebantur &c. pari fere ratione, ac HARVÆUS ex dissectione illorum, qui in principio accessionis febrilis mortui sunt, memoriæ tradidit. (a) Quæ omnia superius dicta pulchre confirmant.

§. XIV. Tandem sanguis circa cor dextrum & pulmones sic conlectus majori sensim cum facilitate per univcrsum corpus propellitur; minor hinc anxietas, pulsus & respiratio major, validior fluidarum partium in se mutuo, in vasa, & horum in fluida actio, atque inde calor, rubor, suboritur; quæ ubi per gradus augmentur, remanens ex priori stadio fitis crescit sæpe inmaniter, caput dolet, urina rubet &c. Hæc omnia etsi pro diversa epidemica constitutione, ætate, temperamento, anni tempore, mirum quantum differre consueverint, maxima tamen ex parte, quo acrior vis est frigoris in principio, hoc vehementior calor subsequitur: ratio ex dictis eruitur facile, ac rem ipsam sic se habere apud GALENUM legitur: quum tertiana prævaluerit, horridior fit febris, atque in adnotatione sibi aliquid rigoris adsociat: confestim vero & fervidior est hujuscemodi febris, magisque festinat ad summum; & aliquid bilis per vomitum, aut per alvum, aut per sudorem excernitur. (b)

(a) Exercit. anat. de motu cordis, cap. 16.

(b) L. 2. de differ. febr. c. 8.

§. XV. Intermittentium febrium decursum in tria diversa stadia divisit SYDENHAMUS eorumque primum tempus *exhorrescentiæ*, alterum *fermentationis*, vel *ebullitionis*, vel denique, ut inanis *λογομαχίας* occasionem præscindat, tempus *commotionis*, (c) ultimum *despumationis* tempus vocavit. (d)

De duobus primis temporibus §. 1214. dixi: tertio succedente materiæ febrilis jam subactæ, & quasi devictæ expulsionem, sive separationem contingere voluit; dum interim symptomata primo omnia leviora fierent, atque tandem evanescerent plane. Enimvero quamvis ex præcedente paragrapho pateat, quod exantillatum validum paroxysmum sæpe sudor subsequatur, & sic aliqua morbosæ materiæ portio è corpore eliminetur, raro tamen in ulla febrium, de quibus hic sermo est, æger ad perfectam *ἀπυρεξίαν* venit. Remittunt itaque hoc febris stadio symptomata plurima, remanente velociori cordis contractione; sudor plerumque suboritur, sed qui morbum ad integritatem non perducit; urina crassa, & post vehementiores tertii diei paroxysmos cum sedimento, quod lateritium adpellant Medici, excernitur.

§. XVI. De causis harum febrium multiplices varietate sententiæ apud Auctores inveniuntur: neque mirum id videri debet; rei enim difficultas fecit, ut proverbii loco is *Philosophus* dicatur, qui, quid *febris* sit, exposuerit. Prætermisiss igitur quum V. V. tum multorum R. R. opinionibus, paucis enarrabo, quid ex obvenientibus in his febribus phænomenis, vera
fide

(c) Observat. med. sect. I. c. 4.

(d) L. c. c. 5.

fide observatis, in re tam dubia colligi posse videatur. Lassitudo, tremor, debilior cordis contractio &c. indicio sunt, in paroxysmorum initiis jugem spirituum cerebelli & cerebri per nervos fluxum mutari, ac certa quadam ratione impediri §. 12. Idem cum liquido arterioso fieri ex frigore, pallore &c. novimus.

Causa igitur proxima februm §. 12, erit liquidi arteriosi inertia, & comes, brevi saltem subsequens, liquidi arteriosi viscositas, sive lentor; hæc nomina autem ne turbent, sciendum, quod non majorem modo particularum fluidarum mutuam adtractionem, sed quaecunque demum liberi fluxûs impedimentum designent, sive virium moventium, sive fluidorum, sive denique solidorum labe hoc eveniat. Observasse dicitur BOERHAAVE, (e) quod, adtenuatis licet omnibus humoribus, pertinax quartana in tertianam mutata, bis cortice profligata redierit semper: replebat autem corpus ægri per aliquot septimanas solventissimo guajaci decocto ita, ut intra viginti quatuor horas octo libræ vix subsisterent; dein ciebat sudorem sub craticula.

Cæterum fluidi nervei actionem hic potissimum interturbari, suadent subita accessio, corticis peruviani usus, ἀναλογία, quam paroxysmus febrilis habet cum terrore &c. Ex terrore autem & febres nasci & natas prius pelli frequentissimis observationibus constat: similes multas collegit Ambros. PARÆUS. (f)

§. XVII. Causa corpori inhærens, προηγμένη dicta, in his febribus videtur esse quædam mutatio, seu certus quidam character, in qualibet februm specie di-

(e) Vide Commentaria in aphorismos, à discipulis collecta, & edita §. 756.

(f) Introduction à la chirurgie, chap. 22-23. &c.

distinctus, subtilissimo fluido, vasis minimis, vel communi horum origini ἐγχεφάλῳ impressus; qui latens & sæpe diu jam sopitus, perverso rerum non naturalium usu, à collectis fordibus &c., excitari denuo potest. An autem similibus, ut occasionalibus causis, indigeat semper, nondum plane liquet. Videtur tamen magis esse probabile, quod dictus character, ab epidemico quodam miasmate &c. excitatus, propria sua vi paroxysmos instaurare valeat.

§. XVIII. *Καύσα προκαταρκτικὴ* in his quoque febribus solis nocet prædispositis. Sic vidi, dum diversæ ætatis homines recens advenientes haleces comedissent, uno alterove bolo deglutito, hominem cæterokin sanum valido tertianæ paroxysmo prehendi illico, aliis inpune copiam longè majorem ferentibus. Quamquam ergo corrupti humores, indigestiles cibi, frigus &c. febrem excitare valeant, distinctam tamen ab his in corpore dispositionem fieri, est necesse: exemplo res plana evadet, & evidens: pono duos ægros, unum à tertiana, alterum à quartana corticis usu restitutos; adsumto v. g. purgante patientur, quod ajunt, recidivam; prior sua tertiana, alter febre quartana laborabit denuo, manifesto argumento, diversitatem harum febrium non à causa procatarctica, sed à characterē §. 17. diverso pendere. Videtur ecquidem similis dispositio diebus etiam intercalaribus adesse, quæ ab occasionali causa commoveri potest, ut inde paroxysmi duplicentur &c. sed & hic quoque secundus paroxysmus genium primarii sequitur, adeoque febrium species non mutantur. Cæterum, ut ex HIPPOCRATE, (g)

SPI-

(g) L. I, Epidem. sect. 2.

SPIGELIO (h) &c. constat, constitutio tempeſtatis humida in hemitritæa sæpius vice occasionalis causæ fungitur.

§. XIX. Quæ hucusque dixi, pleraque ad simplicium febrium causas pertinent; sed quum eadem ferme ratio sit conpositarum, quæ est simplicium §. 8., nisi quod illæ unitis viribus validius adfligant, hæc de causis subficient.

§. XX. Nequaquam enim repugnat, similes characteres §. 17. diversos in eodem simul corpore latere diu, atque certo dein tempore, vel causa quadam occasionali singillatim in actum deduci, nullatenus mutata indole priori: sic a podagræ paroxysmis, pertinaci cordis palpitatione, spasms, epilepsia &c. liberavit quartana; quæ mala propemodum omnia, febre cessante, rediisse, fida observata docent. (*) Vidi militem
hypo-

(h) L. 2. de febr. semitert. cap. I.

(*) Subin tamen morbi hi febris ope ea ratione curantur, ut & illa cessante non amplius redeant. Notus mihi vir est, ab incunabulis malò caducò adfectus; quod ut fugaret, quæ fors nota sunt, adhibuit remedia; incassum adhibuit omnia: tandem, dum virilem jam subiret ætatem, conripitur acutissima febre, eaque ad limina ducitur imperitæ Ditis; emerſit tamen contra omnium expectationem, & quod nec ipse, nec ullus sperârat alius, ab eo tempore liber mansit a truculento morbo. Lubens quidem fateor, rarius analogam huic ob-
cur-

hypochondriacum per integros sex menses difficillimo asthma vexari, quod, omni quarto die ingruente, intermittens febris paroxysmo cedebat locum, finita febris recuperandum illico.

Morbi hi recensiti similes characteres pro causa disponente fere habent, ut ex illorum phænomenis apparere, & dum Medici in hos, licet sæpe incognitos, agunt, pulcherrimo effectu confirmari videtur.

§. XXI. Prognosis, quamquam pro febris, symptomatum, functionum læsarum, excretorum, constitutionis epidemicæ, tempestatis anni, ætatis, sexûs & temperiei varietate oppido differat: generatim apud HIPPOCRATEM legitur, „ febres quæcunque non intermittentes tertia die vehementiores fiunt, magis periculosæ. “ (i) Similia ex HIPPOCRATE, GALENO & CELSO aliis occasionibus adduxi. Omni tamen tempore *hemitritæa* CELSI alterâ minus infesta habita fuit.

§. XXII. De curatione hemitritæarum febrium parum admodum reliquerunt V. V. Auctores: in promptu causa est: quippe crediderunt, quod earum, utpote vel conpositarum, vel prolongatarum, medendi methodus non posset latere illum, qui simplicium, ex quibus istæ componuntur, febrium curationem perspectam habe-

currere instantiam, quum inveteratum malum caducum ægre curam recipere, dudum notum sit; interim tamen argumentum inde denuo desumi poterit, morbos febrî quadam curatos nonnunquam ita fuisse, ut recidiva omnis abesset. *D: W.*

(i) Aphorism. 43. sect. 4.

haberet. Verumtamen, quum post GALENUM pluri-
mi in ea opinione essent, quod tertiana a bile, quoti-
diana vero a pituita suam ducat originem, omnium-
quidem medicamentorum scopus erat, has corrigere,
evacuare &c. dubium tamen remansit semper, an medi-
camenta, quæ vel tantum bili, vel tantum pituitæ, pro
ea, quæ pariter animis illorum infidebat, opinione me-
derentur; an hæc, inquam, simul porrigenda; an,
quod præplacebat, diversis temporibus diversâ curatio
instituenda foret, atque hoc modo uno die uni, altero
alteri obcurratur.

Postquam vero recentioribus his temporibus alia
longe de humoribus, alia de medicamentis docuerunt
fida rerum experimenta, plurimæ de his disceptationes
conquieverunt sponte. Missis itaque his, breviter per-
stringam, quæ ad curationem harum febrium pertinere
videntur.

§. XXIII. Febris est illud naturæ instrumentum,
quo partes inpuræ a puris secernuntur; (k) Medicus
vero naturæ est minister, atque ejus fere tantum æmu-
lator, ut quæ ista recte vi sua, hæc ille arte moliri
soleat; tandem causa proxima §. 16. harum febrium est
lentor, & quædam viscositas arteriosi & nervosi liqui-
di: naturæ itaque hanc solvere, evacuare &c. conanti
opitulantur præprimis Medici, dum in stadio §. 12.,
frequentius tamen §. 15., utuntur diluentibus, aperien-
tibus, salinis, nitro, stibio diaphoretico non abluto,
tartaro regenerato, sale ammoniaco, prunellæ, poly-
chresto, nitro stibiato &c., quæ duo ultima præ aliis
in hemitritæ post BAGLIVIVM commendat *Frid.*

HOFF-

(k) SYDENHAM sect. I. cap. 4.

HOFFMANNUS. (1) In febribus & sicubi adhuc vis febris justo minor est, moderate aromaticis ex absinthio, centaureo minori &c.; in pituitosis utuntur salibus, ex quocunque combusto vegetante residuis; quæ, conservationis causa fumo sulphuris, ut hic fieri solet, mutata, in hoc forsan casu tutiora sunt: sic e. g. sale febrili dispensatorii &c., vel iisdem tacheniano more paratis; a quibus tamen, ut & aromaticis, si vel major febris inpetus, vel levis inflammationis metus subeat, religiose puto esse abstinendum.

Ubi putredo metuitur, præstant roob sambuci, berberum, ribesiorum, cum nitro, sale polychresto, &c.

Dum hepatis obstructi signa adsunt, decocta radicis graminis, cichorei &c. cum pauco sale polychresto & melle vim febris in solvendo juvabunt egregie.

§. XXIV. Si materia in primis viis turgeat, pro symptomatum diversitate vel vomitorium, vel purgans exhibendum est eo tempore, quo operationem integram ante novum paroxysmum absolvere, quoque turbæ, his remediis in corpore concitari solitæ, ex SYDENHAMI consilio, leni opiato sedari valeant.

§. XXV. Quod si tamen durante paroxysmo vomitus sponte oriatur, is aqua tepida, mulsa &c. promoveri commode poterit. HIPPOCRATES, qui naturæ nisus acute adeo indagare noverat, hujus in semitertiana methodi utilitatem non ex hypothese, sed vero effectuum exemplo conprobat; uxori THEOTINI in semitertiana anxietas & simul horror incipiente febre, & fitis: progrediente tempore incipiente febre calor ingens:

(1) Tom. 2. part. 1. sect. 1. cap. 5.

gens : ubi aquam mulsam bibisset , & vomuisset , & horror & anxietas sanata sunt ; mali punici succum postea accepit. (m)

§. XXVI. Vomitorium parari poterit ex ipecacuanha , purgans v. g. ex cassia , tamarindis , &c. (quæ tam pulchre in semitertianæ initiis profuisse, quotidianâ experientiâ didicit *Adrianus SPIGELIUS*), (n) ex rheo, agarico, fenna &c.

§. XXVII. In stadio §. XIV. conveniunt diluentia, demulcentia, blande aperientia, e. g. decoctum hordei, avenæ, scorzonæræ, graminis, cichorei, taraxaci &c.; nitrofa, subacida; succus citri, roob sambuci, ribesiorum &c.

§. XXVIII. In fine §. XV. si sudor prodeat, eadem quasi critico ptisana, jusculis carniùm cum succo citri &c. materies subministratur.

§. XXIX. Quum diversa sæpe symptomata §. VII. in hemitritæis urgeant, his obcurrendum est propriis quidem remediis; habita tamen semper ad primarii morbi indolem ratione: si, e. g. deprehendatur is caloris gradus, qui in feбри perfecte continua venæsectionem &c. indicaret; nisi sanguinis rarefactio, plethora, ingens capitis dolor &c. majoris periculi commoneant, cauto opus esse videtur, ne noceat.

§. XXX.

(m) L. 7. de Morb. popul. §. 47.

(n) L. 3. c. 7.

§. XXX. Cibo æger utatur, qui neque incitet febrim, & tamen longum ejus spatium sustineat. (o) Humidum in febribus prodesse victum HIPPOCRATES (p) monuit; in acutis enim febribus, quas & in semiter-tiana sæpe evenire idem testatur, plerumque dabat hordeaceam ptisanam, ejus succum, vel cremorem. (q) Alii ex avena, ex mica panis & aqua. &c. similia levis nutrimenti genera pro diversa duratione, vehementia morbi, regione, anni tempore, ægri ætate, temperie & consuetudine varia, jam majori, jam minori nutriendi vi pollentia, parca copia exhibent; eo tamen, (quod CELSUS (r) voluit) tempore, quo principia cibi a decedente potius febre, quam reliquæ ab incipiente excipiantur. Reliquarum rerum non naturalium usus sit moderatus, in flatu §. XIV. quies, calor temperatus &c.

§. XXXI. Si vero febris vel sponte sua, vel medicamentis similibus cessisset; alimentis eupeptis paullo liberius esset indulgendum; remediis interim roborantibus & potu simili firmandum corpus, atque dein aliquoties, si res exigeret, per alvum purgandum.

§. XXXII. Febris §. III. IV. quum plerumque sit autumnalis, vehemens, si neque sponte, neque dictis his remediis, rite licet usurpatis, conquiescat, sed contra provectior ægri ætas, profusi sudores, subita debilitas, aliave perniciofa symptomata, non nisi cum febris

(o) CELS. l. 3. c. 9.

(p) Aphor. 16. sect. I.

(q) De vict. rat. in acut.

(r) CELS. l. 3. c. 4.

febri auferenda, periculum minentur; cortice peruviano inducias inpetrare, vel febrim prorsus pellerere, tutum haud minus ac necessarium est.

§. XXXIII. Innoxium enim ex sua indole hoc esse remedium, facile persuadebar, postquam unicam ægram quinque circiter libras repetitis dosibus bono cum effectu adsumere vidissem. Nec requiritur, ut sensibilis quædam evacuatio felicem ejus usum sequatur semper; neque facta talis evacuatio recidivam semper, ut voluerunt, præcavet. Sic vidi ante paucas septimanas juvenem ab adsumto corticis pulvere valide purgatum, & simul a pertinaci satis febre liberatum; quæ post leviores in rebus non naturalibus errores bis denuo recruduit, sed & bis, datò vomitoriò, continuò quievit.

§. XXXIV. Bona fide ecquidem fateor, me, quem GALENUS descripsit, §. IV. hemitritæon distincte nunquam potuisse observare. Eundem tamen inter alias pertinaces febres cortici peruviano cessisse apud VRATISLAVIENSES (s) lego: similis forsân casus est, qui in *Constitutione labacensi* (t) de quodam Nobili narratur &c.

Hemitritæam CELSI vero anno potissimum superiori (1748) frequenter quidem, at raro, nisi catholicò hoc febrifugò, curatam vidi.

§. XXXV. *Fridericus HOFFMANNUS* (u) ex propriis, & præprimis ex BAGLIVII observatis, suadet,

Ff 2

ut

(s) Constitutio epidemica 1699.

(t) Anno 1712.

(u) L. c.

ut in hemitritæis cortex usquequaque omittatur: sed, ut §. V. notavi, curavit febres, quæ semper inflammationem mesenterij pro causa habuerunt: in febribus autem inflammatoriis prorsus hunc obesse (cui alias vel in maxime continuis ad intermittentium classem pertinentibus, corticem sumendum proponere religio non fuit) (x) SYDENHAMUS monuit: (y) idem experti sunt VRATISLAVIENSES &c. (z)

§. XXXVI. Quum autem majori, quam in intermittibus febribus, copia corticis in hemitritæa opus; tempus vero remissionis, quo iis tuto datur, longe brevius sit; hæc sensim minuenda, & repetitis dein dosibus tollenda penitus videtur.

§. XXXVII. Abacta sic feбри, æger abstineat cibo difficilioris digestionis, & nimio, fructibus horraïs, aurâ frigidiori, purgatione per alvum &c.

§. XXXVIII. Cæterum cognita per fidas observationes natura prædominantis epidemici, cognita temperies naturalis, vel morbosa, ægri, magnitudo symptomatum &c., singularis morbi curationem dirigere debent; e. g. si obstructionum in visceribus signa adsint, hæ solvendæ sunt antea, quam cortex peruvianus ingeratur. Si provector ætas accessionem perniciosam fore præmoneat (ni intermedio inter paroxysmo tempore induciæ saltem inpetrentur), Medicus omnia agendo nihil tandem aget, æger vehementia mali obprimetur, & quod dici solet, *μετὰ πόλεμον συμαχία*.

Ca-

(x) Epistol. respons. p. 63.

(y) L. c. pag. 66.

(z) L. c.



Capiti de ICTERO inferui præcipua circa *bilem* capta tentamina recentiora: nectenda itaque erunt, ut nonnihil perfectior succi hujus animalis historia habeatur, experimenta, quæ Cl. WEBER in libello: *Phyſikalisch-chemiſche Unterſuchung der thieriſchen Feuchtigkeiten*, Tübingen 1780. publici juris reddidit. Verſa hic ea exhibeo.

De liquido hoc, Cl. WEBER ait, plurimi ſcripſerunt, & experimenta cum eo inſtituerunt, Auctores.

Utut vero copioſa adeo ſuſcepra fuerint tentamina, non tamen ex illis demonſtrare ſufficienter hætenus licuit bilis principia conſtitutiva. Maximam quidem partem determinata ab Auctoreſibus fuerunt hæc principia; deſunt nihilofecius nonnulla; quæ, ut eruantur, omnino merentur. Repetenda ſimul erant experimenta HELMONTII, BAGLIVII, BOERHAAVII, aliorumque magnorum Medicorum & Chemicorum, cum bile inſtituta. Addidi his experimenta plura, ut ſic major principiorum in bile contentorum detegeretur numerus.

His omnibus experimentis adhibui bilem bubulam, ut nunquam non recentem, si opus foret, hunc haberem liquorem. Bilis enim citissime in putredinem tendit, atque hæc est ratio, cur multæ illæ disquisitiones cum bile humana ægerrime institui queant. Præterea nullum inde obtineremus commodum, quum animantium biles quoad principia sua non multum ab invicem differant.

Bilem in hepate ex sanguine secerni, atque per ductum peculiarem in intestinum evacuari dodecadactylon ex Physiologorum ac Anatomicorum scriptis sufficienter patere poterit.

Notes extrinsecæ, ac sine experimentorum chemicorum auxilio in bile detegendæ, sunt: quod bilis succus viscidus sit, albuminis adinstar; viscidior in animalibus ætatis provectioris, quam in junioribus, secundum *Int. HALLERUM* bilis octuplò gravius pondus sustinere valet, quam quidem aqua.

Bilis humana & animalium seniorum amarissima est, adeo ut drachma bilis integram chopinam aquæ, cui admista fuerit, nauseoso-amarissimam reddere queat: hac ratione pars una bilis misceretur cum centum circiter partibus aquæ. Quò viscidior & colore saturatior bilis fuerit, eò & amarior est; quo autem minus colorata, quo minus viscida, eo simul aquosior, hinc eo minus amara erit.

Color bilis plerumque ex flavo-viridis; aquâ diluta flava magis adparet. In morbis verò, tum animalium, tum hominum, color nunc descriptus in varios alios abit. Notatu inter alia observata dignum est, ab usu rubiæ tinctorum bilem colore donari rubro; uti *Cl. BÜCHNER* observavit.

Atque hæc, abs disquisitione chemica, circa bilem sensibus patent: attamen ne unicum quidem succi hu-

hujus mirabilis principium ex his omnibus statumari potest: aliæ adhibendæ erunt encheireses, quò intimior bilis crasis pateat, quò ejus elementa ab invicem sejungantur; sine quibus proprius illi scopus atque dotes determinari non queunt.

Hæc vero non nisi Chemiæ ope obtineri poterunt: sine qua nec Physiologo, nec Medico Practico certas statuere licebit theses.

Tentamen I. Admixta tincturæ succi inspissati heliotropii tricocci (Lætinus) bilis, ruborem non excitat; syrupum violarum reddit viridem.

Tent. 2. Ab admistis acidis bilis coagulatur in substantiam pinguem, resinofam. Ab acidis vegetabilibus coagulum enascitur debilissimum, vix non uti in coagulato lacte. Ab acidis mineralibus multò fortius adducitur, maximè autem, dum acida adhibentur mineralia concentrata. Oleum vitrioli producit massam tenacem, pinguem, resiniformem, ex bile, cum acido hoc mista secedentem; ac in igne quoque resinæ in morem sese gerentem. Connubium bilis cum acidis abs omni succedit effervescentia; nisi fors bili aquosiori infundatur oleum vitrioli concentratum; quo quidem in casu effervescentiæ species conspicitur, miscellaque incalescit: ea autem phænomena observari quoque poterunt, si oleum vitrioli infundatur aquæ communi.

Tent. 3. Bilis recens, cum calce viva mista, dimittit spiritum volatilem alkalinum, atque calx illa cum acidis denuo multum effervescit, si his injiciatur.

Tent. 4. A spiritu vini vulgari bilis recens aliquantum coagulatur. Si vero spiritus vini supra

cineres clavellatos rectificatus fuerit, in bilem nil omnino agit.

Tent. 5. Salia alkalia fixa, bili addita, illam non mutant: observatur solum tantillum spiritus volatilis alkalini liberati, uti a miscella calcis vivæ cum bile, minus tamen fortis.

Tent. 6. Spiritus salis ammoniaci, & spiritus volatilis alkalinus vulgaris in bile pariter nil mutat, &, ut salia alkalia fixa, terram nullam exturbant.

Tent. 7. Bilis olea solvit, ut cum aqua misceri possint: maculas pingues è vestibis eluit; resinas & balsama resolvit; ceram, adinstar vitelli ovorum in corpus fluidum redigit.

Tent. 8. Solutio aquosa aluminis, vitrioli viridis, ac cærulei, cum bile mista, eam vix non ex æquo coagulat, ac dum acidis mineralibus puris adjungitur.

Tent. 9. Miscuit *Cl. AUCTOR* bilem recentem cum spiritu nitri; illico sunt coagulata. Missa hæc miscella per chartam emporeticam, quæ remaneret resinofum & pingue. Quæ filtrum transierat aqua, acida adhucdum satis erat, nec ex integro diaphana. Aquam hanc acidam in vase vitreo calori leniori ad evaporandum exposuit.

Sub evaporatione secefferunt flocci, in massam resinofam sese unientes: separavit hanc ex liquido, id vero ulteriori evaporationi commisit. Siccum prorsum factum, quin enatæ crystalli nitrosæ.

Dum siccissimum totum foret liquidum, deprehendebatur paucum sal flavo-fuscum, nullis determinatæ formæ crystallis donatum, in lingua saporem genuinum nitri producens; carbonibus ardentibus

in-

inspersum detonans, quin, salis muriatici in morem, decrepitarer.

Tent. 10. Sali nunc exposito, ex unione spiritus nitri cum bile nato, adfudit solutionem salis tartari in aqua factam: adscendit illico spiritus volatilis alkalinus fortis: nares magis adhuc feriit spiritus hicce, per admistam sali huic calcem vivam extricatus.

Tent. 11. Cineribus clavellatis cum bile conjunctis, atque miscella hac destillationi exposita, pauca dosis spiritus alkalini adscendit; copiosior fortiorque obtinetur, si cinerum clavellatorumque in locum calx recipiatur viva. Residua bilis non destruitur: pingue resinofum illius parti aquæ adhuc manet unitum.

Tent. 12. Sal ammoniacum in aqua pura solutum, bilique recenti mistum, nullam produxit mutationem; nec liberati spiritus ammoniacalis quid observare datur.

Tent. 13. Saccharum Saturni, spiritus nitri ope factum, bilem recentem fortius multo coagulat, quam quod mediante aceto paratur destillato. Aqua bilis, a resinosa parte secedens, lactea est.

Tent. 14. Solutio nitrosa Lunæ ac Mercurii, tum solutio Mercurii sublimati corrosivi, bilem recentem valide adeo adstringunt, quam quidem acida mineralia.

Tent. 15. Bilis recens coagulum lactis, coagulumque sanguinis resolvit, ut cum aqua denuo misceri queant.

Tent. 16. Dum pars una aceti diluitur cum decem partibus aquæ, & miscella hæc adjungitur bili recenti, hæc tamen coagulatur; aqua innatans sapore donatur ex dulcescenti-amaro, atque tincturam

ram succi inspissati heliotropii tricocci rubro colore tingit.

Tent. 17. Solutio aquosa scoriarum reguli antimonii bili admista, nil mutat, nec enascitur coagulum.

Tent. 18. Igni inposita bilis ebullit, quin, sanguinis aut albuminis in modum, abeat in coagulum.

Tent. 19. Aqua bili per acidum vitrioli coagulata innatans, oleum nullum, aut pingue aliud quid amplius resolvit.

Tent. 20. Nec cum substantiis pinguibus ullum inire valet connubium aqua per acidum vegetabile ex bile expulsa.

Tent. 21. Si bilis recens per acetum ducatur in coagulum, aqua mediante charta emporetica separetur a parte pingui, tumque olei vitrioli quid infilletur, terra alba ruit ad vasis fundum.

Tent. 22. Admistâ paucæ quantitati bilis recentis aqua calcis, calx in crudam vertitur, atque ad fundum descendit.

Tent. 23. Addita bili recenti calce vivâ, miscella hac per chartam bibulam missa, ac liquido, quod transierat, limpido solutione aquosa cinerum clavellatorum infillatâ, nil præcipitatum, non turbatus liquor.

Tent. 24. Per destillationem bilis recens frequenti ratione in partes disjungitur.

Omnium primo prodit latex aquosus, limpidus, ab aqua communi non diversus, pauco solum odore dotatus. Ex libra una bilis bubulæ destillationis ope obtentæ uncia duodecim cum dimidia laticis, si destillatio ad siccitatem usque producat.

Liquidis expulſis, caloreque adaucto evolvitur ſpiritus volatilis alkalinus, uti ex ſanguine, nuptus oleo foetio, empyreumatico, atro, innatanti. Remanet maſſa atra, ſplendens, uti a deſtillatione ſanguinis, aliarumve ſubſtantiarum animalium. Maſſa hæc pinguis adhucdum multum retinet, ac igni expoſita, vividam alit flammam; hæc emortua, reliquum gliſcit, donec demum in cineres fatiſcat.

Terra his ex cineribus obtenta cum acidis efferveſcit, atque cum oleo vitrioli gypſum conſtituit.

Aqua, in qua maſſa reſidua cocta fuerat, ut ſalia inhærentia extraherentur, diaphana erat, ſapore ſubſaſſo prædita.

Sequentibus liquorem huncce tentaminibus *Cl.* WEBER adhibuit :

- 1) Acidis miſtus, parum efferveſcit;
- 2) Syrupum violarum reddit viridem;
- 3) Solutionem aquoſam ſucci inſpiſſati heliotropii tricocci non mutat;
- 4) Mercurium acidò muriaticò ſolutum, ſeu Mercurium ſic dictum ſublimatum corroſivum ſubfuſco colore deſicit;
- 5) Spiritu nitri ſaturatus, ac ad cryſtalliſationem deductus, cryſtallos largitur puras, nitroſas;
- 6) Terras metallaque acidis ſoluta præcipitat;
- 7) Spiritum volatilem alkalinum ex ſale ammoniaco expellit.

Leni evaporationi præterea expoſuit AUCTOR liquidum ab elixatione cinerum capitis mortui relictum, donec nasceretur in ſummitate cuticula, tum cryſtalliſationi reliquit, viſurus, an & ſal fixum medium in bile contineretur. Obtinuit etiam cryſtallos, licet pauciſſimas, quarum figura non exacte determinari poterat. Habuit ſal hoc pro ſale muriati-

tico, atque ejus quid carbonibus inſperſit ardentibus; non autem decrepitabat; Lunam tamen ac Mercurium ex acidis præcipitabat, quorum illa veram Lunam corneam, hic Saturnum corneum exhibuit.

Tum hujus ſalis, tum & illius, quò ad paullo ante expoſita ſeptem tentamina uſus fuit, nonniſi exigua quantitas aderat.

Tent. 25. Extractum bilis humidum adtrahit aëreum; aquâ multâ ſolutum, in liquidum denuo revertitur, bili analogum; non tamen adeo viſcidum, uti genuina fuerat bilis. Solvitur etiam in ſpiritu vini extractum; ſive dephlegmatus ille ſit, ſive non ſit. Ope caloris liquatur. Solvitur in liquidis alkalinis; igni expoſitum erumpit in flammas.

Tent. 26. Miſcuit AUCTOR bilem recentem bubulam cum anatica doſi aquæ fontanæ, miſcellam in cucurbita vitrea expoſuit calori leniori. Binis diebus elapſis miſtum opacum, fœtorem magnum ſpargens.

Oſtiduò elapſò ex integro bilis nunc deſcripta putrida: ex integro luci inſervia; ad fundum vaſis ſedimentum, terrâ partim, partimque pinguibus, oleoſis principiis conpoſitum. Sapor acrior, quam in bile recente; totum non adeo viſcidum quam ante putrefactionem fuerat.

Bilis putrida $\frac{1}{5}$ circiter deperdidit ponderis, quod recens habuerat, eſſi vas probe obturatum fuerit.

Bilis etiam, in retorta, cum adpoſito excipulo, caloris leniſſimi interventu putrefactioni ſubjecta, tantumdem perdidit ponderis; bilis nempe libra una, finita putrefactione drachmas duas cum granis viginti deperdidit (verbum hoc, per errorem ty-pi? denuo deſideratur) cujus quantitatis non niſi drach-

drachma semis excipulum subiit; quum vapores, calore ex bile fugati, ad latera fornicemque retortæ in liquidum coiverint, bilem in retorta contentam denuo repetentes. — Putrida bilis cum acidis nonnihil luctatur; multo tamen minus, quam urina putrida.

Coagulari etiam per acida adhucdum valet; sed & hoc coagulum debilius est eò quod in recenti producitur.

Bilis putrida, à qua spiritus volatilis per destillationem expulsus fuerat, alium tamen, eumque fortem spiritum subpeditat, si cum calce viva misceatur.

Spiritus volatilis alkalinus è bile ex integro putrida per putrefactionem eductus, cum acidis parum, aut omnino non, effervescit; etsi nares multum feriat; acido muriatico junctus exiguum etiam valde copiam salis ammoniaci producit, si ad copiam adhibitam respicias.

In destillatione bilis putrida sese recentis adinstar gerit; eà solum intecedente differentia, quod sub operationis initium prodeat spiritus alkalinus volatilis, forti odore insignis, quem excipit latex aquosus, singulari odore, moschum aliquantum referente, præditus. Aquâ expulsâ igneque aucto, expellitur spiritus rubellus, subfuscus, volatilis, cum acidis luctans, omnique dote spiritus alkalini gaudens.

Remanet demum carbo uti à destillatione bilis recentis, etsi *Cl. STRUVE* obpositum adseruerit. Carbo hic phænomena exhibet, quæ à destillatione bilis recentis residuus.

*Conseſcari a**ex tentaminibus circa bilem inſtitutis.*

Quod, per tentamen primum, tinctura succi inſpiſſati heliotropii tricocci, bili admista, non rubuerit, demonstratur, nullum in ea contineri acidum. Color tamen viridis, quem ſyrupus violarum ab admista bile indeptus fuit, haudquaquam indicat, alkali illam recludere liberum: color namque cæruleus ſyrupi junctus colori ex flavo viridi bilis, tertium conſtituit viridem, quin ſale ullo ad hæc opus ſit alkalino. Falſum hinc eſt adſertum quorundam Auctorum, bilem eſſe ſuccum partibus pinguis, oleoſis, & aquâ, ope ſalis alkalini, vinculum ſubpeditantis, conpoſitum; verbo! eam eſſe ſaponem chemicum.

Coagulatio per acida facta corporum, quæ, ſine interventu ſalium alkalinarum, pinguis aquoſiſque partibus, intime unitis, componuntur, v. g. bilis, lactis, e. ſ. p. ſat ſingularis eſt, cauſaque hujus phænomeni dilucidata hætenus nondum fuit. Si ſubſtantię hæ, mediante ſale alkalino vincirentur, ratio coagulationis facile adſignari poteſt; dicendum unice foret, in hac miſcella ſal alkalinum coire cum acido, quod majorem cum hoc colat adſinitatem, hujusque in gratiam pingues partes deſerat. Verumenimvero adſtrui hæc de bile nequeunt; in bile vinculum, non, uti in ſapone chemicò, ſal ſubpeditat alkalinum. Reperitur quidem tantilla doſis ſalis alkalini fixi, & aliquanto major alkalini volatilis, in bile; attamen facile patebit, hanc ſalium alkalinarum copiam non ſubficere ſolvendis partibus pinguis, queis bilis gaudet, copioſis, quodſi etiam ſalia alkalina deſtillationis ope ſollicite ex bile colligantur, cauſicaque reddantur, apta tamen

nata non sunt, vel decimæ solum parti solvendæ pinguium partium bilis illius, ex qua fuerunt extracta.

Præfens tamen requiritur vinciens quoddam in liquidis hisce peculiaribus saponaceis; partes enim pingues, uti constat, cum aquosis misceri nequeunt, nisi corpus adquirant, amicitiam inter utrasque promovens. Nulla autem corpora hujus speciei novimus, quam quidem salia alkalia, inprimis dum caustica fuerunt reddita, præterea liquores illos ipsos, qui ex arcto connubio partium pinguium, oleosarum (& aquosarum, quod denuo in libello frustra quæritur) exsurgunt, v. g. bilis ipsa, vitellus ovorum, sapo chemicus.

Quodnam igitur adsumendum foret corpus, quò nexus hic peculiaris partium oleosarum cum aquosis in bile perfici queat? In Dissertatione mea *de fermentatione* monstravi, ac evici, aërem fixum in vini alioque musto partes oleosas & terreas cum aquosis arcte jungere. Demonstravi, recedente aëre hoc ex corporibus, in quibus recluditur, secessum, ac deconpositionem partium fieri, pro eo, ac recessus fit aëris fixi. Videmus sic v. g., quamprimum extricatur aër fixus ex musto vini, quod sub calore leni mox succedit, illud turbidum illico fieri; recedunt nempe confestim à tota massa oleosæ ac terreae partes, quæ per aërem fixum solutæ antea in liquido sustinebantur.

In eadem diatribe præterea vero esse simile demonstravi, oleum æthereum vini cum aqua per idem hocce vinculum in spiritu vini necti.

Mediante vinculo hoc peculiari in omnibus corporibus regni vegetabilis æque ac animalis, oleosæ, terreae aquosæque partes intime mutuo junguntur. Quamprimum corpus hoc in motum deducitur, quod caloris ope fit, illico vincula, quibus ligabatur, excutit, illico etiam secessus oritur partium. Vero nil magis ac-

cedere videtur expositione hac, cujus decursus ipse nobis ante oculos versatur.

Pars aeris fixi pertinacior apprehenditur; non ex facili adeo in motum deducitur; cum oleosis terreisque partibus arctius jungitur; minori fermentatione non deconponitur; ignis, ac subinde validissimus, requiritur hunc in finem; instantiam præbent carbones animales, nonnullique vegetabiles. Omnia hæc & in bile fieri cernimus, prout ex sequentibus sensim adparebit, atque ex præmissis tentaminibus jam adparuit.

Quodsi hæc pro certo adsumantur, hypothesis adhuc adsumenda erit, ut explicetur coagulatio bilis recentis per acida: absolvitur illa sequentibus: aut ab acidis aerem fixum bilis adtrahi, aut deconponi, aut expelli; atque hinc acida id ipsum præstare puncto temporis, quod fermentatione, calore, ac igne fieri illi non valet.

Per tertium tentamen calx viva spiritum volatilem ex bile recenti liberat, atque inde simul in crudam vertitur, ut cum acidis effervescat. Causa hujus sequens est: calx viva igne aëre suo fixo privata fuit; jam vero partem illius, quæ in bile sal volatile alkalinum ligaverat, adsciscit, ac exin sal hoc liberat, simul calx viva phlogiston, ab igne sibi ereptum, ex bile recuperat, hac ratione recrudescit, atque effervescentiæ cum acidis excitandæ apta redditur.

Quod, per tentamen tertium, bilis recens per spiritum vini non rectificatum parum coaguletur, ratio est, quum huic nunquam non acidi vegetabilis quid inhæreat, oriens ex materie, unde per destillationem spiritus fuit e ductus.

Ratio, cur, per tentamen quintum, salia alkalia partem exiguam salis alkalini volatilis è recenti bile

liberarent, inde venire videtur, quod salia alkalia sat aëris fixi habeant; & pars nonnisi illa exigua eorum, quæ per calcinationem aëre hoc privata fuit, apta est, ut salis volatilil quid ex bile recenti expellat.

Ex nono tentamine manifeste patet, nullum in bile adeste sal alkali fixum; alias enim certò certius cum acido nitri coivisset, atque, præmissa debita evaporatione crystallos nitrosas dedisset; quod minime factum fuit. Quid autem ex miscella hac acidi nitrosi cum bile recenti factum sit, docet

Tentamen decimum, productum scilicet fuisse nitrum flammans; sapore quidem nitrum referens, atque inflammabile; sale vero alkalino fixo, atque calce viva deconponendum; quum nitrum flammans ex unione acidi nitrosi & sale alkalino volatili generetur.

Tentamine undecimo indicatur salis alkalini volatilil in bile præsentia; quod vero a sale alkalino fixo spiritus alkalinus nec tantâ copiâ, nec fortis adeo expellatur, quam quidem à calce viva, eadem est ratio, quæ ad tentamen quintum fuit adsignata.

Duodecimum tentamen demonstrat, in bile nullum adeste sal alkalinum fixum liberum; alias etenim certissime prodiisset spiritus alkalinus, è sale ammoniaco expulsus; uti v. c. fit, dum sal ammoniacum saponi artefacto admiscetur.

Quod, per tentamen decimum tertium, saccharum Saturni mediante bile præcipitetur, non adeo præsentia salis muriatici tribuendum; sed bilis potius per acidum sacchari Saturni, uti ab omnibus salibus metallicis, coagulatur. Idem &, in tentamine decimo quarto, de præcipitatione argenti per bilem est tenendum.

Etſi per tentamen decimum quintum, acidum vegetabile dilutum, ope admixtæ bilis, acore quidem, quantum ex ſapore conſtitit, privatum fuerit; acidum tamen illud ipſum haud deſtructum fuit; aptum adhuc eſt, ut, ceu acidum, tincturam ſucci inſpiſſati heliotropii tricocci rubefaciat.

Tentamen decimum ſeptimum denuo evincit, in bile nil acidi deprehendi.

Per tentamen vigefimum primum bilis terram calcaream recludit, cum acido vitrioli in gypſum concreſcentem.

Quod, per tentamen vigefimum ſecundum, calx viva in aqua calcis ope bilis recrudescat, atque ex aqua deorſum ruat, ratio eſt, quum, uti antea dictum, calx viva phlogiſton ex bile recipiat, quo per calcinationem fuerat privata.

Per tentamen vigefimum quartum reſcire voluit Auctor, an non liberum acidum vegetabile deprehendi poſſet in bile: quam ob cauſam calcem addidit, cujus pars quædam abs dubio ſoluta fuiſſet, ſi acidum tale in bile adforet; quæ ſoluta terra calcarea mediantibus cineribus clavellatis dejecta in conſpectum dein veniſſet; id autem haudquaquam contigit.

Deſtillatio bilis, per tentamen vigefimum quartum, nos docet:

1) in bile a deſſe aquam & oleum æthereum, quod odor aquæ bilioſæ indicat;

2) conponi bilem è ſpiritu volatili alkalino, corporibusque pinguibus, aëre fixo cum terreis & aquoſis partibus connexis. Aër fixus, æſtu ignis redditus elatiſticus, recedit, unde & oleum, & ſal volatile, à terra ſejunctum, excipulum petunt.

3) Docemur præterea, partem aëris fixi pertinaciter carboni bilis, uti carbonibus aliis inhærere, partemque pinguis cum terra jungere. Aër hicce fixus exigit ignem liberum, continuatum, ut prorsum deconponatur, fixasque unice partes, terram scilicet, cum salibus fixis, relinquat.

4) Patet inde, terram bilis esse calcaream;

5) Parum nonnisi salis alkalini fixi in bile adesse;

6) Omnibus nunc dictis principiis bilis nonnihil salis muriatici esse admistum.

Per tentamen vigesimum quintum calore, quo nonnisi aqua humidaque evaporantur, non deconponitur, aut expellitur, aër fixus; nam, si humida illa denuo admisceantur, corpus redit, bili analogum.

Circa bilem putridam, hujusque deconpositionem per destillationem, tentamen vigesimum sextum docet:

1) bilem in putredinem valde proclivem esse, & calore leni in hanc degenerare;

2) expulsâ per putrefactionem parte aëris fixi, reliquam bilem sapore acriorem fieri, ut acredine linguam adoriatur;

3) quum bilis præmissa putrefactione levior redatur, quam antea fuerat, atque decrementum hoc non ab humore evaporante dependeat; manifestum esse, bilem putridam parte aëris sui fixi fuisse privatam.

4) Quum bilis putrida cum acidis vivide non effervescat, inde patet, spiritum alkalinum causticum fuisse factum.

5) Idem evincit spiritus volatilis inde per destillationem expulsus, qui, si ex bile prorsum putrida fugetur, cum acidis non ebullit; quod peculiaris dos alkalium causticorum est.

6) Bilis putrida, mediante destillatione spiritu, per putrefactionem laxato, privata, tumque calci vivæ

admista, atque denuo destillationi subiecta, spiritum volatilem, uti ex tentamine vigesimo sexto patet, tamen adhuc largitur: sic & bilis putrida destillatione ad siccitatem usque torta, dein æstui majori commissa, præter partes oleosas, sal quoque volatile dimittit: quò evincitur, putrefactione præmissa bilis non omne vinculis liberatum fuisse sal volatile, hinc non omnem ejectionem aërem fixum.

* * *

Ex præmissis tentaminibus, indeque deductis sequentibus discimus, bilem componi principiis sequentibus:

- 1) aqua;
- 2) oleo æthereo, ac empyreumatico;
- 3) aëre fixo;
- 4) sale volatili urinoso;
- 5) exigua dosi salis alkalini fixi;
- 6) terrâ calcareâ;
- 7) paucò sale muriatico.

Utilitas bilis.

Circa utilitatem, quam bilis in œconomia animali præstet, Auctores non consenserunt. Nonnulli pro liquore eam habuerunt inutili, quin noxio, a quo morbi gravissimi possent oriri. Alii denuo nimium illam deprecârunt, atque dotes eidem adtribuerunt, quæ non instructa est, lubrico fundamento nixas.

Ex utraque parte processerunt nimium. Qui bilem pro corpore adsumserunt inutili ac noxio, sequentibus refelluntur:

- I) Si natura liquorem hunc ceu inutile, aut omnino noxium, fluidum secrevisset, exitui ejusdem intestinum

tinum potius rectum, aliudve crassorum destinasset, quam intestinum illud, in quo chylus conficitur, qui utique destrueretur, si noxius ac inutilis latex bilis foret. Una cum chylo sanguinem subiret, (uti re ipsa pars quædam eidem admiscetur), succos omnes corporis inficeret, hominemque necaret.

2) In ictero, dum bilis per ductum huic fini proprium in dodecadactylon non evacuari, & cum chymo misceri potest, videmus,

a) adpetitum esse prostratum;

b) è dyspepsia, simul tum præsentem, nasci flatulentias;

c) magnam virium prostrationem laborare ægros;

d) obstructions adesse alvi;

e) nasci demum ex infarctibus vasorum, talem, hydropem, e. f. p.;

f) observatos fuisse hydropicos, emittentes excrementa alba, cum superincumbente his oleo; quum, uti videtur, oleum hoc vinculum nullum inveniebat, quo jungeretur humidis;

g) vulnera cystidis felleæ fuisse lethalia.

Qui autem bilem ceu liquidum considerant, corpori summopere necessarium, advertant, laticem hunc omnino esse noxium, si ut *bilis* sanguini maneat immixtus; non, ut balsamicum corpus, prout HELMONTIUS volebat, sanguinem reliquosque humores a putredine tueri, sed potius eosdem secum in putredinem ducere posse, quum ipsa substantia sit, corruptioni plurimum obnoxia. Cogitent hi, bilem ex sanguine non secretam in eo degenerare in humorem noxium, atque acrimoniam suam corpori incommoda varia, morbos mortemque ipsam adferre posse.

Reor hinc, si bilis, hepatis fabrica secreta, semper mediante chylo in sanguinem reducatur, idem

esse, ac si nunquam e sanguine fuisset secreta: generabit inde certe tamen sitim, adpetitum prostratum, amaritiam oris, symptomataque febrilia; quæ phænomena omnia bili retentæ soli adtribui queunt, si admistam eam solummodo sanguini consideremus, uti in ictero contingit.

Quodsi jam quis diceret, bilem cum chymo in sanguinem non transire, sed tamdiu unice cum succo gastrico, aut concoctis alimentis, manere mistam, donec unio partium illarum oleosarum, mucilaginosarum, & aquosarum perfecta & chylus genuinus productus fuerit; quodsi præterea adsumere vellemus, solum dein chylum per vasa capillaria absorberi, & sanguini adduci, bilem autem, ceu substantiam spissiore debere remanere; dicere, quin & adfirmare, jure possemus, recedente ex miscella quadam vinculo, ipsum quoque corporum connubium denuo solvi.

Verissimum interim est, misceri bilem cum rebus oleosis, resinosis, mucilaginosi & aquosis; hasce omnes verti posse ab illa in liquidum homogeneous, in lac, imprimis dum motus peristalticus intestinorum simul quoque concurrat. Hæc etiam communis Physiologorum sententia est circa utilitatem bilis in œconomia animali.

Attamen! quot, cum aliis cibus, acida, quantum aceti, quantum vini &c. homo corpori ingerit; quibus, uti tentamina docuerunt, bilis coagulatur; tum autem apta non amplius est, corporibus pinguis cum aquosis uniendis, atque in liquidum homogeneous reducendis.

Hoc itaque in casu nullam plane bilis exfereret utilitatem, sique foret necessaria, acida summe noxia corpori humano evaderent. Si chylus constare debet lacte, ac si lac hocce bilis interventu ex pinguis &
aquo-

aquosis partibus præparandum est; cibi acidi, iive, qui fermentationem acidam mox subeunt, consumptionem corporis utique producere debebunt, si aut frequenter nimis aut nimia simul ingerantur copia.

In eo autem casu, ubi bilis coagulari nequit, dum nempe nullum illi admiscetur acidum, ubi, ceu liquor homogeneus chylo manet mista, verosimiliter, uti reor, una cum alimentis sanguinem subibit; quod vero, ob antedictam rationem fieri non debet, nec revera fit: manifeste enim cernimus, bilem, aut saltem partem illius resinofam, pinguem, cum excrementis corpore eliminari, illa tingere, in massam quasi firmam coadunare, iisdem pinguia subpeditare, ut aqua non ex facili adeo solvantur, causam demum partim esse foetoris magni, quem excrementa spargunt.

Vix etiam aliter fieri poterit, quam ut bilis coaguletur, quum omnes, quos ingerimus, cibi in aciescentiam tendant, ac reipsa in acorem abeant.

Scio quidem probe, fermentationem acidam in multis corporibus lente nonnisi, in omnibus autem non cito adeo, uti eam in corpore animali fieri adsumo, procedere; dum vero respicimus ad breve illud temporis intervallum viginti utpote quatuor horarum, intra quod cibi omnes generis, sive cocti fuerint, sive crudi, ad summum usque putrefactionis gradum deducuntur; non absurdum adeo ac impossibile videbitur, si chymum jam acidum esse adsumam, etsi acidi nulli adsumti fuerint cibi.

Pro certo adsumto, cibos in intestino duodeno jam gradum quemdam fermentationis acidæ subire, demonstrato etiam per experimenta, bilem ab acidis omnibus coagulari, jam non video, quo pacto, bilis ope, ex chymo primum generari possit lac, nisi id in ventriculo jam factum fuerit; aut, nisi chymus idoneus

saltem huic metamorphosi evaserit, ac per motum intestinorum peristalticum perfectior magis fuerit redditus.

Partes aquosæ bilis, per acida à resinosis secernendæ, unionem cum oleis inire amplius nequeunt; hinc neque pinguia ciborum cum aquosis nequere valent.

Difficilis eequidem à sententia jam adsumta fit recessus, præcipue si phænomena bilis manifesta sensibus respiciamus, quæ ceu sapo artificialis exserit. Difficilis autem pariter est ejusdem in pugnatio, uti difficilis defensio.

Hactenus Auctoribus accedere velle visus sum, qui bilem pro corpore noxio, aut saltem inutili habuerunt; attamen nimium foret hoc adfertum, ipsique repugnans experientiæ.

Sententia mea de scopo ac utilitate bilis sequens est.

Destruere quidem bilis acida nequit adinstar salium alkalium, sed ea potius mediantibus partibus suis pinguis dulcificare potest, ac mitigare; uti v. c. alcohol dulcificat, ac innoxia reddit acida corrosiva.

Discimus id ex tentamine decimo sexto, vi cujus acetum acredinem suam, sapore teste, per bilem perdit, jamque una cum aqua hujus ex dulci-amarum videtur; retinere tamen acetum partim adhuc dotes acidi, ex eo adparet, quod tincturam succi inspissati heliotropii tricocci colore tingat rubro.

Liquor talis, qui indolem quidem acidi retinet, etsi tamen dotes illius noxiæ acidi per aliud corpus mitigentur, aptissimus est, ut humores nostros reddat vegetos.

Hac miscella, & indole bilis revera ceu corpus balsamicum in humores humanos agere valet amarum bilis, cum acido vegetabili mistum, egregiam in corpus animale actionem exserere debet. Pars amara illius stimulat, simulque roborat, vasa; hinc infarctus

eorundem atque obstructions solvit, dum interim altera hujus miscellæ pars, acidum nempe vegetabile, humorum ad putrefactionem aptitudinem inpedit, atque enascentem in illis spiritum alkalinum illico destruit.

Hæc enim dos manifeste inde patet, quod, misto cum bile aceto, & aquæ inde sejunctæ, acidum saporem non amplius obferenti, spiritû volatili instillato, nil amplius spiritûs hujusce percipiatur, sed absorptus hic ex integro sit per acidum aceti: quo denuo demonstratur, acidum vegetabile per admistam non destruibilem, atque semper adhuc ceu acidum in corpora alkalina agere illud posse. Bonâ id fieri videtur fortunâ pro œconomia animali; alias etenim humores nostrî cito in putredinem ruerent, citoque non minus vitæ inponerent finem.

Ast, obponet quis, chylus lacteus est, hacque sub forma sæpius conspici potuit. — Negari id quidem nequit; verumtamen dotem hanc, ex antea adlatis tentaminibus ac expositionibus, a bile indipisci nequit: ratio ejus quærenda potius in saliva, in succo glandularum innumerarum œsophagi, & ventriculi, & in liquido, quod pancreas chylo subpeditat, & quod, si analogiam fabricæ glandulæ pancreatis cum glandulis salivalibus respicias, verosimiliter nonnisi liquor salivæ accedens, esse poterit.

Succi hi omnes, accedente simul motu continuo intestinorum peristaltico & antiperistaltico, admisto quoque forsitan aëre fixo, apti sunt, ut partes ciborum pingues cum aquosis intime nectant, ac in liquidum reducant lacteum, homogeneous, dotibus chylo propriis instructum.

Etsi pars bilis resinosa corpus in chylo foret inutile, quin & noxium, quum tamen acidorum auxiliô

ex ea fecernatur ac excrementis remaneat mista, substantia evadit utilis, intestina stimulans ad promovendum motum vermicularem, quò illa redduntur lubrica, ut facilius promoveri, & irritantur, ut plane expelli queant excrementa: atque hoc sane secundum finem, quem sibi Omnipotens circa bilem in œconomia animali proposuerat, est quod in proverbio dicitur:

„ Unâ fidelîâ duos dealbare parietes. “

Liquidum tamen hoc utile noxium corpori animali plurimum evadere potest, ac morbos gignere lethales, dum in putrefactionem abit: vidimus enim antea, bilem multum esse ad putrefactionem proclivem, atque, si hanc subierit, reddi acerrimam.

Hac jam acrimonia nimium intestina stimulantur, sursum deorsumque hypercatharses excitat, intestina inflammantur, febris producitur violenta, & sanguis demum ipse ad putredinem aptus redditur.

Hæc bilis acredo per putrefactionem generata ex eo inprimis dependet, quod sub ea spiritus liberatus fuerit alkalinus causticus.

Spiritus hicce causticus ab acidis optime domari valet, atque acredo ejus, hinc & vis noxia, cessat, si misceatur cum acidis.

Videmus hic utilitatem magnam, quam acida in febribus biliosis ardentibus ac ipsa exferunt dysenteria; patet simul hinc, cur Medici experti priores inprimis curaturi, cremorem tartari larga adeo manu præscribant.

Monendum adhuc est, quosdam eorum, qui bilem chemice examinârunt, errasse, autumantes, sub fermentatione illam verti in acidum, quum cernerent, bilem putrefactioni diutius expositam, cum acidis non amplius effervesce. Verumenimvero, spiritus tum volatilis alkalinus, putrefactione liberatus, & sub initium
cum

cum acidis luctans, causticus fuit redditus atque in eum deductus statum, ubi dotem alkalinarum salium cum acidis effervescendi non exserit.

S A N G U I N I S

EJUSDEM SERI

CHEMICA DISQUISITIO

(a Cl. WEBER pariter instituta.)



Circa chemicam sanguinis ac feri analyfin Auctores pariter hinc inde obpositas foverunt sententias; & quidem tum ratione principiorum illius, quorum nonnulla a quibusdam fuerunt negata, tum & ratione ponderis obtentorum substantiarum sibi contradixerunt; quod omnino evitari nequit, quum liquidum hocce non omni tempore, nec in omni individuo, per omnia sit sibi similis: sic v. c. hocce tempore plures aquosas continere potest partes, quam alió; vel sanguis hominum ac animalium juniorum fluidior ac tenuior est sanguine seniorum; hinc & Chemicus, sanguinem aquosum experimentis adhibens, non obtinere poterit tantam copiam salium, olei, ac terræ, quam alius, qui sanguine spissiori hunc in finem usus fuerit.

Ego

Ego ipse, *Cl. WEBER* ait, in tentaminibus meis plurimam diversitatem ratione proportionis principiorum sanguinis ac feri notavi, dum variis speciebus sanguinis usus fueram. Deprehendi etiam in hisce humoribus partes, quæ ab aliis Chemicis ac Physicis non fuerunt observatæ.

Tentamen I. Sanguinem recentissimum humanum destillationi ex retorta vitrea, adpositò excipulò, ope caloris ebullientis aquæ (mit kochender Flüssigkeit) exposuit, donec sanguis pulvem referret spissiore.

Removit tum excipulum, aquam expulsam phialæ infudit vitreæ: diaphana prorsum erat, odore nonnihil urinoso donata, saporeque levi falso, linguam vix adficiende.

Quum itaque sal hoc retortæ collum superaret, volatile utique debebat esse: habuit illud tum temporis *Auctor* pro sale alkalino volatili, nullò acidò ligato, hinc prorsum libero.

Infudit aquæ hujus quid muriæ salis muriatici. Nulla tamen inde nata metamorphosis, quum tamen sal volatile alkalinum terram ex muria illico dejiciat, nisi causticum fuerit, quod vero esse non poterat, quum vel odor præsentiam hujuscemodi salis volatilis demonstrare potuisset.

Ratus hinc fuit, in aqua hac speciem salis ammoniaci adesse posse: miscuit itaque uncias ejus viginti cum uncia una salis tartari, atque calore lenissimo unciam ex hac miscella abstraxit. Odor laticis expulsi nunc prorsum volatilis, qualem spiritus salis ammoniaci debilior exhalat. Liquor hicce

- 1) terras acidis solutas præcipitavit;
- 2) cum acidis efferbuit;
- 3) cum acido muriatico præbuit sal ammoniacum;

4) metalla ex solutionibus, acidorum ope factis, præcipitavit.

Aquæ hujus ejusdem sanguinis unciaë viginti in retorta vitrea cum calce viva mistæ calore leni destillationi subjectæ, atque uncia solum una inde evocata.

Liquidum sic obtentum volatilissimum, nec tamen terras, nec metalla ex acidis præcipitans, nec cum acido muriatico sal ammoniacum constituens, in cuprum multum agens.

Unciaë viginti aliæ aquæ illius sanguinis in retorta mistæ cum uncia dimidia olei vitrioli germanici; ad dimidium in excipulum destillatione expulsum.

Aqua hæc levissimum, vix perceptibilem, saporem obtulit salsum; cæterà dotibus sequentibus instructa.

1) Cum salibus alkalinis excitavit bullulas;

2) scorias reguli antimonii ex solutione aquosa colore dejecit fusco;

3) tincturam succi inspissati heliotropii triccoci, atque syrupum violarum colore rubro tinxit.

Hinc in aqua hac eadem præfens erat acidum; quodnam vero illud foret, enumeratis ex dotibus nondum constabat. Concludi quidem jure optimo poterat, nec acidum esse muriaticum, nec nitrosum, nec aliud quodpiam regni minerali proprium, quum hæ acidorum species sali alkalino volatili junctæ, in excipulum usque non transvolent.

Ut constaret itaque certò, cuinam acidorum speciei adnumerandum esset illud acidum, quod, alkali volatili nuptum, fuerat expulsum, in mensura una aquæ secundæ, factâ miscellâ olei vitrioli cum aqua antea dicta sanguinis primâ destillatione ob-

tenta solvit **AUCTOR** drachmam salis tartari; à quo tamen acidum illud nondum ex integro saturatum fuit, quum liquidum rubro adhuc tingeret colore, tincturam succi inspissati heliotropii tricocchi æque, ac violarum syrupum. Liquidum id ipsum in phiala vitrea edusque evaporationi subjectum, donec crystallisationi aptum videretur, quum in summitate contraheret pelliculam. Biduò aëri expositum, quin tamen nascerentur crystalli.

Calore majori ad ficcitatem redactum. Ortum hæc encheiresi sal, terræ foliatæ tartari figurâ accedens.

Pars hujus in crucibulo eandem subjectum: remansit alkali sal purum, acido omni liberum.

Pars alia in aëre libero mox deliquescebat.

Carbonibus ardentibus injectum, nec detonabat, ut nitrum, nec decrepitabat ut sal muriaticum.

Uncia semis salis hujus soluta in uncia una aquæ calidæ; insillatæ tum drachmæ duæ olei vitrioli germanici, ad ficcitatem usque destillatione redactum totum. Obtentus sic spiritus acidissimus, in quo tantum **AUCTOR** solvit æruginis, quantum ille recipere poterat.

Solutio hæc graminea in phiala vitrea ad cuticulam usque evaporata, tum aëre frigido ad crystallisandum exposita: natæ crystalli virides, ærugini sic dictæ destillatæ plane similes.

Tent. 2. Quodsi, mediante calore leniori, omnis quæ à sanguine recenti expelli valet, destillatione expellatur aqua; calore dein auctiori aqua prodit subflava, odorem empyreumaticum & volatilem alkalinum spargens: igne denuò aucto aquam hanc sensim excipit oleum flavum, demum nigrum, foetidissimum: sal simul lateribus excipuli ad crescit inpurum, volatile.

Plerumque libræ sanguinis quinque relinquunt libram unam massæ siccæ; ex qua per destillationem obtinentur septem circiter octove drachmæ salis volatilis, drachmæ tres olei, sexdecim spiritus volatilis; undecim denique drachmæ carbonum.

Tent. 3. Carbo nunc dictus, igne libero in integrum exustus, terram relinquit rubro-fuscam; dosi varia, prout majori minorive calcinationi subiectus fuerit carbo.

Cum acidis luctatur terra hæc; ab acido salis ac nitri magnam partem resolvitur: remanet tamen portio, in acidis insolubilis.

Si terra hæc ultima insolubilis cum sale sodæ coquatur, depuratumque filtrô emporeticô liquidum evaporationi & crystallisationi detur, acquiritur sal mirabile GLAUBERI. Quæ remansit denuo terra acido salis nunc ex integro patet.

Quæ autem mistæ hujus terræ carbonis à destillatione sanguinis relictæ, ab acido salis & nitri, uti antea dictum fuit, resolvitur, cum addito vitrioli acore gypsum exhibet, ac sub forma pulveris albi e solutione excussa ruit ad fundum.

Tent. 4. Pulvis rubro-fuscus, à calcinatione capitis mortui sanguinis relictus, elixivatione per aquam calidam sal præbet fixum. Si aqua elixivationis, per chartam bibulam missa, ad gradum usque crystallisationis evaporetur, remanet sal, carbonibus ardentibus injectum quidem non decrepitans, argentum tamen ac plumbum ex solutione spiritu nitri facta formâ pulveris albi excutiens; quorum primum Lunam corneam, alterum Saturnum corneum exhibet.

Dum sal hocce cum addito oleo vitrioli destillatur, spiritus in excipulum inde fugatur acidi muriatici. E sale autem, facta destillatione in retorta remanente, solutionis & crystallisationis interuentu tartarus vitriolatus, & sal mirabile GLAUBERTI obtinetur eadem ratione, uti fieri solet, si sal muriaticum commune cum superaddito vitrioli acido destilletur.

Tent. 5. Si pulvis à calcinatione capitis mortui sanguinis residuus aquâ calidâ elixivietur, & lixivium hoc ad punctum crystallisationis evaporetur, remanet, separatô inde per crystallisationem (*) sale mediô liquidum, cum acidis plurimum fervens, atque cum acido vitriolico tartarum vitriolatum, cum acido nitroso nitrum, & cum acido muriatico sal digestivum SYLVII, constituens.

Tent. 6. Sanguis recens in vase vitreo, epistomiô chartaceô obturato, repositus, elapsis aliquot horis coit in placentam, fundum vasis petentem, in summitate ac ad latera latice flavo cinctam.

Calore graduum quinquaginta thermometri fahrenheitiani altera die odorem subingratum exhalare; cito adeo procedit hæc corruptio, ut quarta die elapsa foetor jam sit intolerabilis.

Placenta sanguinis ambientem & incumbentem laticem sensim colore sordide-rubro denuo tingit: tandem ex integro liquescit, relictis nonnisi filamentis quibusdam insolutis, ac moleculis.

Hoc in statu volatilem multum spargit odorem, ac si destilletur, spiritus prodit fortis, volatilis. In reliquis autem destillationis phænomenis, tum &

ra-

(*) In libello vitiose: durch die Destillation ponitur.
De W.

ratione partium, per destillationem ex sanguine obtinendarum, sanguini recenti accedit.

Si vitrum majus repleatur sanguine, adligetur hujus orificio vesica bubula, & sanguis tum calori ut putrescat exponatur; vesica sensim ab aëre expanditur, ex sanguine, prout sensim hic putredinem subit, rectà sursum ascendente, adeo ut, nisi vesica auferatur, periculum adsit dislosionis ipsius vasis.

Tent. 7. Salia media, v. c. nitrum, sal muriaticum, tartarus tartarizatus, e. s. p. sanguinem nunc venâ eductum fluidiorem reddunt, ac rubicundiorum; sanguis talis non tam cito etiam coagulatur, quam qui salibus mediis non fuerit mistus.

Tent. 8. Vinum, imprimis generosum, sanguinem recentem rubicundiorum nonnisi ac fluidiorem reddit, cæterâ non mutat.

Tent. 9. Acetum, anatica dosi sanguini junctum, colorem sanguini proprium, sanguineum, in diaphanum vertit, rubineum, nec ulla contingit coagulatio; quodsi autem miscella hæc per unum alterumve diem in loco hæreat tepido, abit in gelatinam, quin guttula aquæ cujusdam secretæ in conspectum veniat: color tum è rubineo in fordide-fuscum mutatur.

Tent. 10. Alumen crudum sanguinem coagulat, si magna illius, in pulverem redacti, dosis inspergatur: idem & vitriolum martiale, maxime autem vitriolum venereum, perficit.

Tent. 11. Acida debiliora sanguinem recentem non mutant; fortiora autem & concentrata illum coagulant, atque colorem rubrum in nigro-fuscum vertunt.

Tent. 12. Sal alkali fixum, & alkali volatile in sanguine colorem excitant elegantem coccineum, quin fiat coagulatio; fluidior potius inde redit sanguis; præcipue ab addito sale alkalino volatili. Falsum hinc Auctorum quorundam adsertum est, sanguinem ab alkalinis salibus reddi nigrum.

Tent. 13. Sal ammoniacum in sanguine colorem pulcrum rubrum producit, eumque coagulât, uti jam ELLERUS observavit.

Tent. 14. Aqua calcis sanguinem nonnisi fluidiorem facit & colorem ejus rubrum intendit.

Tent. 15. Spiritus vini vulgaris sanguinem recentem non mutat; alkohol autem, seu spiritus vini ab aquosis partibus depuratus, rectificatus, coagulum in illo procreat.

Tent. 16. Sanguis recens nec cum acidis, nec cum alkalibus effervescit. Quod vero cum oleo vitrioli luctetur, nil hic demonstrat; quum acidum hoc & aquæ infusum, idem exhibeat phænomenon.

Tent. 17. Si sanguis recens, & putridus, cum saturato infuso gallarum (a) misceatur, colorem induit ex nigrescenti-fuscum.

Tent. 18. Carbo à destillatione sanguinis residuus, destillationi novæ, violentæ, diuque continuatæ subjectus, phosphori nonnihil exhibet.

Tent. 19. Si carbo à destillatione sanguinis remanens, diu violentoque igne calcinetur, ut in eo contenta terra calcarea reddatur caustica, atque exin aquâ solubilis; eâ tum sensim adfusâ calcinato pulveri aquæ copiâ, quæ requiritur, ut non solum calx ipsa, sed & gypsum excerni queat, pulvis insu-
per

(a) Mit einer satten Gallâpfelbrûhe.

per remanet fusco-ruber, qui, substantiæ cuidam inflammabili mistus, atque fusioni, ope æstus vegeti carbonum, datus, genuinum subpeditat ferrum,

* *
 *

Sanguis recens, antea agitatus (gequirit) in variis tentaminibus alia longe exhibet phænomena, quam ex æquo recens, quieti relictus, adparet id ex nunc sequentibus tentaminibus.

Tent. 20. Sanguinem agitatum *Cl. WEBER* in vase vitreo per mensem calori exposuit, abs omni alio additamento. Per totum hocce temporis intervallum in placentam sanguis minime coivit, uti in non agitato, antequam putrescat, evenire solet. Secunda jam die sanguis agitatus odorem spargebat ingratum, putridum; elapsó octiduó putrefactionem ex integro subierat; adeo ut, finito mense, nulla alia observari potuerat metamorphosis.

Color sanguinis mansit semper elegans fuseo-ruber: odore retulit caseum antiquum lüneburgensem; sal alkali volatile magnâ copia evolutum.

Tent. 21. Sanguis agitatus nec ab acidis aliis, nec ab ipso oleo coagulatur vitrioli; colorem tamen induit fuscum.

Tent. 22. Anatica dosi aceti vini cum sanguine hoc mistâ, limpidus hic evadit, rubineus; elapsis aliquot horis miscella ex nigro fuscescit, ac in firmam vertitur gelatinam.

Tent. 23. Spiritus vini, concentratus licet, sanguinem agitatum non coagulat; fluiditatem unice aliquantum inminuit. Sanguis hac ratione mistus aliquot etiam diebus tardius putredinem subit alió,

atque nunquam non colorem indipiscitur uti decoctum aquosum coccionellæ.

Tent. 24. Si sanguis agitatus misceatur cum sale alkalino fixo, color illius ruber maximopere intenditur; diaphanus quoque evadit: dum autem aqua sanguis idem diluitur, horâ elapsâ terram ad fundum dimittit; per mensem putrefactioni relictus, eundem tamen colorem pulcrum exhibuit, uti sanguis alkoholi junctus.

Tent. 25. Pulvis aluminis crudi sanguini agitato injectus, sub initium nullum omnino excitavit coagulum, atque color sanguinis auctus: horâ deno elapsâ sanguis versus in gelatinam; color factus inamcencæ fuscus.

Tent. 26. Agitato sanguini indito pulvere vitrioli, (a) nec illico, nec bihorió elapsó, productum coagulum; sed & color sanguinis inde non mutatus.

Tent. 27. A sale muriatico sanguis agitatus fluidior fit, non tamen diaphanus, nec mutatur color.

Tent. 28. Spiritus salis ammoniaci vulgaris sanguinem hunc pellucidum reddit & fluidum. Color elegans adeo, ac infusum pulcerrimum coccionellæ.

C o n f e c t a r i a

ex tentaminibus cum sanguine deducta.

Destillatio sanguinis recentis demonstrat, inmistam illi esse speciem salis ammoniaci in excipulum transiens, sale volatili alkalino acidoque vegetabili constans. Quum enim alkali urinosum volatile ex æquo volatile sit,

(a) An martialis? an venerei? an utriusque? *De W.*

fit, ac acidum vegetabile, unita etiam manent invicem, atque hinc una cum fluidis aquosis sublime petunt.

Qui, sanguinem cum bolo mistum destillans, omnium primus in eo acidum detexit VIEUSSENS, ab Auctoribus sui temporis refutabatur. BOERHAAVIUS acidum hoc ipsum sali adtribuit muriatico, in plerisque liquidis animalibus deprehendendo, quin & succis inhærenti illorum animalium, quæ nullum ingerunt sal commune; rebatur BOERHAAVE, acidum vitriolicum, bolo inhærens, (a) cum sale alkalino muriatici salis, quod sanguini inest, jungi, atque sic acidum hujus eatenus liberare, ut destillatione expelli queat. Verum enimvero, qui acidum muriaticum mediante bolo unquam obtinuerunt, cognitum habebunt, quam difficulter id fiat; nec colore illo leni, quo aqua in excipulum abire cogitur, acidum muriaticum interventu boli à basi sua disjungetur.

Negavit etiam ipse VIEUSSENS, acidum, quod ex sanguine obtinuerat, esse muriaticum; nec, ex antea adlatis argumentis, tale esse poterat.

Negarunt acidum hocce in sanguine alii ex integro, in primis Auctores itali: demonstrari id autem non solum ex meo tentamine, sed & ex rationibus potest; cuilibet enim constat, quibus vivimus cibos vix non omnes tendere in acescentiam, ac in ventriculo & intestinis fermentationem subire acetosam; & quam copiosum præterea corpori ingerimus evolutum

H h 3

aci-

(a) Errore manifesto calami hic legitur in libello: daß der Bolus, der ein Vitriolsauer enthält, sich mit dem Laugensalz des Kochsalzes in dem Blut verbinde &c. Typographo utique hæc thesis imputari non poterit. — De W.

acidum vegetabile? Quum pariter, ex meis experimentis, acidum ciborum à bile non destruat, uti antea multi fuerunt rati, sed unice obtundatur, sequitur omnino, in sanguine acidum vegetabile & contineri, & contineri debere.

Experientia ulterius constat, non solum in sanguine, sed & in omnibus nostris liquidis sal alkali volatile evolvi, idque eò fieri citius, si caloris exposita maneant gradui, quem humores recepta lege in corpore habere solent. Quæ sanitatis vitæque nostræ foret conditio, nisi Creator curâset, ut evolutum illud sal volatile chylo subacido mox denuo ligetur?

Miscellâ hâc ex binis corporibus, nocuis, verum nascitur remedium; nascitur incidens, resolvens, e. s. p., sudore per minima vascula ex corpore demum se subducens; quod ex eo illico demonstrari valet, quum, si manus sudore obductæ, calce vivâ, cum addita aqua, fricentur, momentó exsurgat odor fortis, volatilis, natus ex decomposito per calcem vivam sale hac ammoniacali.

Patet hinc per tentamen primum, in sanguine ædesse sal, constans acido vegetabili saleque alkalino volatili.

Ignis aucto, per tentamen secundum, sanguis in plerasque constitutivas partes deconponitur. Fit hoc, uti in omnibus humoribus animalibus, destructione aëris fixi, vinculi illarum communis, per ignem.

Dum, uti in tentamine tertio, aër hic prorsum destruitur, peracta est ex integro analysis atque sejunctio principiorum sanguinis. Per tentamen hocprehendimus terram duplicem; (*) terram calcaream, acido

(*) Zweyerley Erde. — Ast, uti illico adparebit, terram solum calcaream, aut nudam, aut cum aci-

do nitroso, ac muriatico patentem, ac per acidum vitriolicum, sub forma gypsi, ex solutione denuo præcipitandam; tum sal seleniticum seu gypsum, quod, cum soda decoctum, terram calcaream excutit, acidum vitrioli sodæ largitur, atque sic sal mirabile GLAUBERI producit.

Per tentamen quartum in terra a calcinato carbone sanguinis residua sal invenire licet fixum crystallisabile, &, quum Lunam aqua forti solutam in Lunam corneam, Saturnum autem, eodem acore referatum, in Saturnum corneum præcipitet, species salis muriatici est, non solum alkali minerale, sed & vegetabile recludens.

Præter salis hujus muriatici speciem tentamen quintum verum etiam exhibet sal alkali vegetabile, cum acido vitriolico tartarum vitriolatum e. s. p. subpeditans.

Tentamen sextum demonstrat manifeste præsentiam aëris fixi, qui mediante calore in motum deducitur, ac evolutioni aptus redditur.

Existimavit *Cl. STAHLIUS*, a nitro sanguinem humoresque alios condensari; tentamen vero septimum obpositum nobis exhibet.

Per tentamen nonum acetum sanguinem redigit in gelatinam, adeo quidem, ut coagulatio hæc *AUCTORI* major multò videatur, quam quæ ab ulla alia producitur substantia. Fors, ait, id ex eo dependet, quum tentamini huic adhibuerim acetum ex vino generoso in vitreo, probe obturato, vase paratum, hinc admistus fuerit vini spiritus, atque menstruum duplici

Hh 4

ra-

acido vitrioli in gypsum, *sal terreum*, si proprie loqui velis, versam, *De W.*

ratione in sanguinem agere potuerit. Cernimus inde utilitatem aceti in morbis, ubi condensatio sanguinis requiritur.

Quod, per tentamen decimum sextum, sanguis nec cum acidis, nec cum alkalibus effervescat admittis, monstrat, in sanguine recenti nec alkali, nec acidum contineri liberum.

Tentamen decimum septimum præsentiam ferri in sanguine exhibet ad oculum.

Per tentamen decimum octavum existentia acidi phosphorici in sanguine demonstratur.

Per decimum nonum demum tentamen præsentia ferri in sanguine denuo redditur manifesta.

* *

* *

* *

Ex omnibus hæctenus enumeratis tentaminibus indeque deductis consecrariis, discimus itaque, liquidum corporis nostri, quod *sanguinem* vocamus, sequentibus componi partibus constitutivis:

- 1) aqua;
- 2) acidò vegetabilì;
- 3) sale alkalino volatili;
- 4) oleò æthereò;
- 5) oleò empyreumaticò, aut æthereo, terræ adhucdum intricatò;
- 6) terrà calcareâ;
- 7) sale selenitico;
- 8) sale genuinò communi, seu muriaticò;
- 9) sale digestivò;
- 10) sale alkalino fixò vegetabilì;
- 11) aëre fixò, ac demum
- 12) terrà martiali.

DE SERO SANGUINIS.

Serum sanguinis principis ab ipso sanguine parum non nisi discrepat; Chemiæ enim ope in illo omnes detegere licet partes, quæ sanguis integer componitur, minori nonnisi, præter aquam, & salia in aqua solubilia, copia.

Tentamen 1. Serum sanguinis, ipse in morem sanguinis, ab igne ducitur in coagulum, atque ad gradum thermometri fahrenheitiani 152. gelatinam præbet: ad gradum nunc dicti thermometri 143. opacatur, albescit.

Tent. 2. Per destillationem feri recentis obtinentur, quæ antea, dum de analysi agebatur sanguinis recentis, dictæ, partes eadem: ea solum intercedit diversitas, quod copiosiores partes aquosæ ex sero, quam ex sanguine integro, paucior autem terra, paucius sal alkali volatile, paucioresque moleculæ martiales extricentur.

Tent. 3. Per putrefactionem serum sanguinis sedimentum dimittit leve, unctuosum; sejuncto hoc ab aqua, nulla amplius methodo hoc in coagulum ducitur. Destillatio feri putrefacti partes exhibet easdem, uti ex sero recenti; pars tamen spiritus volatilis alkalini in destillatione feri putridi, antequam alii omnes ascenderint latices, prorumpit.

Tent. 4. Per alkohol rectificatissimum serum adstringitur in coagulum firmum, nec ex facili adeo fluidum denuo evadit: dependit inde vis alcoholis styptica, hæmorrhagiasque sedans in vulneribus.

Tent. 5. Acetum sincerius, cui post braxationem spiritus adhuc mansit junctus, coagulat serum, sed elapsa solum aliquo post miscellam tempore.

Tent. 6. Acida concentrata, uti & alumen, serum vertunt in coagulum.

Tent. 7. Saccharum Saturni, solutioque Lunæ per serum recens albo dejiciuntur colore; quod vero aliis metallorum solutionibus non evenit.

Tent. 8. A sale alkalino fixo & volatili serum non mutatur; nisi quod tantillum excutiat terræ.

Tent. 9. Serum recens nec cum acidis effervescit, nec cum alkalinis salibus.

Tent. 10. Serum recens nec ab alkalibus referatas refinat, nec in aqua solutas scorias reguli antimonii in universum præcipitat; rariori tamen id evenit phænomeno; inprimis dum serum hominum juniorum ex sanguine sejunctum tentaminibus fuerit adhibitum.

Tent. 11. Syrupus violarum cum sero mistus recenti subviridescit; nonnunquam vero rubescit.

Tent. 12. Salia media, ut nitrum, sal muraticum commune, sal mirabile GLAUBERI, e. s. p. serum parum adeo coagulant, ac sanguinem ipsum; videtur potius ab eorum admistione consistentiam indipisci nonnihil fluidiorem, nec facile adeo per calorem tum adstringi.

C o n s e c r a r i a

ex præcedentibus tentaminibus deducta.

Quum phænomena pleraque, analysin chemicam feri stipantia, analoga sint phænomenis, disquisitionem sanguinis ipsius concomitantibus, pauca solummodo, ne repetitiones fiant inutiles, mihi hic erunt adferenda. Narrabo hinc ea inprimis, quæ sub analysi sanguinis

ob

ob minorem liquidi hujus diaphaneitatem institui (*) non potuerunt, v. c.

quod serum sanguinis saccharum Saturni & Lunam in aqua forti solutam præcipitet, præfens in eo sal muriaticum demonstrat; inprimis quum præcipitata illa Saturnum præbeant corneum, Lunamque corneam.

Per tentamen octavum serum sanguinis a salibus alkalinis nonnihil opacatur, terræque quid ex amplexibus dimittit, quod tamen non constanti lege accidit. Ratio hujus est, quum in sale illo muriatico, quod homo in cibis corpori ingerit, nunquam non salia amara lateant, salis veri alkalini loco terram nonnisi pro basi habentia, quæ salibus alkalinis cedere debent, si cum hisce concurrant.

Quod per tentamen nonum serum recens nec cum acidis, nec cum alkalinis salibus luctetur, demonstrat, nec alkali, nec acidum, liberum in illo adesse.

In sero autem illo, quo scorix reguli antimonii nonnumquam præcipitantur, atque syrupus violarum rubro tingitur colore, acidum liberum vegetabile manifeste percipere licet. Idem acidum ex æquo manifeste in lotio recenti, inprimis infantum, potest detegi.

Dum, per tentamen undecimum, syrupus violarum a sero sanguinis recenti colore tingitur viridi, phænomenon hoc mutati coloris ipsum non tam sali alkalino in sero forsitan contento, quam quidem colori flavo feri, qui cum cæruleo syrupi tertium producit, viridem, tribuendum est.

Pa-

(*) Id saltem mihi deesse videbatur verbum, in libello AUCTORIS per errorem typi non adpositum, *De W*,

* * *

Patet itaque ex omnibus nunc dictis, serum sanguinis ex iisdem constare principiis, quæ sanguinem ipsum constituunt. Hactenus *Cl. WEBER.*

Dum de SERO SANGUINIS, ejusdem coagulatione per varia menstrua, atque analysi chemica nunc actum fuit, commodissimum videbatur, sequentia circa *aquam hydropicorum* capta hic inferuisse tentamina. Autumarunt siquidem non pauci, omnem hydropicorum aquam esse coagulabilem, adinstar seris sanguinis, & gradu solum consistentiæ ab invicem differre. — Dixit autem *Cel. COTUNII*, vapores cavearum internarum corporis, & humores inde densatos v. g. pericardii, pectoris, abdominis, testium, cavi spinæ dorsii, ventriculorum cerebri &c. *naturaliter* coagulabiles non esse, quum ad nutriendum haud faciant; sed tamen præter naturam interdum fieri coagulabiles, admisto nempe sero sanguinis.

Hanc *COTUNII* animadversionem demonstrarunt experimenta, quæ *Cel. HAHN* cum aqua puellæ hydropicæ, per paracentesin educta, instituit, & quæ ex *Tentamine de succis corporis humani adcuratius definiendis & ordinandis*, a *D. Pannajota Frid. HOUTH* in *Universitate lugduno-batava 1778.* defenso, hic exhibeo.

Erat puella duodecim ferme annorum, cujus nec brachia, nec crura, aquis, vel oedemate, distenta erant; sed in solo abdomine identidem magna copia humoris colligebatur, ut suspicio haud levis esset, e ruptis quibusdam lymphaticis illum effundi; præsertim, quoniam brevissimo tempore post educationem ascites denuo

re-

renascebatur. Etenim a die 16. Octobris ad 31. Decembris paracentesis septies facta est; nempe sexies antemortem & deinde semel in cadavere. Eductæ sunt 116. libræ vulgares, ordine sequenti:

die 16. Octobris,	—	—	—	—	libræ 12.
— 13. Novembris,	—	—	—	—	19.
— 28. Novembris,	—	—	—	—	21.
— 6. Decembris,	—	—	—	—	17.
— 13. Decembris,	—	—	—	—	15.
— 23. Decembris,	—	—	—	—	17.
— 31. Decembris (quo mortua)	—	—	—	—	15.

116.

Quæ medio tempore emissa fuit, videbatur experimentis maxime idonea; quanquam omnes aquæ prope modum similes forent, & sequenti modo se haberent.

Latex fere excolor, fere pellucens, inodorus erat, concussus tamen facile spumans; ad ignem nequaquam cogebatur, sed statim in bullulas adsurgebat: hîs dissipatis aliquamdiu liquidus manebat, sensim paulatimque evaporans & tandem relinquens membranulam, crustulis a muco arefacto narium relictis similem.

Nec solus ad ignem habitus naturam a lympha concrescibili alienam hujus liquidi ostendebat, sed acidâ fossilia eandem quoque conprobârunt. Nam aqua fortis illud nequaquam coagulabat, sed solummodo turbabat & flavescente colore tingebat; cadentibus pedetentim grumîs quibusdam albis ad fundum, quasi a coacto sanguinis sero. Nec spiritus falis fumans, nec vitrioli acidum, ei spissando erant paria, sed tantummodo leviter turbulentam & lactescentem faciebant aquam hanc, ut similes grumuli conspicerentur.


Pronum ex his, in ea quidem nonnihil feri fuisse, sed neutiquam universum hujus succi ingenium. Confirmatum etiam hoc fuit destillatione laticis ejusdem;

quum

quum enim ex unciis 97. per retortam, in furnulo ligneo positam, jam stillassent unciaë 68. phlegmatis, residuum adhuc liquidissimum perstitit. De hoc residuo abstractis insuper unciis 17. molle tandem coagulum referebat, sed tamen sero sanguinis coagulato prorsus dissimile; quippe omnis elasticitatis expers.

Hactenus merum erat phlegma, quidquid excussum est, nil alkalini monstrans. Quum deinde retorta in balneum arenæ esset translata, igne primo adhucdum magna copia phlegmatis prodiit, sed indicia alkali volatilis jam exhibentis, & igne sensim aucto verus spiritus volatilis alkalinus; nonnihil etiam olei, sed parum, prodiit, cujus pars tenuior in spiritu natabat; crassior, picem repræsentans, sidebat; tandem, sub specie vaporum & nebularum, siccum quoque sal expulsum, quod magnâ copia interno excipuli parieti massulis conspicuis adcrevit; pariter, ac sub destillatione seminis sinapi fieri solet. Posterioris hujus phlegmatis, & spiritus, & salis & olei pondera erant unciarum undecim; oleum, seorsim ponderatum, vix sesquidrachmam æquabat. In retorta fracta erat materies nigra, porosa, sub magno volumine nonnisi drachmas novem ponderans; quæ ita alkaliescebat, ut elapsis aliquot septimanis iterum ponderata pondus notabiliter auctum monstraret.

Sequitur hinc, aquam hydropicorum nequaquam *semper* esse coagulabilem, simulque conjecturam haud levem faciunt, *lympham*, stricte sic dictam, quæ scilicet in systemate lymphatico fertur, non prorsus *sanguinis sero* similem existere; utique concrecibilitatem non eò habere gradû, quò serum. —




INDEX

PRÆLECTIONUM

PATHOLOGICARUM.


(Tomi, exceptô Tomô primô, characteribus majoribus designantur.)



A

- A**bdominis vulnera. 440.
Abscessus majores, & proveciores quomodo aperiendi, &c.? V. 140.
———— osium 171.
Abscessuum idæa, diagnosi &c. 149.
———— ratio, ut signi cruditatis. IV. 204.
Abstinentia ad summum gradum deducta a nonnullis gentibus. IV. 432.
Abstinentiæ consideratio diætetica. IV. 512.
———— effectus in sanitatem. V. 10.
Achores. V. 168.
Acida acredo, an in humoribus? II. 49.
Acrimoniæ acidæ consideratio. II. 56.
———— alkalinæ consideratio. II. 75.
———— ammoniacalis consideratio. II. 42.
———— cibi & potûs variæ. II. 233. — acida. 234.
— aromatica. 234. — spirituosa 238. — fermentans. 242.
———— compositæ consideratio. II. 102.
———— emendatio. V. 107. &c.
———— mechanicæ consideratio. II. 38.
———— muriaticæ consideratio. II. 42.
———— oleosæ consideratio. II. 93.
———— salinæ consideratio. II. 42.
———— saponaceæ consideratio. II. 101.
———— variæ, causæ appetitus læsi, & sitis. III. 22. 25. 34.
Acrimoniarum in humoribus signa. II. 106. IV. 183.
Actio-

- Actiones corporis, quæ ad longævitatē optimæ, &
 quid ad illam faciunt? IV. 39.
 ——— hominis, earumdivisio, & expositio. 50. seq.
 Actionum vitalium adfectiones. III. 295.
 Acuti morbi. IV. 180.
 ——— in humoribus nati, signa. IV. 179.
 ——— superabiles natura. IV. 194.
 Acutissimi morbi IV. 179.
 Adnatæ membranæ oculi vitia. III. 384.
 Adpetitui ægrorum, an obtemperandum? III. 28.
 Adpetitûs adfectiones præternaturales, earumque causæ
 variæ. III. 16. seq.
 ——— spurius gravidarum. III. 17. 25. seq.
 Adplicata corpori, ut signa naturæ causæ morbi, IV.
 83.
 ——— externa frigida, ut causa morbi. II. 372.
 Adtritus, ad calorem in corpore quid faciat. IV. 334.
 Aër saluberrimus quis? IV. 446.
 Aërem corruptum emendandi diversæ methodi. V. 419.
 ——— lustrandi varia media. V. 40. &c.
 ——— nosocomiorum depurandi methodi. IV. 448. 461.
 ——— varia ratione inficientes halitus. IV. 449. &c.
 Aëris effectus in corpus. II. 146.
 ——— gelidi effectus. II. 165.
 ——— humidi effectus. II. 180.
 ——— infectiones, ex diversis fontibus oriundæ. V. 44.
 ——— in sanitatem tuendam actio. IV. 434.
 ——— mephitici, & variis vaporibus infecti actio in
 corpus. II. 197. &c.
 ——— nimis calidi cubiculorum effectus. II. 159.
 ——— nimium æstuantis effectus. II. 152.
 ——— gravis effectus. II. 184.
 ——— levis effectus. II. 189.
 ——— qualitates mutandi ratio. IV. 448.
 Amauroseos natura, phænomena &c. III. 440.
 Anæsthesiæ expositio, causæ &c. III. 616.
 Anastomosis. 98.
 Anchyloseos historia. 180.
 Anevrysma. 377. 451.
 ——— cordis. 458.
 ——— spurium. 461.
 Anevrysmatis arteriarum ratio. IV. 106.



- Anevrysmatis cordis ratio. IV. 106.
Anginæ inflammatoriæ signa pathognomica. IV. 16.
Anguillulæ, in urina. IV. 146. 149. 389.
Animæ operationes, ratione longævitatatis spectatæ. V. 5.
Animalium actionum læsiones. III. 361.
Animi adfectuum consideratio diæteticâ. IV. 509.
—— adfectus, ut causæ morborum. II. 295.
Anni tempestatum actio in corpus. II. 194.
—— —— consideratio diætetica. IV. 516.
Anorexia, ejus causæ. III. 16. seq.
Anthelmintica, circa hæc notanda. III. 23.
Antidota. V. 36. seq. 53. &c.
Antidotorum variorum inanitas. IV. 440.
Aortæ vulnera 427.
Apepsia. III. 44.
Aphtharum ratio, ut signi cruditatis. IV. 204.
Apnœa. III. 323.
Apophlegmatizonta, eorum expositio. V. 185. &c.
Apoplexiæ expositio, causæ &c. III. 594.
———— frigidæ signa. IV. 88.
———— mucosæ signa pathognomica. IV. 20.
———— sanguinæ signa pathognomica. IV. 20.
Apositia, ejus causæ. III. 16. seq.
Aquæ bonæ dotes. IV. 495.
—— consideratio medico-ætiologica, II. 257.
—— prædominantis signa &c. IV. 188.
—— vindobonensis examen physico-chemicum. IV. 499.
—— utilitas. II. 269.
Aquam depurandi variæ methodi. II. 267.
Aquarum medicatarum actio. V. 86.
Aquei humoris oculi morbi &c. III. 408.
Arenæ, cum urina prodeuntes. IV. 143. 143. 389.
Aristolochica, eorum expositio. V. 288.
Arteriarum anevrysmata, ossificationes, chondrogeniæ.
III. 306.
—— vulnera &c. 377. 438.
Articulationum adfectiones præternaturales. 226. &c.
Asphyxiæ causæ &c. III. 316.
Asthmatis causæ, &c. III. 328.
Atrophia. 223.
Auditûs gravitas. III. 467.
—— læsi symptomata &c. III. 466. seq.

←————→

B.

- B**alnea, circa ea notanda. II. 373.
 Bilis absentia, causa adpetitus læsi. III. 18.
 ——— examen chemicum, & utilitas II. *Adpend.* 71. V. 453.
 ——— ratio, ut signi cruditatis. IV. 200.
 ——— ut causa morbi. II. 383.
 Biliofa temperies. IV. 65.
 Bradypepsia. III. 44.
 Bronchiorum vulnera. 432.
 Bulbi oculi adfectiones. III. 447.
 Bulimos, ejus causæ. III. 16. 22. seq.

C.

- C**acochymiaë descriptio, causæ, phænomena &c. II. 20.
 ——— ex temperamentorum doctrina illustratio. IV. 71.
 Calcis aqua scopo lithontriptico adhibita. IV. 372.
 Calculi, cum urina prodeuntes. IV. 148. 149. 389.
 ——— in cerebro. III. 545.
 ——— renum, aut vesicæ, sæpius præsentés, quin ante mortem conslet. IV. 133.
 ——— signum ex urina. IV. 398.
 ——— vesicæ, inter ejus tunicas hærentes. IV. 150.
 ——— observata de his. IV. 371.
 Calculorum hepaticorum instantia. IV. 111.
 Calor, causa fitis. III. 34.
 Caloris & frigoris corporis causæ; circa eas animadversiones. IV. 332.
 Cancer aquaticus oris. 202.
 Candelularum ad carunculas urethræ formulæ. III. 256.
 Capitis morbi. III. 508. seq.
 Carbonum vaporis noxæ. II. 205.
 Cardiaca & diæta ægroti. V. 31.
 Cari idæa. III. 618.
 Cariei phænomenorum expositio. 174.
 Carnium esus consideratio. IV. 465.
 Carotidum vulnera. 428.
 Catalepsis expositio, causæ &c. III. 619.
 Cataphoræ idæa. III. 618.

- — — — —
- Cataractæ natura, phænomena &c. III. 411. 419.
 Catarrhi subfocativi notio &c. III. 333.
 Causæ morbi magnitudo & vis unde dignoscenda? IV.
 301. &c.
 ——— procatarctica. II. 144.
 ——— symptoma quid? III. 8.
 Cerebri & cerebelli vulnera. 401. 438.
 ——— morbos detegendi ratio. IV. 87.
 Cerevisiæ vindobonensis consideratio physico - chemi-
 ca. IV. 496.
 Cholerae expositio, causæ, phænomena, curatio. III.
 810. seq.
 Cholericæ. IV. 65.
 Choreæ S. Viti expositio, causæ &c. III. 624.
 Choroëidis tunicæ vitia. III. 456.
 Ciborum actio varia in corpus. II. 215.
 ——— consideratio diætetica. IV. 464. &c. 505. &c.
 ——— &c. effectus pro tuenda sanitate. V. 8.
 ——— in sanitatem tuendam actio. IV. 435.
 ——— viscositas nimia. II. 245.
 Cibus optimus quis? IV. 464.
 Climatis actio in corpus. II. 194.
 Coaguli, varia ratione peccantis, curatio. V. 83.
 Coctio morbi. IV. 25.
 ——— optima quæ? ejusque essentialia. IV. 298. &c.
 ——— perfecta quæ subponat. IV. 211.
 Coctionis à crisi disparitas. IV. 285.
 ——— bonæ ratio. IV. 285.
 ——— in morbis instrumenta, & qualitas &c. IV.
 205. &c.
 ——— seu maturationis, in morbis signa. IV. 209.
 Coeliacæ adfectionis, expositio, causæ, phænomena,
 curatio. III. 119.
 Colica Pictonum. III. 629.
 Colicæ expositio, causæ, phænomena, curatio. III.
 121.
 Coli intestini, in flexibus suis extensi & paralytici,
 causæ & symptomata. IV. 120.
 Collectio materiæ morbi, quid? II. 384.
 Coma agrypnodes. III. 630.
 ——— comatodes. III. 629.
 Conceptus, qualis prolificus? IV. 33.

- — — — —
- Conceptus, quid faciat ad longævitatē? IV. 31.
 Condimentorum consideratio diætetica. IV. 494.
 Consuetudines paullatim nonnisi mutandæ. IV. 445.
 Contagium, ut causa morborum. II. 270.
 Contraindicans, quid? V. 23.
 Contusionum historia. 547.
 Convulsio. 527.
 Cordis adfectiones. III. 295. &c.
 — morbos detegendi ratio. IV. 105.
 — palpitationis expositio, causæ, phænomena &c.
 III. 295.
 — vulnera. 407.
 Corneæ oculi membranæ vitia. III. 384.
 Corporis structura singularis, ut signum morborum. IV.
 79.
 Crampus. 354.
 Criseos causa. IV. 243.
 Crisin imperfectam, aut perfectam, concernentes ani-
 madversiones &c. IV. 275. 281.
 Crisis quid? IV. 242.
 — quomodo inpediatur. IV. 243.
 Critica materies quid? IV. 242.
 — signa. IV. 26.
 Criticæ evacuationis præsentis signa &c. IV. 262.
 Criticarum evacuationum cætalogus. IV. 263 - 268.
 Criticorum dierum ratio, & historia. IV. 213.
 Cruda in cocta mutans causa. IV. 211.
 Cruditas materiæ morbi, quid? IV. 194. &c.
 Cruditatem cognoscendi ratio, & fontes. IV. 197.
 Crudum in morbis, quid? IV. 196.
 Curæ palliativæ consideratio. V. 408.
 Cutaneorum morborum elenchus, classificatio, curatio.
 V. 163. &c. 172.

D.

- D**ecretoria signa. IV. 26.
 Deglutitiones adfectionum præternaturalium ratio, &
 causæ. III. 38.
 Deliria, circa illa notanda. III. II.
 Depositiones in morbis. IV. 310.

Diabetis expositio, causæ, phænomena, curatio. III.
279.

Diabrosis. 101.

Diæta ægroti. V. 31.

—— ad longævitatē. V. 3.

—— in morbis, quæ circa eam observanda? 477.

Diætæ nimium adstrictæ incommoda. IV. 436.

—— subita mutatio noxia. IV. 431.

Diairesis. 101. 221.

Diapedesis. 100.

Diaphoresis expositio. V. 160.

Diaphragmatis morbos detegendi ratio. IV. 108.

———— vulnera. 433.

Diaphthora. III. 44.

Diarrhœæ expositio, causæ, phænomena, curatio.
III. 126.

Diuretica, eorum expositio. V. 283.

Dolor, ut signum acrimonix humorum. IV. 183.

Dolorem nimium leniendi ratio. V. 412.

Doloris in vulneribus historia. 508.

Durationis morborum æstimatio & præfagium. IV. 307.

Dysenterix expositio, causæ, phænomena, curatio.
III. 151.

Dysorexia, ejus causæ. III. 16. seq.

Dyspepsia. III. 44.

Dyspnoea &c. III. 327.

Dysurix expositio, causæ, phænomena, curatio. III.
270.

E.

Ecchymosis. 221.

Effectus in sensus incurrentes, ut signa naturæ causæ
morbi. IV. 85.

Elephantiasis. V. 166.

Emetica, eorum expositio. V. 213. &c.

———— ulterior eorumdem disquisitio. 226.

Emphraxia. 105.

Empyematis consideratio. V. 137.

———— signa. IV. 92.

Enteritidis signa pathognomica. IV. 19.

- ~~—————~~
- Epidemicorum morborum cognitio ad inlustrationem
 signorum morborum. IV. 80. &c.
 Epigenomena, quæ? III. 10. IV. 21.
 Epilepsiæ expositio, causæ, phænomena, curatio. III.
 508. seq.
 ————— remedia. V. 56.
 Epinyctides. V. 169.
 Erosio partium, ut signum acrimoniæ humorum. IV.
 183.
 Evacuatio critica quando salutaris? IV. 282. 283.
 Evacuationem criticam concernentia axiomata. IV.
 282.
 Evacuationis criticæ diversitas. IV. 282.
 Examen hominis sani, aut ægroti, quomodo instituen-
 dum? IV. 54.
 Exanthematum retropulforum noxæ. IV. 108.
 Excretorum ratio, ut signi coctionis. IV. 211.
 Exostosis. 169.
 Expulsionis ex ventriculo læsiones. III. 46.

F.

- F**æcum alvinarum ratio, ut signi cruditatis. IV. 200.
 Fames canina, aut bovina, ejus causæ. III. 16. 22. seq.
 Faucium morbos detegendi ratio. IV. 90.
 Favus. V. 169.
 Febris semitertianæ historia. V. 433.
 Fibrarum laxitas, aut paralyfis, causa adpetitûs læsi.
 III. 19.
 ————— robur auctum, causa adpetitûs auctioris. III.
 24.
 Filamenta, in urina. IV. 145. 149. 389.
 Fissura. 359.
 Fistula ani, abs operatione curabilis. V. 143.
 Fistulæ lacrymales. III. 381.
 Fluiditatis humorum nimix signa, & medela. IV. 185.
 V. 97.
 Fluxio materiæ morbi, quid? II. 384.
 Fonticulorum actio &c. V. 397.
 Fracturarum ossium historia. 557.

Frictionum efficacia. V. 90.
Frigidi temperamenti signa &c. IV. 63.
Functionum exercitium læsum, ut signum cruditatis.
IV. 198.

———— inminutio, ut signum morborum. IV. 70.
———— læsionis in morbis diversi gradus. IV. 286.
———— restitutio, ut signum coctionis morbi. IV.

210.

Furfures, cum urina prodeuntes. IV. 142. 149.

G.

Gangræna, circa eam notanda. 161.

Gangrænæ idæa. 148.

Gastrici succi vis solvens, circa hanc instituta tentamina. IV. 55.

Gastritidi peculiaria symptomata. IV. 115.

Gastritidis signa pathognomica. IV. 18.

Generatio, quid faciat ad longævitatē? IV. 31.

Genii morbi disparitas. IV. 302.

Genitalium morbos detegendi ratio. IV. 169.

Gestatio in utero, quid ad longævitatē faciat? IV.
33.

Gonorrhææ signa &c. IV. 151.

Gonorrhœicæ materiei insitio artificialis, ejusque effectus. IV. 176.

Gonorrhœicum virus, circa id notanda. II. 346.

Gravidarum appetitus, varia ratione læsus. III. 25.

———— imaginationis &c. actio in fœtum. II. 304.
&c.

Gummi ossium. 169.

Gustus læsi symptomata. III. 496.

HH.

Habitus corporis, quis optimus ratione longævitatē? IV. 35.

Hæmorrhagiæ in vulneribus historia. 504.

———— vulnere, circa ea notanda. 377. &c.

Hæmorrhagias nimias conspescendi ratio. V. 414.

Hæmorrhoidum consideratio, & sanguinem per eas educendi methodus. V. 370.

Hemitritæ febris historia. V. 433.

Hepaticæ adfectiones. III. 218.

Hepatis calculosi instantiæ. IV. 113.

———— morbos detegendi ratio. IV. 110.

Hepatitis signa pathognomica. IV. 17.

Hepatis vulnera. 412.

Herniæ incarceratæ, circa earum curam per avenam inpositam, observata. V. 150.

———— inguinalis signa &c. IV. 172.

Herniarum historia. 258.

HIPPOCRATES circa semeioticam quid scripserit. IV. 9.

HIPPOCRATIS in semeioticis præstantia. IV. 9.

Hirudinum historia medico-chirurgica. V. 378.

Horroris idæa. 150. &c.

Humores, qui ad longævitatem optimi? IV. 38. 39. 50.

Humores Veterum. IV. 65.

Humoris boni defectus. II. 20.

Humorum a statu sano recessus, ut signum cruditatis. IV. 199.

———— circulantium similitudo, ut signum coctionis. IV. 211.

———— corporis adfectiones præternaturales. II. 6.

———— moles aucta. II. 30.

———— minuta. II. 31.

———— nimis dilutorum noxæ. II. 31.

———— particularum varia figura. II. 36.

———— peccans in dissolutionem nisus. II. 107.

———— proclivitas in concretionem. II. 107. 109.

———— rarescentia. II. 108.

———— soliditas aucta. II. 35.

———— inminuta. II. 34.

———— spissitudo, causa sitis. III. 33.

Hydatidum consideratio, V. 134.

Hydropicorum aquæ examen chemicum. V. 493.

Hydropis articulorum historia amplior. V. 114.

———— saccati consideratio. V. 136.

Hydrops, an fomenta aromatica ad ejus curam quid
faciant? V. 142.

Hydrothoracis historia, phænomena, signa, curatio &c.
III. 348.

HYGIEINE. IV. 427.

Hygieinon finis. IV. 428.

Hypopyon. III. 456.

Hysteritidis signa pathognomica. IV. 19.

I.

Ichoris ratio, ut signi cruditatis. IV. 202.

Icteri expositio, causæ, III. 218.

—— historia amplior pathologica. II. *Adpend.* 69. &c.

—— signa. IV. 110.

Idiosyncrasia, circa eam notanda. II. 140.

Idiosyncrasie singulares quarumdam feminarum. IV.
443.

—— ——— variorum hominum. IV. 437.

Idiosyncrasia, quid? IV. 53.

—— ——— ut signum naturæ causæ morbi. IV. 84.

Ignis sacer, S. ANTONII, S. MARTIALIS. V. 170.

Ilei expositio, causæ, phænomena; curatio. III. 170.

—— signa &c. IV. 127.

Incontinentiæ urinæ expositio, causæ, phænomena,
curatio. III. 276.

Incrementum corporis, quid ad longævitatē faciat?
IV. 35.

Incubi expositio &c. III. 669.

Indicans, quid? V. 13. — ejus fontes. 15. seq. 23.

Indicatio curatoria in fluidis evacuans. V. 152.

—— ——— in morbis solidi. V. 79.

—— ——— in morbis corrigens fluida. V. 82.

—— ——— quid? V. 14.

—— ——— vitalis. V. 29.

Indicatum, quid? V. 14.

Indolis, & causæ magnitudinis, & exitus melioris,
aut pejoris, in morbis discrimen, æstimatio & præ-
sagium, horumque fontes. IV. 299. 306. 307.

Inediæ noxæ. II. 222. 229.

Inflammatoriorum morborum ab acutissimis diversitas.
IV. 180.

—

Inguinum morbos detegendi ratio, eorumque ambiguitas. IV. 172. 173. &c.
 Inpetigo. V. 163. 169.
 Intertrigo. V. 165.
 Intestinorum morbos detegendi ratio. IV. 127.
 ————— vulnera. 422. 436. 440.
 Ischuria, de ea observata. IV. 371. &c.
 Ischuriæ expositio, causæ, phænomena, curatio. III. 247.
 Ipecacuanhæ vires variæ. V. 239. seq. alterantes. 239—
 historia. 240. — analysi chemica. 241. — vis emetica. 242. — usus in dysenteria. 244. — antispasmodicus. 248. — in hysteria. 250. — in hernia incarcerata. 250. — in ileo. 251. — in asthmate convulsivo. 252. — in hæmorrhagia uteri. 253. — in hæmoptysi. 255. — in tussi convulsiva. 256. — in diarrhœa. 257. — in febrî intermittente. 257. — in phthisi. 259. —

K.

Keneangeia. 222.

L.

Lacrymarum adfectiones &c. III. 380.
 ————— ratio, ut signi cruditatis. IV. 199.
 Lactis consideratio diætetica. IV. 475.
 ————— humani examen chemicum. IV. 479.
 ————— ratio, ut signi cruditatis. IV. 204.
 Laryngis &c. vulnera. 431.
 Laterum dolor spasmodicus puerperarum. IV. 99.
 Laxitas nimia. 84.
 Leinteriæ expositio, causæ, phænomena, curatio. III. 115.
 Leipopsychiæ causæ &c. III. 316.
 Leipothymiæ causæ &c. III. 316.
 Lentis crystallinæ adfectiones, III. 419. 432.
 Lentor humorum. IV. 187.
 Lepra. V. 166.
 Lethargi expositio, causæ &c. III. 617.

- Lichen. V. 163.
 Lienis inflammati signa pathognomica. IV. 20.
 ——— vulnera. 412.
 Ligamentorum adfectiones præternaturales. 227.
 ——— disruptio. 356.
 Lochiorum ratio, ut signi cruditatis. IV. 204.
 Longævitas Protoparentum. IV. 31.
 Longævitatis provectæ prælidia. V. 10.
 ——— signa. IV. 29. seq.
 ——— variæ vicissitudines. IV. 31.
 Luxatio humeri, pedis, aut manûs, repositionis metho-
 dus. V. 145. 147.
 Luxationum historia. 229.
 Lymphæ pancreaticæ, hepatis, intestinorum, adfectio-
 nes. III. 241.
 ——— pancreatis & intestinorum excretio, ut
 causa morbi. II. 322.

M.

- M**alacia, ejus causæ. III. 17. 25. seq.
 Malignitas morbi in acutis, quid? IV. 188.
 Manducationis adfectiones præternaturales, earumque
 causæ. III. 33. seq.
 Materiei morbi motæ per vires vitæ qui effectus? IV.
 245. &c.
 Maturatio in morbis. IV. 209.
 Mediastini morbos detegendi ratio. IV. 101.
 Medicamentorum actio varia in corpus humanum. IV.
 437.
 Medicinæ origo, fata varia, impedimenta, progressus &c.
 8.
 Medicina quas requirat scientias? 12.
 Medicinam qui tradiderunt, Auctores varii. 10.
 Medullæ spinalis vulnera. 405.
 Melancholica temperies IV. 67.
 Membranzæ tendinum nervorumque læsiones. 389.
 Membranulæ, in urina. IV. 147. 149.
 Menagoga, eorum expositio. V. 288.
 Menstruorum ratio, ut signi cruditatis. IV. 203.
 Mercurii sublimati corrosivi in adfectionibus siphyliti-
 cis vires. IV. 156.

- — — — —
- Mefentericæ febres. IV. 121.
 Mefenterii infarctus cum infarctu glandularum colli
 ventreque tumido junctus. IV. 122.
 ——— morbos detegendi ratio. IV. 121.
 ——— vulnera. 414. IV. 122.
 Metastafes in morbis. IV. 310.
 Meteororum actio in corpus. II. 200.
 Methodus medendi. V. 18.
 Mictus cruentus. II. 336.
 ——— sanguinei variæ causæ. IV. 140. 387.
 Miliaria. II. 90.
 Morbi cavitatis auctæ, minutæ, 97. 104. &c.
 ——— causa, quid? ejus divisio varia. II. 128. 132.
 ——— causæ naturam indicantia signa. IV. 83.
 ——— cohæfionis malæ. V. 80.
 ——— compositionis in partibus organicis. 224.
 ——— fibræ minimæ. 80.
 ——— humorum. II. 3.
 ——— idæa. 71. seq.
 ——— magnitudinis. III. 220.
 ——— membranæ minimæ, & ex ea compositorum sen-
 fim vasorum majorum. 84. &c.
 ——— numeri. II. III.
 ——— organici, eorumque varia ratio. 90.
 ——— ossium, eorum varia divisio, causæ, phænome-
 na, curatio. 114.
 ——— præsentis signa. IV. 83.
 ——— quies & decrementum, ut signum coctionis. IV.
 209.
 ——— similes. 80.
 ——— situs, & nexûs organicarum partium. 224.
 ——— superficiei, internæ, externæ, cavorum. 95. &c.
 ——— symptoma, quid. III. 7.
 Morborum differentia. 78.
 ——— futurorum signa. IV. 76.
 ——— internorum signa. IV. 86.
 ——— metamorphoses reciproçæ. IV. 310.
 ——— periculi diversitas pro ratione temperamen-
 torum. IV. 188.
 ——— præteritorum signa. IV. 82.
 ——— varia divisio. II. III.

— — — — —

Morbos leviores reddendi, derivandi, & præcavendi ratio. IV. 311.

Motum humorum nimium corrigendi ratio. V. 106.

Motus assiduus, causa appetitus auctioris. III. 25.

----- corporis consideratio diætetica. IV. 506. 513.

----- corporis in sanitatem tuendam actio. IV. 436.

----- humorum excedentis emendatio. V. 105.

----- nimii muscularis effectus. II. 271.

Muci ratio, ut signi cruditatis. IV. 200.

Mucosa & viscosa, cum urina prodeuntia. IV. 142, 389.

Musculorum bulbi oculi adfectiones. III. 447.

----- crampi. 354.

N.

Nævorum maternorum exstirpatio. V. 143.

Narium morbos detegendi ratio. IV. 89.

Nativitas, quid ad longævitatē faciat? IV. 34.

Nauseæ, expositio, causæ, phænomena, curatio. III. 64. seq.

Nephritidis signa pathognomica. IV. 19. 131.

Nervorum cardiacorum vulnera. 406.

----- læsiones, earum effectus &c. 381. 471. seq.

----- morbi. III. 508. seq.

Nexus in partibus vitæ. 224.

Nicotiana, causa appetitus læsi. III. 21.

----- circa ejus historiam anecdota. II. 313. vires ejusdem. 315.

Nitri vis refrigerans, circa eam notanda. II. 252.

Nodus ossium. 169.

Notæ rei characteristicæ. IV. 8.

O.

Obesitas, causa appetitus læsi. III. 20.

Oculi fabrica, circa eam animadversiones &c. III. 363. seq.

Oculorum morbi. III. 361.

Occupationum varietatis effectus pro tuenda sanitate, V. 7.

Odon-

- Odontalgia historia. 185.
Oesophagi paralytis. III. 38.
—— spasmus, ejus curatio. III. 38.
—— vicinarumque partium *χονδρογενια*. III. 41.
—— vulnera. 436.
Olei prædominantis signa &c. IV. 188.
Oleositatis alimentorum nimia noxa. II. 254.
Oleum, injectum enemate, in urina denuo adparens
inmutatum. IV. 391.
Olfactus læsi symptomata. III. 486. ■
Omenti adfecti observatio. IV. 125. 126.
—— in gravidis frequentiores adfectiones. IV. 126.
—— morborum diagnosis obscura. IV. 123. 125.
—— morbos detegendi ratio. IV. 123.
Ophthalmia ratio, phænomena &c. III. 416.
Orbitæ oculi ossæ adfectiones. III. 367.
Oris etque adnexarum partium varia vitia, causæ ad-
fectionum præternaturalium manducationis & deglu-
titionis. III. 33. 38. &c.
Orthopnoeæ notio. III. 332.
Ossium caries. 131. 170. 174.
—— emollitio. 122. II. 55.
—— fabrica, genesis, circa eam observata. 115.
—— inflammatio. 137. seq. 165.
—— morbi, eorum varia divisio, causæ, phænome-
na, curatio. 114.
Otii effectus. II. 290. V. 4.
Otium, causa adpetitus læsi. III. 20.
Ovarii adfectiones. IV. 127.
Ovorum consideratio. IV. 486.
Ozænæ narium historia, signa, &c. III. 491. IV. 89.

P.

- P
alliativæ curæ consideratio. V. 408.
Palpebrarum adfectiones, phænomena &c. III. 369.
Pancreatis inflammati signa pathognomica. IV. 20.
—— morbi varii. II. 332.
—— morbos detegendi ratio. IV. 118.
—— scirrhi. IV. 118.
—— vulnera. 413.

- Papulæ. V. 164.
 Paralyſis expoſitio, cauſæ &c. III. 630.
 Paraphrenitidis ſigna pathognomica. IV. 17.
 Paraplegiæ expoſitio, cauſæ &c. III. 613.
 Parapoplexiæ expoſitio, cauſæ &c. III. 612.
 Pareſeos expoſitio, cauſæ &c. III. 616.
 Paronychia. 209.
 Pathologia, ejus diviſio, & objecta. 47.
 Peracuti morbi. IV. 180.
 Pericardii inflammationis ſigna. IV. 102.
 ————— morbos detegendi ratio. IV. 102.
 Per culi in morbis magnitudinis æſtimatio, & præſagium.
 IV. 307.
 Periosteï inflammatio ejusque ſequellæ. 137. 165.
 Peripneumoniæ ſigna pathognomica. IV. 16. 103.
 Peritonæi inflammati hiſtoria. IV. 123.
 Permittens, quid? V. 23.
 Perſpiratio ſanctoriana inminuta, ut ſignum morborum.
 IV. 76.
 Perturbationes criticæ. IV. 27. 247.
 Peſtis, circa eam notanda. II. 122. V. 42. &c.
 Phænomenon, quid? IV. 13.
 Phalangofis. III. 373.
 Phlebotomes expoſitio. V. 353.
 Phlegmatica temperies. IV. 67.
 Phlyctenæ. V. 169.
 Phrenitidis ſigna pathognomica. IV. 15.
 Phthiſeos pulmonalis purulentæ ſigna. IV. 103.
 Pica, ejus cauſæ. III. 17. 25. ſeq.
 Pili, in urina. IV. 144. 149. 389.
 Pinguedo corporis liquata, urinæ innatans. IV. 392.
 Pituita iners, cauſa adpetitûs læſi. III. 18.
 Pituita, ut cauſa morbi. II. 380.
 Pituitoſi morbi. IV. 187.
 Plethoræ deſcriptio, cauſæ, phænomena &c. II. 9.
 Pleuræ morbos detegendi ratio. IV. 99.
 Pleuritidis decuſus. IV. 21. &c.
 ————— ſigna pathognomica. IV. 15.
 Podagræ cauſæ. II. 59.
 Polypi cordis & arteriarum ratio. IV. 106.
 ————— narium hiſtoria &c. III. 488.
 Potulentorum actio varia in corpus. II. 215. IV. 435.
 Potus

←————→

Potus consideratio diætetica. IV. 495. 513.
 Praxis medica, quid? 7.
 Proëgumenæ causæ, ad inlustrationem signorum morborum. IV. 80.
 Prolapsus uteri signa &c. IV. 169.
 Prolapsuum historia. 344. uteri 345. — vesicæ. 350. —
 intestini recti. 351.
 PROPHYLAXIS. IV. 512.
 ————— therapevtike. V. 32.
 Pulmonum adfectiones. III. 243.
 ————— in phthificis variis conditio. IV. 103.
 ————— morbos detegendi ratio. IV. 103.
 ————— vomicæ &c. signa. IV. 94.
 ————— vulnera. 411.
 Pulsus arteriæ, ut signum, ejusque diversimoda consideratio IV. 316. &c.
 ————— arteriarum intermittentis phænomena &c. III. 302.
 ————— crebrioris phænomena &c. III. 313.
 ————— inminutio, seu deletio. III. 315.
 Pulveris platearum noxæ. II. 201.
 Punctura. 359.
 Pupillæ adfectiones. III. 417. 432.
 Purgantia, eorum expositio. V. 261.
 Purgationum consideratio diætetica. IV. 509.
 Puris ratio, ut signi cruditatis. IV. 202.
 Pus, cum urina prodiens. IV. 142. 149. 389.

Q.

Qualitates Veterum IV. 65.
 Quartanæ signa. IV. 8.
 Quietis nimix musculorum effectus. II. 288.

R.

Rene unico instructorum exempla. IV. 133.
 Renum morbos detegendi ratio IV. 131.
 ————— vulnera. 412.
 Repletionis nimix ventriculi noxæ. II. 215.

—————

Repugnans, quid? V. 23.
 Resolutio morbi. IV. 26.
 Respirationis læsæ symptomata. III. 323.
 ————— ut signum, ejusque varia consideratio. IV.
 344.
 Retinæ membranæ adfectiones. III. 435.
 Rheumaticæ adfectionis à pleuritide diversitas. &c.
 IV. 179.
 Rigiditas nimia. V. 80.
 Ructuum expositio, causæ, phænomena, curatio III. 108.

S.

Salini subpressio, causa adpetitûs læsi. III. 18.
 Salis prædominantis signa &c. IV. 188.
 Salivæ analysi chemica, cum novis circa ejus indolem
 ac usum animadversionibus. V. 194.
 ————— defectus, causa adpetitûs læsi. III. 21.
 ————— excretio, ut causa morbi. II. 310,
 ————— ratio, ut signi cruditatis. IV. 200.
 ————— vitia. III. 501.
 Sanctoriani perspirabilis excretio, ut causa morbi. II. 367.
 Sanguinea temperies. IV. 67.
 Sanguinis adfectiones. III. 242.
 ————— analysis chemica. V. 475.
 ————— aquosa indoles, causa adpetitûs læsi. III. 20.
 ————— excretiones, ut causæ morbi. II. 335.
 ————— indoles, circa eam observata. II. 21. seq.
 ————— ratio, ut signi cruditatis. IV. 202.
 Sanitas non omnibus eadem & æqualis. IV. 58.
 ————— perfectissima. IV. 27.
 ————— secundum temperamentum. IV. 27.
 Sanitatis optimæ & longævitatatis signa physica. IV. 49.
 ————— signa generalia. IV. 27.
 ————— singularis signa. IV. 53.
 Sardonici risus varii fontes. IV. 108.
 Scabies. V. 153.
 Scarificationis expositio. V. 374.
 Scillæ vires. V. 235. &c.
 Scirrhi oesophagi signa. IV. 90,
 Scissura. 358.
 Secretorum ratio, ut signi coctionis. IV. 211.
 Sedentariæ vitæ effectus. II. 290.

SEMBIOTICA. IV. 6.

Semeiotices dignitas. IV. 9.

Seminis excretio ut causa morbi. II. 344.

Semitertianæ febris historia. V. 433.

Seri sanguinis examen chemicum. V. 489.

Setaceorum actio. V. 397.

Sialogoga, eorum expositio. V. 189. &c.

Siccitas, causa fitis. III. 33.

Signa anamnestica. IV. 14.

— diagnostica. IV. 13.

— durationis morborum, unde petenda? IV. 307.

— & curatio triumphantium symptomatum morbi, non vitæ. IV. 274. seq.

— indolis, causæ magnitudinis, exitus boni malive in morbis, unde petenda? IV. 299. 306.

— metastasium futurarum in morbis, unde derivanda? IV. 310.

— morbi futuri alterius, unde deducenda? IV. 308.

— morborum. IV. 7.

— pathognomica. IV. 14.

— periculi in morbis, unde petenda? IV. 307.

— quibus internoscuntur symptomata critica a morbofis. IV. 250.

— salubritatem &c. evacuationum criticarum indicantia. IV. 268—274.

— sanitatis singularis. IV. 53.

Signorum essentialia. IV. 8.

— & symptomatum primariorum, crisin evacuantem præcedentium, enumeratio. IV. 253—252.

— morborum acutorum, in humoribus natorum, fontes varii. IV. 179. 182.

— periculi magnitudinem denuntiantium diversitas ab aliis, quæ vim morbi minorem indicant. IV. 182.

Singultus expositio, causæ phænomena, curatio &c. III. 46 seq.

Sitim nimiam leniendi ratio. V. 411.

Sitis adfectiones præternaturales, earumque causæ. III. 33.

— causa adpetitus læsi. III. 31.

— ut signum in acutis. III. 33.

Soli actio in corpus. II. 194.

Solidorum quæ ad sanitatem optimam ratio? IV. 50. &c.

Somni consideratio diætetica, IV. 508. 514.

— — — — —

Somni excedentis effectus. II. 291.
 Sordes primarum viarum. III. 19.
 Specifica antidiota. V. 49.
 Sphaceli idæa. 148.
 Spinæ bifidæ expositio. III. 643.
 Spina ventosa, ejus historia. 171.
 Spirituosorum potuum abusus noxius. IV. 432.
 Spissitudinis nimie correctio. V. 102.
 Splenis morbos detegendi ratio. IV. 113.
 Splenitidis, eamque excipientis subpurationis splenis,
 historia. IV. 113.
 Sputi ratio, ut signi cruditatis. IV. 200.
 Stenochoria. 108.
 Sternutatio, circa eam notanda. III. 544.
 Stimulantia remedia. V. 401.
 Stomachi vulnera. 415.
 Studii intensi effectus. II. 294.
 Studium litterarum, ratione longævitatatis spectatum. V. 6.
 Subpurationis idæa. 143.
 Sudorifera, eorum expositio. V. 153.
 Sudoris excretio, ut causa morbi. II. 362.
 Sudoris ratio, ut signi cruditatis. IV. 199.
 Suture, circa eas observationes. V. 148.
 Symphysis. 109.
 Symptoma causæ, quid? III. 8.
 ————— morbi, quid? III. 7.
 ————— symptomatis. III. 9.
 Symptomata critica, quid? IV. 248.
 Symptomatologia. III. 7.
 Symptomatologiæ utilitas. III. 13.
 Symptomatum augmentum, ut signum cruditatis. IV. 198.
 ————— criticorum cum symptomatibus à causa
 morbi confusio, & inter ea requisita distinctio. IV. 248.
 ————— inminutio, ut signum coctionis. IV. 210.
 ————— vehementiam infringendi ratio. V. 409.
 Synopes causæ &c. III. 316.

T.

Tactus læsi symptomata. III. 504.
 Tartari emetici vires. V. 232.
 Temperamenti calidi signa &c. IV. 59.

- >
- Temperamenti frigidi signa &c. IV. 63.
————— ficci signa &c. IV. 63.
————— vocis abusus. IV. 28.
- Temperamentorum combinationes. IV. 74.
————— doctrinæ uti itas. IV. 71. &c.
————— variorum diæta. IV. 66. &c.
- Temperamentum, quid? IV. 53.
- Temperatura hominis sani perfectissima generalis. IV. 53.
- Tenacitatis humorum nimix signa. IV. 186.
- Tendinis Achillis abscissi curatio. V. 148.
- Tendinum disruptio. 357.
———— læsiones. 387. 471.
- Tenesmi diveritas pro ratione causæ. III. 169.
- Terræ prædominantis signa &c. IV. 188.
- Terroris actio mira in corpus. V. 62.
- Testiculi venerei, insitione materiei gonorrhœicæ curati. IV. 176. &c.
- Tetanus. 374. 519. &c.
- Theæ potus consideratio. V. 103.
- THERAPEVTIKE. V. 12.
- Therminthi. V. 169.
- Thlipis. 108. 223.
- Thoracis morbos detegendi ratio. IV. 92.
———— vulnera. 432. 440.
- Thrombi, in urina. IV. 144. 149. 389.
- Tinea. V. 168.
- Tophus ossium. 169.
- Toxikophagiæ quorundam hominum expositio. IV. 442.
- Transfusio sanguinis. II. 8.
- Tumorum carnosorum, pinguedinosorum idæa. III.
- Tussis convulsivæ notio &c. III. 334.
- Tympanitidis notio, phænomena, &c. III. 219.

U.

- U**reterum, calculis aliisque præternaturalibus conditionibus adfectorum, exempla, ac observationes. IV. 134.
———— morbos detegendi ratio. IV. 134.
———— vulnera. 440.
- Urethræ morbos detegendi ratio. IV. 151.
- Urinæ analyfis chemica, à C. WEBER instituta. IV. 409 — 426.

- — — — — excretio nimia, aut subpressio, ut causa morbi. II. 356.
- — — — — humanæ principia vera constitutiva. IV. 426.
- — — — — ratio, ut signi cruditatis. IV. 201.
- — — — — secretionis adfectiones. III. 247.
- — — — — ut signi varia consideratio. IV. 359.
- Uroscoporum fallaciæ, earumque expositio. IV. 365.
- Uvæ adfectiones. III. 416.
- Uteri morbi inflammatorii & subpuratorii; circa eos observationes. IV. 161. &c.
- — — — — morbos detegendi ratio. IV. 161. &c.
- — — — — vulnera. 422.

V.

- Vaporum aquæ calidæ efficacia. V. 88.
- Variolarum insitionis in universon spectatæ, & Vindobonæ facta, historia. V. 295.
- Varix. 549.
- Vasorum contractio nimia. 110.
- Vasorum lymphaticorum, adiposorum, venosorum, læsiones. 390.
- Venæsectio, in rheumaticis instituta, malos subin producere potest effectus. V. 142.
- Venarum magnarum vulnera. 429. 438.
- Venena nonnulla sensu, lenteque aucta dosi corpori ingesta demum sat magna ferri queunt. V. 442.
- — — — — ut causæ morborum. II. 270.
- Veneni, corpore suscepti, expulsio. V. 65.
- Venenorum antidota, dispositio &c. V. 36. seq. 53. &c.
- — — — — pro varietate doseos diversa actio. IV. 439.
- Ventorum actio in corpus. II. 210.
- Ventriculi adfectiones præternaturales. III. 44. 45. &c.
- — — — — morbos detegendi ratio. IV. 115.
- — — — — scirrhus. IV. 118.
- — — — — subpurationes. IV. 117.
- — — — — tumoris effectus. IV. 120.
- — — — — vulnera. 415. 436.
- Vermes, causa adpetitus læsi. III. 23.
- — — — — in cerebro. III. 545.
- Vermes in naribus III. 495.
- — — — — in urina. IV. 146. 149.
- Vermium in intestinis ac aliis corporis humani locis obcurrentium historia, divisio, symptomatum ab iis productorum descriptio, medella. III. *Adpend.* 5.

- — — — —
- Vertiginis expositio, causæ, phænomena, curatio. III. 557.
- Vesicæ adfectiones. III. 247.
- calculi signa &c. IV. 139.
- morbos detegendi ratio. IV. 139.
- urinariæ adfectiones præternaturales variæ. IV. 140.
- excreta varia præternaturalia. IV. 140.
- vulnera. 424. 440.
- Vesicantium actio &c. V. 401.
- Vestimentorum consideratio diætetica. IV. 515.
- Vias meabiles reddendi ratio. V. 85. &c. 94. seq.
- Victus sordidissimus quorundam populorum IV. 432.
- Vigiliarum nimiarum effectus II. 278.
- Vigilias nimias leniendi ratio. V. 412.
- Vigor morbi, ut signum cruditatis. IV. 198.
- Vini austriaci consideratio physico-chemica. IV. 502.
- Viperarum venenum. V. 67.
- Vires vitæ. V. 29.
- insurgentes, ut signum coctionis. IV. 209.
- Viridescentium fæcum, aliarumque excretionum causæ.
II. 64.
- Visus læsi symptomata. III. 361.
- Vitæ ratio variarum gentium, diversissima. IV. 429.
- variæ effectus pro tuenda sanitate V. 4.
- varii gradus. 60.
- Vitiligo. V. 164.
- Vitrei humoris vitia. III. 434.
- Volvulus, ejus ratio, indoles, effectus. III. 180.
- Vomicarum, inter pleuram & costas consideratio. V. 139.
- ventriculi & pylori instantiæ. IV. 117.
- Vomitoriorum formulæ, ratio, cautellæ circa ea obser-
vandæ, eaque indicantia, & contraindantia &c. III. 75.
- Vomitu resectorum ratio, ut signi cruditatis. IV. 200.
- Vomitûs expositio, causæ, phænomena, curatio. III.
64. seq.
- Vulnera abdominis. 544.
- capitis. 539.
- lethalia, quæ? 401. &c. 441. &c.
- thoracis 543.
- Vulnerum, in genere spectatorum, historia, causæ,
differentiæ phænomena, &c. 357. &c.
- — — — —

ANTONII DE HAEN,

QUONDAM

S. C. R. APOSTOL. MAJESTATI A CONSILIIIS ET ARCHIA-
TRI, MEDICINÆ IN ALMA ET ANTIQUISSIMA UNIVERSI-
TATE VINDOBONENSI PROFESSORIS PRIMARII &C.

TRACTATUS

DE

VERMIBUS


INTESTINORUM CORPORIS HUMANI,

ET

ICTERO.

COLLEGIT, RECENSUIT, ADDITAMENTIS CŒPIOSIS AUXIT,
EDIDIT

F. DE WASSERBERG.



V I E N N Æ,

APUD RUDOLPHUM GRÆFFER. 1780.

THE NATIONAL ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

THE NATIONAL ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES
SMITHSONIAN INSTITUTION
WASHINGTON, D. C.

THE NATIONAL ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES


VOLUME 1

THE NATIONAL ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

THE NATIONAL ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

THE NATIONAL ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

THE NATIONAL ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES



THE NATIONAL ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES
SMITHSONIAN INSTITUTION
WASHINGTON, D. C.

ANTONII DE HAEN, &c.
TRACTATUS
DE
VERMIBUS
INTESTINORUM,
ET
ICTERO;
EDIDIT
F. DE WASSERBERG.

ANTONIUS DE HAREN, 62

TRACTATUS


VERMIBUS

INTESTINALIUM.

ICTERUS

ET DE MALARIA.

PRÆMONENDA.



*S*eorſim excuſas hic exhibeo Celeberrimi
Antonii DE HAEN diſſertationes binas, DE
VERMIBUS, ac DE ICTERO, & ad hunc
pertinentibus adfectionibus felleis. Partem
conſtituebant majoris operis PRÆLECTIONUM
PATHOLOGICARUM in INSTITUTIONES ME-
DICAS H. BOERHAAVE. Lucratus inde fui
inprimis, ut varia adferre potuerim ſcitu uti-
lia, quæ alias reticere omnino debuiffem. --
Fors plures hujuscemodi ſejunctas quorundam
morborum hiftorias emittam in lucem. Adtuli
in acceſſionibus meis, qualibuscunque, varia,
quæ, a HAENIO prætermiſſa, utilia ſcitu cre-
didi.

didi. Scripsi eas, ut aliquantulum prodes-
fem TIRONIBUS ; non, ut erudirem So-
PHOS. Plurima adferri potuisse, ne obiciant
mihī ARISTARCHI, quum fatear ipse.

F. DE WASSERBERG.



PRÆMONENDÆ.

Quæ huic Tomo præmittenda censui, unice dispositionem concernunt operis; nam ipsam ejus rationem dudum dixi. --- Quum AETIOLOGIA præcipuum Tomo secundo dicatarum filerarum expleret numerum, SYMPTOMATOLOGIÆ vero vix initium addere possem, ni voluminum abnormem nimis reddere vellem magnitudinem, aut res sibi plurimum adfines parum apte divellere; quum præterea nundinæ essent præ foribus, — AETIOLOGIAM unice Tomo huic secundo inserui. Ast, quum minor mole hac ratione prodiiisset; DIATRIBEN DE VERMIBUS & ICTERO subjunxi, paginarum ordine sibi proprio circumscriptum, quum, speciali sub titulo, in lucem illam dare constitueram, & nunquam non succedaneorum sub idæa, ut spectetur, velim. ---

Adjeci hæctenus animadversiones & frequentiores & ampliores; rariores brevioresque in sequentibus eas interferam: hoc ut facerem

rationem continet consilium Domini EDITORIS: beati HAENII Prælectiones Pathologicas, paucis, quantum fieri queat, comprehendere voluminibus, ut eo faciliori negotio Asclepiadeæ Artis Tirones sibi illas possent procurare. Multum autem aliunde restat operis; ideo in Commentariis, quibus alias Prælectiones inlustrassem, brevior omnino esse debebo. Quum tamen non pauca sint, in quibus ab Inl. AUCTORE, ob minime otiosas rationes, dissentio; ubicunque talia occurrent, monebo. Plura huc facientia in ipso opere pag. 350. dixi; unde repetitione hic supersedendum erit.

Cæterum in opere majori COMMENTARIORUM PHYSICO-MEDICORUM, cujus ichnographiam nunc delineo, infinita continebuntur, quæ inlustrando HAENIANO OPERI inservient, & quæ, quum inibi adlaturus sim, tuto hic intacta relinquere potero.



DE VERMIBUS.

Ad *ingesta* quoque pertinent *ovula animalculorum* in aëre dispersa & a nobis deglutita; quæ forte causa, una cum ovulis inhærentibus fructibus horræis, (& tum ovulis, tum ipsis insectis, quæ inhærent piscibus, aquæ, caseo &c.; nam hæc substantias vix non Omnes pro vermium generationi faventibus habent :) maxime communis est variorum in corpore humano occurrentium vermium.

Inferam ergo hic operis hujus *Boerhaaviani Sphum* 792. *Ova insectorum cum aëre, potu, cibo, corpori ingesta* &c. *HIPPOCRATES l. 4. de morbis edit. Foëfian. p. 511. & 512.*, statuit, vermes in utero materno Infanti connasci, ex excrementis tamdiu ibi retentis; quum impossibile esset, ut in Infantis jam nati intestinis nascerentur, alvo quotidie exonerata, tempus enim tum non adesse. Notandum est, Veteres omnes in ea

fuisse opinione, qualis & ARISTOTELIS fuit, vermes produci a putredine; ut adeo ARISTOTELES, qui sæculo circiter post HIPPOCRATEM floruit, non Pater hujus opinionis, sed Transmissor traditionis veteris ad posteritatem censendus sit. Microscopia detecta incitaverunt Philosophos, insectorum rimari naturam, eorumque ope mirum generationis genus illorum detexere. (Circa refutationem theoriæ: animalcula ex putri nasci posse, præcipue bene meruit egregius *Franciscus REDI*; qui etiam tentamina pulcra instituit, & in opusculo descripsit nitido, *de animalculis vivis, quæ in corporibus animalium vivorum reperiuntur, observationes*, quod *Petrus COSTE* ex etrusca lingua in latinam transtulit &c.: experimenta hæc multi Medicorum ignorasse videntur, quum ne minimam quidem, de hac re agentes, eorum ciant mentionem. Multum autem abest, quin nobis totum jam generationis insectorum pateat negotium.)

Animalium exsanguium (*) aut insectorum, ab incisuris in cervice, vel pectore, (& reliquo corpore; unde & græcum nomen: *έντομον*,) historia jam est enucleatior quam olim; post indefessos labores hominum, quos ad id opus adaptatos ac veluti a natura fabrefactos jure merito dixeris: *LEEUWENHOEKIOS* ajo, *SWAMMERDAMIOS*, *HARTSOEKEROS*, *BIANCHIOS*, *VALLISNERIOS*, *TREMBLEYOS*, *REAUMURIOS*, *BONNETOS*. (Præter hosce plurimi adhuc, si locus excurrendi foret, jure meritissimo nominari possent & deberent; quos invitus reticeo.) Hi quippe Viri, vera
hi-

(*) Scio quidem, Batavis insecta communi termino vocari *bloedeloose diertjens*, animalcula sanguine cassa; uti ea etiam vocavit *BLANCARD* in *Schouw-Bury der Rupsen, Wormen* &c. *Amst.* 1688. 8. & *ALDROVANDUS* in *Opere de Exsanguibus* &c. *Bonon.* 1642. hac etiam usus voce; interea tamen non adæquatissima, exactissimo sensu, ea est denominatio: quin insecta dantur, vero instructa sanguine.)

historiæ naturalis oracula & ornamenta, nobis prælucebunt facem.

(In univcrsum hic laudare debeo circa historiam vermium in corpore humano habitantium, tum & symptomatum quæ excitant, & diagnoseos & curæ, optimam *dissertationem Cl. Viri, nunc, Anatomicorum Principis magni ALBINI, in cathedra anatomica Academiæ Lugduno - Batavæ Successoris, Gualteri van DOEVEREN, de vermibus intestinalibus hominum Lugd. Bat. 1753. 4.*; quæ in gallicum traducta fuit sub titulo: *Observations physico-medicales sur le ver solitaire &c. Lyon 1764. 8.* anno autem 1776. in germanicum a D. *Theod. Thom. WEICHARDT* traducta, & accessionibus plurimis aucta prodiit *Lipsiæ*, sub titulo: *Walth. v. Doeveren 1c. Abhandl. von den Würmern in den Gedärmen des menschlichen Körpers 1c.* — In hac dissertatione, tum & in *Commentariis Inl. van SWIETEN ad Aphor. BOERHAAVII 1359—1374.*, ac in *celeberrimi Archiatri & Equitis Nils ROSEN von ROSENSTEIN &c. præstantissimo opere: Unweisung zur Kenntniß und Kur der Kinderkrankheiten, aus dem Schwedischen übers. u. m. Anmerkung. verm. v. J. H. Murray 1c. Gotha 1774.* non solum egregia circa hanc Pathologiæ partem præcepta traduntur; sed & Auctores enumerantur, qui de vermium historia naturali, pathologica & therapeutica optime fuerunt meriti: quorum itaque enumeratione tanto melius hic supersedere potero, quanto certius confido, fore, ut in cujusvis Medici supellectili litteraria, & encephalo, Triumvirorum illorum scripta contineantur. De *ascaridum* historia optime meruit *Celeb. M. van PHELsum* in *Historia ascaridum physiologica, Leovardiæ 1762* & in *Historia ascaridum pathologica, ibid. 1769*; quorum operum lectio-

tionem multum commendo. — Laudari etiam hic meretur *Cl. Dav. Cornel. RAUH Diff. de ascaride lumbricoide LINNÆI, Gotting. 1779.* ex qua dein præcipua adferam. &c. &c.)

Igitur Virorum illorum indefatigata curatissimaque industria constitit, majora (& minora & minima) animalia omnia varii generis insectis infestari, tam in exterioribus, quam in interioribus partibus: quamlibet plantam, pusillam æque ac magnam, animalcula sibi propria alere: alia in radice, alia in ramis, alia in foliis, alia in flore, in fructu, (& nucleo) denique degere alia.

Sed, quod magis mirum, demonstratum etiam fuit, infecta hæc minima adhuc adfligi insectulis infinito exilioribus: neque adhuc finem dari; sed memoratis omnibus longe subtiliora in aëre volitare, oculis quam acutissime armatis tantum conspicienda, quæ seminia sua in aqua ponant: seminia hæc inibi excludi, adolescere (animalcula), tuncque relicta aqua ex forma pisciculorum in volitantium formam mutari; quorum foret tanta exilitas, ut multa millia ne granum quidem fabuli æquent.

Hæc tenella animalculorum ovula in aëre volitantia, in aqua ut plurimum hærentia, deglutimus, foveamus, pituita ventriculi & intestinorum includimus; excludimus, nutrimus, propagamus, (habitaculum subpeditando, solum, & alimentum); torquemur sæpe iisdem & occidimur. Animadvertitis, quod dicam, nos cum aëre inspirare, salivæ inviscare deglutireque hæc ovula: cæterum una cum aqua bibimus, (comedimus cum caseo, fructibus horraïis, carnibus ferinis aliisque; inprimis, observante *Cel. ROSEN*, cum piscibus, etsi coctis: quod notent, qui perditæ amant jura, piscium intestina, visceraque reliqua, vix, aut, in diversoriis inprimis maximam partem, profus non purgata,

gata, continentia: quæ jura verum decoctum fiſunt excrementorum, faſciolarum, aliorumque inſectorum, inteſtina piſcium inhabitantium. Cur miramur nos, Romanorum palato adriſſe vermes illos *coſſos*, farina faſginatos? cur miramur, Americanos in deliciis habere frixos, aut affatos alios vermes, maximos, digitum volumine corporis æquantes; nos, inquam, qui decoctum tale optimo cum adpetitu comedimus; qui, vel ſaltem Nonnulli noſtrum, ficedularum ſtercus pro ambroſia menſis adponimus, ventriculosque turdorum, baccis juniperi, ſed & ſcolopendris, aliisque copioſis inſectis frequentiffime turgidos, vel carnes ferinas, vermibus farctas, aut caſeum totum quantum in animalcula mutatum, abs hæſitatione, avidique expetimus; abſurdam illam adferentes rationem: inſecta illa omnia utique ex cibis iisdem natos eſſe? —)

In ſummis turrium faſtigiis ſemina plantarum agre evecta de terra eſſe demonſtrant genitæ ibidem plantæ; ſi hæc eo pervenire potuerunt, ergo & animalculorum ova in aëre volitare poſſunt, & a nobis una cum aëre in corpus duci. (v. hic potiffimum LEEUWENHOEKIUM *T. I. Epist. 71* & *T. II. Epist. 96.* ac LANCISIUM *de noxiis paludum effluviis c. 16* &c.)

Etiam cum alimentis adſumimus hæc ovula; dum v. c. cum fructibus horræis sæpe ingentem vim feminum animalculorum in corpus ingerimus, &c. (Id jam antea dictum.)

Quamobrem multi ſapientes Viri crediderunt, non niſi ab ingeſtis oriri vermes; ideoque Infantem, quamdiu lacte materno utitur ſolo, vermibus nullis obnoxium eſſe; tunc autem obnoxium illis fieri, quando incipit aliis uti alimentis, & maxime fragis, ribeſiis, ceraſis, (præcipue rubi idæi fructibus, qui frequentiffime in ſuis cavitatibus recondunt vermiculos.)

Sed sunt exempla plura vermibus laborantium Infantum, lacte materno solo victitantium; qualia v. c. refert DOLÆUS in *Encyclopædia med.* l. 6. c. 1.; VALISNIERI in *Epistola ad LANCISIUM*; CLERICUS (*de lumbrico lato*) p. 345., ex WOLFIO; RAULIN *des maladies par les variations de l'air* 1752. (v. circa hanc sententiam c. 5. *dissert. Cl. VAN DOEVEREN.*)

Anno 1744. mense Novembri mihi contigit sequens casus: Infans vix 12 septimanarum nunquam vel minimum quid alimenti sumserat, præter lac maternum, & nonnunquam pultem ex pane albo cum aqua pluviali, quam habebant optimam, cocto; cui puli denique addebant tantillum lactis dulcis, & iterum, adfuso lacte, parumper coquebant.

Notate, omnia fuisse cocta, quæ aliquoties Infans præter lac maternum sumserat; exactissime etiam hæc omnia esse iteratis vicibus a me, a Patre, a Matre, a Domesticis examinata, ob sequentem historiam.

Infans ille incipit ejulare, calcitrare pedibus, terroribus in somno, etiam extra somnum, corripitur. Suis Muliercularum Mater dat Infanti cochleare parvum olei raparum, cui anisi semina infusa erant. Sequenti die mane inter deligandum Infantem Mater miratur formationem insolitam in mappis Infantis, denudatoque Infante integre, horret ac præ pavore exclamat ad conspectum innumerabilis copię ascaridum, variæ magnitudinis, $\frac{1}{4}$. $\frac{1}{3}$. $\frac{1}{2}$. pollicis geometrici; ut plurimum cum nigro punctulo in una extremitate. Olei continuabat per tres dies usum, & iterum ascarides prodierunt, sed sensim copia pauciores. Vocabar tunc Ego, quia Infans adhuc laborabat multo acido, postquam vermes prodire cessaverant. Insectorum autem ovula non deerant in illis ædibus, quum Pater, Pistor, mul-

multum frumenti & secalis domi haberet. Videntur in hoc & aliis similibus casibus ovula insectorum una cum aëre deglutita.

(Nec hac quidem opus habemus expositione volitantium in atmosphæra ovulorum. Constat utique, Infantes sæpissime ore hiante dormire; constat, haud raro lac, pultemve largiori nimis dosi ingestum regurgitare in os, & extra labia: non minus notum est, talibus ferculis muscas vulgares, aliasve volitantium insectorum species varias adlici, simulque femina sua vix non semper relinquere. Infans hæc facillimo sane negotio deglutire denuo poterit. — Vel & per intestinum ipsum rectum possibilis est communicatio, si adsumere nolimus, ovula pulliculæ fuisse inposita, & cum illa simul ingesta. Nam, etsi & HAENIUS, & Pater, & Mater &c. pulliculam examinaverint, ovula tamen nihilofecius eidem potuerunt inhærere, quum color eorum æque albus sit, & examen certe non singulis diebus aliquoties institutum fuerit. Præterea, dum in theoria inhalationis volitantium in aëre ovulorum, hæc minima & sensuum aciem effugientia adsumuntur; uti quidem revera adsumi debent; quæ fit, ut non, una cum aëre per respirationem adducta, in pulmones etiam sæpenumero deveniant, ibique excludantur; sed certissimo semper tramite in ventriculum & in intestina demum pertingant: quum enim, quædam saltem eorum, atomorum adinstar exigua sint, rationes hic nil valerent, ob quas ingesta alia impediuntur, ne trachæam ingrediantur.)

Exclusis ovis vermes varii generis obsident corpus humanum, atque communiter intestina & ventriculum. Verum Observatis constat, nullam fere corporis regionem esse, in qua non aliquando hospitentur.

1) In enkephalo, in sinu longitudinali pueri vermem 4 pollicum inventum esse, refertur in *Hist. Acad. Reg. Scient. Paris. 1700.* a *Cl. du VERNEY*: qui vermis corpore exemptus per novem horas vixit.

(*Cel. VAN DOEVEREN*, ejusque dissertationis in germanicam linguam Traductor *D. WEICHARDT* plures longe, quam hic a *Cel. DE HAEN* adferuntur, instantias retulerunt ex copiosis Auctoribus, vermium in diversis corporis partibus deprehenforum: ad quem fontem, ac ad indicatos ibidem alios, sciendi Cupidos ablego.)

2) Vermes inventi in auribus. *A. N. C. Dec. 2. ann. 2. Obs. 57.*

In auribus & naribus. *A. N. C. vol. 4. p. 109.* seq.

3) In palpebris. *Ibid. Dec. I. ann. 2. Obs. 24.*

4) In sinibus frontalibus & maxillaribus. *BOERHAAVE* judicavit vermes causam esse dirissimæ cephalæ in Virgine Roterodamensi: 1) quod perditæ & stulte adamaret florum odores, eosque in cubiculo, mensæ, pectori perpetuo admotos haberet (*); 2) quod dormiret prope ingens horreum, in quo vis maxima frumenti sæpius, ne situm contraheret, agitabatur. Notum enim est, tunc millena animalcula in agre volitare. Curavit Puellam hanc, expellendo vermes incensa cinnabari, ejusque in nares directo fumo, & tabaci decocto per nares adtracto.

(*) Flores non solum propter odorem gravissimum, nervos plurimum adficiemem, sed & propter magnam copiam insectorum minimorum, inter petala illorum habitantium, & quum levissima sint, in nares facillime adtrahendorum; inprimis dum valide adeo, uti Fœminæ nonnullæ facere solent, odor florum inspiratur. Sternutationis periculosa, cum insequente hæmorrhagia enormi, quin
&

& lethali, tum kephalææ sæpe incurabilis, convulsionum, lethaliūque demum aliorum symptomatum causæ esse poterunt, & fuerunt. Excutias rosam super chartæ albæ folium; miraberis, quot nonnunquam decidant vermiculi, & insectula. Suasi has ob rationes multis Domicellis, ne odorem florum adeo fortiter adtraherent; ne flores naribus nimium admoveant, aut fere intrudent; melius demum esse, si securæ esse velint ab ingressu animalculorum, ut, odoraturæ flores, hos peplo exiguo sericeo (*Seidendünntuch*, oder *Zendeltaffent*) obducant; quod, quum rarioris nonnihil texturæ sit, halitus odorati nihilosecius penetrare queunt.)

Act. Phys. med. N. C. vol. 3. n. 90. referunt historiam Fœminæ a kephalæa pertinaci mox liberatæ, excretis duobus vermibus alatis ex naribus.

De vermibus sinuum frontium habent exempla *Hist. acad. reg. Sc. Paris. 1708 p. 42., & 1733 p. 34.* Dom. MALOET ibi loci refert historiam Viri militaris, cui a triennio dolor ad radicem nasi cum dolore etiam vehementi sæpe oculi ac susurro auris. Pro remedio postremi saltem symptomatis, cubanti sibi in dextrum latus infundi curavit sinistræ auri olei amygdalini guttas aliquot. Biduo elapso adfligitur pruritu narium in sinistro latere, & sensatione molesta, ac si sternutare semper deberet; sensit simul, aliquid se interius movere, quod demum digitis extraxit. Vidit esse vermem centipedem longum 16 lin., speciem scolopendræ terrestris. Erat muco & tabaco, quo Vir ille plurimo utebatur, obsitus; tamen vegetus cucurrit, & in pulvere tabaci ad 6 dies vixit. Excreto hoc verme mox liber ab omnibus incommodis homo fuit.

In *Act. N. C. 1708* refertur instantia similis vermis, 6 poll. longi, centum duodecim pedibus instructi,

cti, ex nasi orificio dextro prodeuntis; qui tabaco expulſus credebatur.

(Homines qui in hortis, pratis, aut ſylvis humi procumbentes dormire amant, qui hyemali tempore ligna, pro inſtruendo foco, in cubiculo collocant, aut in cellis ſubterraneis, ac reſoſitoriis dormiunt; periculo ingreſſus vermium variorum, inprimis forficularum, in nares aut aures expoſiti ſunt: ſed & cum ſtramine nonnunquam plura infecta lectis inferuntur.)

5) In canibus & cervis ſub lingua inventi vermes. *Hift. de l'Acad. Sc.* 1743. REAUMUR *Mem. pour ſervir à l'hiſt. des Inſectes T. V. p. 67. Sc.*

6) In corde; *Eph. N. C. cent. 8. obſ. I. Act. Phyſ. med. Vol. 7. Obſ. 14.*

(Retulit *Cel. DE LA PEYERONIE* Archiatro *Cel. SENAC*, ſeſe in cavis cordis canum reperiffe glomeres vermium; *SENAC*, *Traité de la ſtructure du cœur, T. 2. p. 437.* Analogiam formavit inde ad corda humana. *Cl. PALLAS* autem vermes cardiacos non niſi concretiões eſſe credidit polipofas, vermium figuram referentes; *Diſſ. de Ingeſtis viventibus intra viventia*, in *Theſauro Sandiſortiano T. I. p. 249.* Interim tamen durius videtur, ſi velimus admittere, *DE LA PEYERONIE* oſcitanter adeo illos vermes conſpexiſſe, ut polypos pro vermibus habuerit; vel adeo rudem in diagnofi vermium oculari fuiſſe, ut hos pro illis venditarit.)

7) In pericardio; *BAGLIV.* in *Epift. ad ANDRY*, quæ habetur ſubjuncta *operibus BAGLIVII*; *BIANCHI tract. 3. de vitioſa generatione*; *LOWER de corde.*

8) In pulmonibus; *RUYSCH*, *Theſ. 8. n. 95.* (Plurimi alii Auctores apud *Cl. VAN DOEVEREN*, in *Edit. german. Weichardtiana.* Retulit *Inl. PERCI-*

VAL, *philosophical, medical, and experimental Essays*, London 1776 T. I. p. 272. historiam vermium ex pulmonibus excretorum; quam excretionem diu præcesserat tussis, & rejectio sanguinis coagulati, nigri.)

9) In hepate creberrime; ita, ut integram *dissertationem* BIDLOUS scripserit *de verme hepatis*. In ovibus est frequentissima observatio. (Egregium hujus rei exemplum referam in *Tomo I. Actorum meorum physico-medicorum*, quæ proxime prælo committentur, communicatum mihi a *Celeb. D. Paulo ADAMI*. De vermibus hisce v. pulcram dissertationem *Cl. SCHÆFFER*: *die Egelschnecken in den Lebern der Schaaf, und die von diesen Würmern entstehende Schaafkrankheit*. 2. Aufl. Regensb. 1762 4. K.) Ipse extraxi vivos, adstans ovium mactationi, planos, semipollicem longos, rhomboideos.

RUYSCHIUS *Obs. anat.* p. 17. & 23. illos in bobus, vitulis, ovibus sæpe invenit, vocatque cucurbitinos. In *Nov. Act. Phys. med. tom. V. obs.* 112. p. 392. NEBELIUS narrat, se invenisse in cadavere Militis tam in ductu cystico, quam in hepatico lumbricum & copiosos simul in intestinis. Suspiciatur NEBELIUS, vermes illos ex duodeno per ductum communem in ambos illos ductus inrepsisse.

10) RUYSCHIUS in *Obs. anat.* 6. p. 16. refert, se invenisse in mesenterio equino partem arteriæ mesentericæ admodum dilatatam, eaque aperta detexisse innumeros vermiculos, quæ tenuissimam aciculam magnitudine referrent. Unde *Inl. VAN SWIETEN* in *Comment. ad Aph.* 916. ait: „Non videtur absurdum, credere talia insecta, dum in prima sua origine longe adhuc minorem molem habent, posse ex arteriis mesentericis in venas & hinc in hepar venire.“ (Per venas etiam meseraicas vermium iter adsignavit SPIGELIUS

LIUS *de lumbrico lato* c. 5., in venam portæ, ubi a se inventos eos retulit. Dixit tamen denuo *Cel. MORGAGNI, Opusc. miscellan. P. I. p. 25.* sibi videri, concreciones polypofas, non vermes, adfuisse. — *Susplicatur MORGAGNI; vidit SPIGELIUS.* —)

BOERHAAVE *Inst. §. 106.* problema hoc posuit : „ An non tenuis, biliosa & lymphatica magis pars illius chyli recipitur fistulis absorbentibus, hiantibus, in intestinorum crusta, & se exonerantibus in venas meseraicas; unde in vena portarum dilutio, bilique fecernendæ materies? “ — An etiam hanc viam exilissima in origine animalcula non possent subire, atque ita intrare hepar? Vide *BIANCHI loc. ante cit.*

11) Ait etiam *RUYSCHIUS*, ter, quater vidisse se vermes complures in sacco anevrysmatico arteriæ equinæ cujusdam; figura exhibet eos *l. c. p. 61.*

In vesicula pendula ab hepate muris vermem gracilem invenit longitudine spithamæ, *l. c. obs. 9.*

(In muribus & gliribus haud adeo rarum est, invenire vermes, visceribus inhærentes; uti in glirium inprimis renibus calculos.)

12) In splene & renibus frequentissime inveniuntur, tam in hominibus, quam in canibus; ita *Cl. REDD*, ita *RUYSCHIUS*, ita *Ephem. N. C. Dec. 1. ann. 3. obs. 261.*

13) In vesica urinaria, *SCHENCKIUS obs. p. 559. Sc.*

14) In vesica fellea, *Ephem. N. C. Dec. 2. ann. 7. obs. 16.*

15) In utero, *BIANCHI l. c. Eph. N. C. Dec. 3. ann. 5. 6. obs. 227.*

16) (In vagina uteri; Auctores plurimi apud *VAN DOEVEREN l. c.* & ipse *HIPPOCRATES* dixit, *l. 2. Muliebrium sect. 3. p. 309. Tom. III. Princ. Art. Med., Edit. Hallerianæ:* „ Si in pudendo

mulieris, aut intestino recto ascarides nascantur, viticis semen, aut folia cum fellis bubuli obolo permiscantur &c.)

17) In intima ossium medulla; *RUYSCH Advers. Dec. 3. Tab. I.* — In ipsis imis ossibus, ubi nulla poterat esse suspicio cariei, aut vermium aliunde illuc intrantium: v. *Advers. anat. Dec. 3. n. 6.* (Dixit quidem *D. WEICHARDT*, *RUYSCHIIUM* vermes hos non in vivi hominis, sed cadaveris reperiisse ossibus, ubi muscæ aut alia insecta per vasa exigua facilius intrare potuerint: attamen vix quidquid probat hæc objectio; imprimis, quum muscæ non soleant per carnes penetrare in ipsa usque ossa, ut in medullam demum ponant ovula, nec per vasorum anfractuosis arctosque labyrinthos reditum repetituræ videntur muscæ; in ossium autem cavo non muscæ, sed vermes vidit *RUYSCH*. Plausibilior est expositio, quam *Cel. DE HAEN* in margine Codicis sui paucis ante obitum suum annis adscripsit. „Attamen, ait, *Clariff. ALBINUS*, *Acad. adnot. l. 2. c. 4.* idem detexerat in suis ossibus, & causam deduxit inde, quod muscæ in recentibus ossibus vermes deposuissent, carnibus adhuc adhærentibus; qui exiles at numerosi carnes consumèrent, intrarentque per canales, per quos arteriola ossium substantiam intrat, & in diploën vel substantiam osseam fungosam (spongiosam) prope articulos pervenit: vermes hos arteriam comedendo viam fecisse, ut in cavum osseum, vel ossium substantiam prope juncturas (intima) pervenirent. Putat *ALBINUS*, id eo esse verosimilius, quod nosset bene, *RUYSCHIIUM* quoque, ut ipsi *ALBINO* moris erat, ope vermium uti, ut ossa bene a carnibus emundarentur.)

18) In sanguine; *Eph. N. C. Cent. 5. obs. 72.* *ETMÜLLER* in *Pharmac. phytol. T. I. p. 916.*

19) In saliva; *Eph. N. C. Dec. 1. ann. 9. § 10. obs. 130.*

20) Vermes excretos cum urina habet *RUYSCH Adv. anat. Dec. 3. p. 36.; Act. phys. med. vol. 4. obs. 4.*

21) Vermes excreti cum sudore, *Eph. N. C. Dec. 1. ann. 67. obs. 1.*

22) Cum materie gonorrhææ; *BIANCHI tract. ante citato.*

23) In ulceribus; *STEENEVELD, tract. de ulcere verminoso; SCHENCKIUS l. 3. obs. med. p. 373. § seq.; Eph. N. C. Dec. 1. ann. 1. obs. 45., Dec. 2. ann. 1. obs. 104. § 191., Act. phys. med. N. C. vol. 6. obs. 93.*

In nosocomio practico (Vindobonensi, cui *Cel. DE HAEN* præerat) hominem habuimus, cum ulcere noma ad maxillam, in quo vermes plures geniti ascarides. (Vermes tales ἑλκοφάγοι dicti.)

24) Sub cute apud *Jamaicenses*, ut *OLDENBURGIUS* habet in *Compendio Transactionum Anglicanarum* (1668 *mens. Nov.*: vermes hi incolis *Chegar* dicti.) *DAMPIER, V. itin. ann. 1676. part. 2. p. 167. &c.* in regno *Jucatan* Americæ in portu *Campeche* ipse laboravit vermibus longis, pilosis in crure; a quibus *Nigrita* ipsum curavit. (Videri poterunt de *vena* sic dicta *Medinensi*, seu *dracunculo*, Auctores adducti in opere *Cel. VAN DOEVEREN*; — *Cel. PLENCK, Lehre von den Hautkrankheiten* &c. ubi p. 204—211. enumerantur huc pertinentes morbi ab insectis sequentes: helminthiasis cutanea, intestini recti, vulvæ, urethræ, narium, aurium, gingivarum (in gingivis Infantis *Cl. Vir* plurimos vidit habitantes vermiculos, quos solutione salis amari intra paucos dies necavit), ulcerum; tum malis pedicularis, a pulice americano, ab acaro sylvestri, a gordio medinensi, seu dracunculo persico, a firo-

a fironibus, & a lumbrico effractore. Legi etiam meretur *Lettre sur le Dragoneau &c. & sur l'usage du sublimé corrosif dans cette maladie, par M. GALLANDAT &c. Journal de Medecine T. XII. p. 24. &c. V. & Nov. Act. Acad. Nat. Cur. T. V. p. 103. &c.* ubi *Cl. GALLANDAT* dissertatiunculam inferi curavit de hocce verme, propriis experimentis innixam. *Dracunculus & Flussingæ* non raro occurrit. Bina in verme hoc *GALLANDAT* statuit capita, in utraque extremitate unum, quorum tamen alterum vitæ sit expers. Singularis sane observatio! An Alii videbunt idem, nam hætenus vidit nullus? Ingressum in corpus ex haustis cum aqua ovulis deducit — Præcipue utilem in hoc morbi genere deprehendit solutionem *Swietenianam* mercurii corrosivi sublimati &c. — Vena *Medinensis Europæis Guineæ* degentibus infesta, observante *Cl. LIND* (*An Essay on diseases incidental to Europeans in hot climates &c.*)

25) Sub epidermide; *BIANCHI, l. c.*

Tamen aliquando & alius speciei, præter dictas tres (latos, rotundos, ascarides) observantur in corpore humano adesse vermes, ut videre est in *Act. Edinb. Vol. 2. Obs. 26.; Act. Soc. Reg. Scient. Paris. ann. 1740 &c.*

Immo apud fide dignos Auctores, ut *BIANCHI* in sæpius laudata dissertatione, *SCHENCKIUM l. 3. obs. med.*, Aliosque, videmus, homines, sive vomitu, sive alvo, excrevisse ranas, lacertas, bufones, anguillulas, scarabæos, araneas, muscas. (Subin tamen in talibus historiis nimium dictum fuisse videtur; præcipue dum de editis ore, alvo, vel & utero, animalibus narrant, monstrosis plane, & eorum ortum aut ab *imprecationibus*, aut *sagarum veneficio*, aut *incubo succubove dæmonio* repetunt. Fudet narratiunculas hic excitare, quorum memoriam melius est oblivioni committere.

tere. *V. Cel.* BALDINGER: *Neues Magazin für Aerzte*, I. B. 5. St. S. 385. 1c. ubi catalogus amplius habetur Observationum de variis animalibus, quæ ex corpore humano expulsa dicuntur.)

Veteranus Practicus narravit mihi, se coram vidisse, Domicellam vomitu ejicientem binos longos vivosque vermes, innumeris pedibus instructos, agilissimos.

Rev. LABAT in Itin. in inf. american. P. 3. c. 10. narrat, se 1698 laborasse tertiana duplici per mensem: ea cessante incidisse in diarrhæam, incipientemque hydropem: proprio consilio adsumsisse scamoneum; inde quadrihorio elapso non tantum alvo aquas copiose evacuatas, sed & binos expulsos fuisse vermes, crassitie pollicaris; longitudine unum æquasse 16 pollices, alterum paullo minorem: ambos habuisse caput planum, forma trifolii, serpentinum; corpora integra rubris pilis hirsuta; per 6 horas vivos reppsisse per cubiculum. (Sit fides horum penes Auctorem; quem exaggerantem nimis & credulum subin fuisse, Qui ejus Itineraria legerit, vix inficias ibit.)

Vermes generari in corpore humano per putrefactionem, explosa dudum *VV.* est sententia: novimus enim ex historia naturali, nil generari nisi ex femine, ac ovulo. Quæritur ergo, unde vermes in corpore humano? Dixere *RR.* ab ovulis, quæ adsumunt Infantes, dum incipiunt, præter vel post, lac matrum, aliis vesci alimentis, & maxime fructibus horreæ. Ovula hæc adsumta in ventriculi aut intestinorum mucositate hæerere, excludi, in vermes mutari.

Verum adsunt indubitatae historiae Infantum vermiformium, qui præter lac, aut coctas pultes adsumere nihil. Ergo dixere Eruditi, vermes nasci in omni animali posse mox a nativitate. Compertum quippe esse, ovula animalculorum esse adeo exigua, per aërem volitantia, ut visum fugiant; omnem hominem na-

tum inspirare; ergo ab Infante recens nato reſorptum aërem his reſertum in ore eſſe, ac ubere ducentem eum ſimul cum aëre ovula deglutire.

(Quæ ſententia, utut non plane neganda ſit, in multis caſibus variis difficultatibus premi videtur: nam, ſecundum eam theoriam, vix non *omnes* Infantes vermibus laborare deberent; quod experientiæ plane adverſum. Dein, ob eandem partim rationem, *ovula* illa minima, per totam atmophæram *volitantia*, etiam nondum demonſtrata adeo ſunt; quum infecta ſeminia ſua maximam partem aut folliculis, ex filis textis, includant, eosque arboribus, parietibus &c. firmiter adfigant; aut glutinis quadam ſpecie huic vel illi loco neſtant; aut vegetabilibus ſubſtantiis, cadaveribus, animantibus, terræ, aquæ &c. indant: quum & pro evicto adſumi queat, ex *volitantibus* illis *atomifticis ovulis* alia longe infecta proditura eſſe, quam ingentes illas tot orgyrum tænias, vel & aſcarides, aut rotundos inteſtinorum vermes: quum adſignandum hac ex ratione maneret *volitantium ovulorum Patronis*, qua itaque formam gaudeant ovulorum horum parentes; quodſi enim ex illis reſpiratione adductis prodeant vermes rotundi, lati, aſcarides; maniſteſtum utique eſt, excluſa ovula etiam fuiſſe a vermibus rotundis, latis, aſcaridibus; multum autem dubito, an id probare poſſint; eſſi adſumere velint, & parentum, & ovulorum, & ſobolis perfectam *Ovidianam* metamorphoſin; quæ vero vix non æque mira hic foret, ac ſi ex ovulo ſepis muralis crocodilus, aut ex ovulo carduelis aut acanthidis anſer aut ſtruthio prodire deberent, *micromacrometamorphotice*. Si ovula illa volitent in communi omnibus aëre; quæ excubiæ illa arcent ab ore adultorum hominum? — Jam quidem audire me credo, ſed denuo hypotheti-

cam, rationem: in Adultis ovulorum evolutionem suffocari, solum fieri in Infantibus. — Quæ causæ eorum adeo regunt iter, ut præcise in os & œsophagum; non in nares & pulmones, quum vix non puncto mathematico similia concipiantur, pertingant, & in hisce locis etiam excludantur? Nam etsi, ut ante patuit, ibi visa fuerant insecta varia; quis unquam vidit tænias, aut lumbricos? — Quæ ratio, cur insecta, intestinis familiaria, metamorphosin non subeant consuetam; cur a propria sibi nunquam non indole exceptionem faciant, dum in tale habitaculum deveniunt; novam vivunt vitam, nec tamen inde adficiantur; si quidem adsumere deberemus, Matres illorum, ex invisibilibus ovulis natorum, alius fuisse profapiæ & habitus; quod adsumserunt Varii? Plura insuper adferri possent dubia; alibi melius exponenda —)

Accedit autem tertio loco HIPPOCRATIS experientia *libr. 4. de morb. c. 15.*: Infanti vermes in utero nasci a Matris humoribus, & multos Pueros, adsumto primo medicamento, quod illis datur ad meconium expellendum, seu latos, seu rotundos vermes dejicere. Videtur HIPP. frequentius nobis meconia examinasse. Verissimum etiam videtur; quod ille tam diserte id enunciet. Certe rem non video esse impossibilem. Si vermes in tot corporis partibus, ubi non nisi per sanguinem adferri possunt, reperiuntur; si videamus INL. COMMENTATOREM ad §. 916. primum esse, ut credat vermes in hepate nasci ex ovulis cum sanguine illuc delatis; cur miraremur, a sanguine materno ovula adlata excerni in liquore amnii, & deglutiri cum liquore hoc ab Infante; & excludi in hujus intestinis? Aut, si statuas, Infantem propria ubera sugere, ovula, a liquore amnii ad papillas suas adplicata, simul deglutiet. Cur etiam cum lacte Nutricis Infans

ovula suscipere non posset? Certe eruditissimi VALISNERII hæc sententia est, a qua non multum BIANCHI differt. Advenire etiam possunt cum sanguine Matris per placentam. (Valent hæc omnia maxime ad hoc, ne muti transmittamus dictum *Hippocraticum*: interim tamen, ne obliviscamur, mera esse hypothetica.) — Fuere Philosophi, qui morbos vix non omnes a vermibus deduxerunt. Hi propemodum egerunt, ut Alii, qui copiosum acidum non tantum in primis viis, sed per omne corpus detegentes in aliquibus Ægris, omnes omnino morbos ex acido ortos adseruerunt. (Morbos multos internos, imprimis autem externos, cutaneos, *Cel. von LINNÉ, PLENCITZ, DESSAULT, LEEUWENHOECK, HARTSOEKER, KIRCHER, ANDRY, LANGE, DEIDIER, HAUPTMANN &c. &c.* a vermibus, seu *causa animata* deduxerunt; quod Systema *Cl. KUNDMANN, KURELLA, AMMAN, Aliique, v. diss. meam, von dem Nutzen ic. die Luft rein zu halten ic.* refutarunt. Legendus circa causam animatam morborum cutaneorum *Cel. LORRY* in eleganti opere *de morbis cutaneis*.

Juvabit jam, *communes tres vermium species* sequentibus intueri.

I. ASCARIDES; sunt vermiculi teretes, parvi admodum, utrinque mucronati; qua forma ad lumbricum teretem, de quo mox, videntur accedere; nisi quod mole longe minores sint. Caput in plerisque non bene potest discerni. Coloris sunt albidus, nisi colore excrementorum quandoque mutantur.

(Vermes rubri, JUNCKERO monente, per functionem sanguine repleti, febres lentas facile inducunt. Lumbricos etiam variegatos pejoris esse notæ SCHULZE adnotavit.)

Occupant ascarides colon, sed præcipue intestinum rectum; (&, uti antea monui, vulvam quoque mu-

liebrem; licet in aliis quoque locis, v. c. ulceribus, gingiva &c. fuerint observati.)

Creduntur passim iidem cum casei vermibus, & a caseo nasci: sed *Cel. LINNÆUS Amoenit. Acad. vol. 2. p. 2.* deprehendit, caseorum vermes metamorphosin subire, humanos nullam. Oriuntur ascarides etiam in hominibus, qui caseo utuntur nunquam.

(Quo tamen non obstante, cum caseo intrare corpus vermes & in hoc incommoda excitare queunt: certum etiam est, caseum corrodi a vermibus, quæ metamorphosin nullam subeunt, etsi quidem forma ab ascaridibus humanis multum differant.)

Ad ascarides etiam plures referunt *vermes* dictos *cucurbitinos*: verum videbimus mox, ex historia naturali concludendum potius esse, cucurbitinos vermes constitui abruptis teniæ articulis. (Promisit hic *HÆNIUS* denuo quid, quod in Codice nullibi inveni. Circa vermium cucurbitinorum historiam sufficiat hic citasse denuo *Diatriben van Doeverenianam.*)

2. *LUMBRICUS TERES*, sive longus & rotundus, *ἔλμυς σρόγγυλα*, *Callis le strongle*; Infantibus longe frequentissimus. Est vermis reptilis, ab utroque extremo mucronatus, per totum corpus externum suum linearibus incisionibus per ambitum instructus; forma proxime ad lumbricos terrestres accedens; nisi, quod annulo densiori, crassiori, elevato, teres humanus destituatur; quo terrestris lumbricus, ceu ephippio, circa alterum extremum gaudet.

(Notavit hoc jam *Cel. VAN DOEVEREN*, & ex eo *DE HAEN. Cel. LINNÆUS* voluit, ait *VAN SWIETEN, Comment. T. IV. ad §. 1363. p. 622.* &c. lumbricum intestinorum esse eandem speciem cum lumbrico terrestri vulgatissimo. Idem voluit *SCOPOLI*, inquit: „Docet hoc communis utriusque fabrica, habitatio, vita, fœcunditas & communia

munia utrisque venena. “ Monet quidem *Inl. Commentator*, fecunditatem satis convenire, differre tamen & habitationem, & vitæ genus. — Vidi vero Ipse in multiplicibus, quæ cum magno insectorum numero institui, tentaminibus, insecta adfuescere posse diverso plane vitæ generi & pabulo, quam quo, sibi relicta, uti alias solent: plura etiam aliunde panphaga sunt, nec certo ciborum genere constanti lege victitantia. — Subdit VAN SWIETEN: „ Non tamen impossibile est, insecta in ipsis animalium intestinis metamorphosin subire posse. Musca (*hippobosca*) per anum equi ingreditur, ova ponit, quæ vermem excludunt, suo tempore in chrysalidem mutandum, ex qua musca prodit postea. “ — Metamorphosi illa admissa, facilius sane foret præsentia vermium in corpore, tum hominum, tum brutorum, expositio: interim tamen, quæcunque instituerim tentamina, eo nunquam pervenire potui, ut vermem, ex quo determinata chrysalidis & ex hac determinata muscæ species prodire semper solet; ut, inquam, vermem hunc, ope mutati pabuli, & habitaculi eo adigerem, ne vel illæ prodirent; vel vermibus formam corporis retineret, magnitudine solum *multum* augendam; aut mutaret in aliam, sibi alias insolitam; ubique aut fieri demum vidi chrysalides, aut vermes mori. *Swieteniana* autem observatio hic parum probat: quum a musca *hippobosca* edito ex ovulo nunquam non idem prodeat insectum; a *matrice*, ut sic dicam, in quam illud deponitur, nunquam in aliud insectum mutandum. Hinc metamorphosin ovula experiuntur naturalem solitam, vermibus in muscam; nullatenus autem adsumtam illam, unius animalis in longe aliud, forma, magnitudine, habitu. — Quum autem vermes rotundi humani iidem Pluribus visi sint, ut paullo ante di-

xi, cum lumbricis terrestribus; Visurus, an metamorphosis quædam ex mutato habitaculo in utrisque foret possibilis, sumat teretes humanos, teretesque animales, in canibus, felibus, tum & in gallinis pane diu nutritis, magna sæpe copia inveniundos; conmittat eos fimeto, quod antea inhabitarent lumbrici terrestres. Tum sumat lumbricos terrestres, eosque vivos canibus, felibus, gallinis in œsophagum intrudat: quæ animantia caveæ, unde nullus detur exitus, includi debent, elapso circiter octiduo cultro anatomico subjicienda; docebit sic eventus, an reciproca insectorum possibilis metamorphosis. — Institui Ipse tentamina cum teretibus gallinaceis, eos autem mox ubi corpore exempti fuerant, perire vidi. Nec congruo, uti credebam, alimento teretes, ascaridesque canini poterant in vivis servari; & fotui, & humoribus inquilinis corporis, quod antea inhabitarent, adeo, ut videbatur, adfueti, ut neutro, quin plurimum læderetur sanitas & vita, carere possent. — Vero autem maxime consentaneum videtur, quin potius, ex nuperrime captis Observatis, jam certum habeo, lumbricos terrestres a teretibus humanis & animalibus esse diversos: quod quidem Anatomie eorum, a *C. TYSON* & *VALISNERIO* instituta, jam confirmatum fuit; quorum Virorum posterior addidit: „teretes vitulinos ab humanis ea ratione distingui, uti vulpem a cane: “quod quidem nec concinne, nec rei congrue, dictum fuit. — Ortum itaque vermium rotundorum, quin & reliquorum, in corpore humano & animali, nondum satis dilucidatum esse patet; quum hactenus adlata multis adhuc premi videantur difficultatibus, & precaria sæpenumero potius esse, quam vere demonstrata.)

Lumbricus teres plerumque cubitalis magnitudinis est, vel paullo minoris; licet *Daniel Ludovici* testetur, quinque ulnarum communium, alium $1\frac{1}{4}$ ulnam longum se vidisse. In *Commerc. Litter. Norimb. a. 1734. p. 66.* describitur 3 pedes longus. *BAGLIVIVS ad ANDRY* scribit, talem a Juvene excrementum, qui 30 pedes longus esset.

(Dixit tamen *Inl. VAN SWIETEN*, de his vermibus agens, longitudo eorum varia est; rarius pedis mensuram superant. Memini, me vidisse, qui sesquipedem æquabat. — Crassitiem calami scriptorii solent habere plerumque, raro illam excedunt; quandoque & tenuiores inveniuntur.)

Observationes docent, aliquoties hominem unum alterumve talem vermem excernere, immunesque deinceps tota vita manere; sed etiam sæpius homines per intervalla plures excernunt per multos annos. Vidi Judæam in mea praxi, quæ simul excerneret ultra duodecim, pedis circiter longitudinem habentes: libera tamen postea vixisse ab illis visa est. *CLERICUS* testatur, se ultra 100 longiores invenisse in Puero, tum & in Puella, quos arsenicum e vivis sustulerat. *MOUFETUS* in *Theatro insectorum p. 297.* exemplum habet Puellæ, quæ una vice excrevit teretes lumbricos 177.

(*MOUFETUM* quidem, qui *GABUCINUM* testem adducit, nunc ad manum non habeo; in mea tamen editione differt. *Cel. VAN DOEVEREN*, unde *HAENIVS* hæc omnia excerpfit, non 177, sed 117 excretos vermes lego. — *Magnus ROSENSTEIN* ex Puella, quæ per horas subin sibi non conscia jacuit, intra novem dies ultra 90 vermes tales fugavit.)

3tia species *TÆNIA* est. (*HAENIVS* *TENIA* scripsit; Auctores reliqui *TÆNIA*; Græcis etiam *Tamia* scribitur.)

tur.) Hæc, faltem ubi jam in intestinis deguit, est vermis simplex, reptilis, albus, sive ex albo flavus, membranaceus, latus, planus, articulatus, in inmensam sæpe longitudinem excrescens. Tænia plerumque ludit artis opem, adeo difficilis extirpatu est. Vidi sæpius, utriusque sexus homines, hac tænia misere adfectos. Plures sublevantur ad tempus, quam vere curantur. Aliquoties præfens vidi vivos cucurbitinos, qui erant tæniæ articuli abrupti, invitis (in scis) Ægris elapsos in caligas, vel pavementum. Ex fœmina quadam macilenta, quæ allio & asa fœtida, & vitriolo martis copiose utebatur, partitim collegi vermem, longitudine ultra 50 ulnas excurrentem. Contingebat illi sæpius, ut, summo adjuncto tenesmo, ex ano prodiret vermis portio, quam illa prudenter trahens, ad ulnas 5. 6. circa manum suamolvebat, donec demum abrumperetur.

(Vidi ipse tæniam una cum capite suo expulsum, 25 circiter pedes æquantem. In dissertatione *Cel. van DOEVEREN edit. german. auct.*, exempla referuntur tæniarum 80. 165 pedum, quin ulnarum 100. 300. 800. &c.; notatur ibi simul, rationem, cur tænia osculis lateralibus geminis, seu vulgaris, LINN. *Amæn. acad. vol. II. p. 7. &c.*, citius crescat quam tænia osculis marginalibus solitariis, seu cucurbitina, LINN. *Amæn. acad. vol. II. p. 74. &c.*; *Syst. Nat. X. 311. 1.*, quærendam esse in ejus fabrica interna, fortiorique aut debiliori nexu articularum.)

Novi hominem 70 annorum, robustum, a quo, ut & ab uxore, ac tota familia sequentem historiam sæpius narrari audivi. Plures per annos languens ille ad 40. ætatis annum usque, Medico utebatur *Cl. REVENHORST*, Professore Anatomes Hagano, inter Anatomicos noto, qui illum quidem vermibus laborare dicebat,

bat, sed eo usque in cura infelix fuerat. Agyrta demum, hominem videns, spem fecit curationis, si velit quotidie jejunos fuliginis e camino portionem quamdam fumere. Sumisit ille; tandem vero anxietate correptus fuit, ut ferendo non esset; titillationem dein percepit in gutture; digitis, quid titillaret, exploravit,prehendit vermem, eumque prudenter extrahit ad longitudinem 20 ulnarum: ex quo tempore jam per 30 annos sanus, incolumis, torosus vixit.

HALLERO referente narravit BOERHAAVIUS, se expulisse vermem 300 ulnarum ex homine Russo per vitriolum martis: ego vero nunquam audivi BOERHAAVIUM definientem longitudinem vermis.

In *Actis Holmiensibus* 1746. T. 9. Medicus SPÖRING narrat, fuisse in pago Kätanas Fœminam 60 annorum, nunc majori, nunc minori ventriculi dolore a teneris laborantem; quæ Junio 1744., postquam dolor vehementius inferbuerat, diuque ac noctu perennaverat, abscessum animadvertit in dextro hypogastrio; qui apertus quidem fuit, sed nulla neque ventriculi, neque hypogastrii doloris remissione insequente. Auxilium pro malo petitura iter quinque milliarium confecit, eoque itinere absoluto bibit cerevisiam frigidam. Quum in loco, quem petierat, per aliquot dies maneret, tænia in abscessu visa est, akephala; extraxerunt eam ad longitudinem trium ulnarum ope bacilli, sed abrumpebatur tum vermis. Humor flavo-niger exstillavit ad mediam hyemem usque ex abscessu, qui tandem claudebatur.

Fuere homines, qui huic Mulieri dabant id consilii, ut lagenam spiritu frumenti plenam, eamque apertam, poneret supra nidum formicarum, dein autem, dum ingens numerus formicarum lagenam intrasset, quod brevi fiebat, sequenti die liquorem per colum trajiceret, eumque biberet. Dictum factum. Alvus me-

mediocriter soluta dedit glomerem integrum hujus tæniæ, quæ se explicabat, sed a sole exsiccabatur; de-
nuo akephala. Sequenti vere iterum bis reddidit fru-
stulum ulnæ longitudinis: locò tamen abscessus, quo
olim laboraverat, observavit motum quemdam, & pun-
cturas, perpetuo simul ventriculi ardore adfecta. —
Anno sequenti pejus habuit; ita, ut brachium motura
sentiret veluti dilacerari eum, ubi abscessus fuerat, lo-
cum. Hinc pallida debilisque Fœmina prima vice ac-
cessit D. SPÖRING.

Omnibus bene pensitatis conclusit ille, vermem hunc
ab ipsa infantia in ventriculo fuisse, atque una cum
aqua epota corpus intrasse; sive ovî, sive animalculi
specie. Confirmare hanc sententiam conatur exemplis
multorum piscium, his tæniis abundantium; multorum
etiam hominum, tæniis laborantium; qui inhabitarent
loca piscibus talibus tæniosis fertilissima. Suspiciatur,
tæniam in hac Fœmina ventriculum aut duodenum pe-
netrasse, inde in cavum ventris venisse, ac erosisse pe-
ritonæum, musculos, integumenta in dextro hypo-
gastrio. Censet quoque, tæniam vivere instar bom-
bycum vel polyporum, (quæ tamen inter animalia
multum obtinet discrimen) divisam in varia animalcu-
la; quod tamen ita esse non videtur.

Voluit remedio illo ex formicis parato plura ex-
perimenta facere; sed incassum. Meliorem effectum
vidit ab *elixire* DE BIELKE, sive a remedio, quod
vocat *testamentum* HIAERNE. Non explicat, quibus
rebus hæc composita sint.

D. ROSEN in iisdem *Actis Holmiensibus* miratur
Medicos in tæniæ, HIPPOCRATI jam notæ, historia
tam parum profecisse. Confirmat sententiam SPÖRIN-
GII de origine horum vermium in corpore humano ex
tæniarum seminio una cum aqua in corpus delato. Ver-
fatos Piscatores noscere tales pisces (tænias continen-
tes),

tes), hinc eos etiam occidere, ac projicere. *Braassen*, quos nonnulli cyprinum vocant, (cyprinus latus) aliosque planos pisces (inprimis tincas, cyprinos vulgares, salmones, gobios, truttas, caraces, & erythrophthalmos, & anguillas &c.; unde *Cel. VAN DOEVEREN* dixit, fore ut canis, ubera matris adhuc ducens, certo certius tæniis laboraret, si aqua non nisi ea illi ad potandum exhiberetur, in qua aut tincæ aut anguillæ deguerint), laborare sæpe his tæniis. Nosci id ex piscis colore obscuriori, latitudine minori, ac tenuiori dorso: tandem deplorat sortem humanam, quod sæpe tæniæ præsentia minus in hominibus, quam in piscibus cognoscatur. (Addendum his, quod & homines multi ipsi sibi animalia hæc in corpus adducant, ope viscerum ac intestinorum talium piscium; quæ non purgata abs hæsitatione in jure &c. leviter decocta comedunt. Quin notavit *ANDRY*, a *Multis*, in historia naturali sane non versatis, ipsam tæniam pro lactibus piscium haberi & comedi.)

Felix PLATERUS videtur primus tæniæ in duas distinxisse species; unde adhucdum illud nomen in scholis tæniæ primæ, vel secundæ *PLATERI*.

Nic. ANDRY distinguit in binas species, quarum prima careat, altera gaudeat, spina.

(Tertiam his binis adjecit, quam tæniam cum involucre dixit (tænia à enveloppe), *DIONIS*, *Dissertation sur le tænia* &c. p. 5. 6. — *Cel. HERRENSCHWAND* distinxit vermes hos in eos, quorum articuli, dum animal corpori adhuc inhæret, ab invicem secedunt, ac in eos, qui nunquam dividuntur, continuo crescentes. — *Cel. PALLAS* vermes, quibus homines infestantur, omnes divisit 1) in furias; 2) gordios, seu dracunculos, aut venas *Medinenses*; 3) ascarides; 4) teretes; 5) tæniæ; 6) fasciolas. — *Cl. MURRAY* distinxit I. in asca.

ascarides; 2. *teretes*; 3. *tæniæ*; 4. *ascarides lumbricoides*; 5. *fasciolas intestinales*; 6. *gordios aquaticos*; 7. *trichurides* RÖDERERI. — Tæniæ binas Ipse observavi species, *articulis nitidis & punctatis*. *Articulos præterea longiores aut breviores* notam characteristicam essentialem binarum tæniæ specierum constituere, hæcenus observavi.)

Cl. BONNETUS distinguit in species binas: *articulis brevioribus, & longioribus*.

Cl. LINNÆUS in *diff. de tænia* recenset

1. *tæniam osculis marginalibus solitariis*;
2. — — — *lateralibus geminis*;
3. — — — ——— *solitariis*;
4. — — — *marginalibus obpositis*.

Dici solet, tæniam esse in homine vel animali quocunque semper solitariam, eamque vel cum homine commori, vel nunquam expulsam bene comitem habere, aut ab alia excipi. Verum observata contrarium docent. SCHULZIUS & HOFFMANNUS, MORGAGNI, LINNÆUS, WERLHOPIUS, DIONIS, BONNET tum in hominibus, tum in brutis plures simul invenerunt. (Plures Auctores citatos v. in *diff. van Doevereniana*.)

Lis coorta inter historiæ animalis Examinatores, sintne vermes humani speciei homini vel animali propriæ; an iidem cum vermibus, quos in terra, aqua, caseo, fructibus, varios quotidie contemplamur? Multa sane possunt argumenta utramque in partem proferri. (Latius disquisitam hanc quæstionem v. in *cit. sæpe dissert.*, quam & *Cel. de HAEN* ubique sequutus est, & in compendium solum hinc inde redegit.)

Id saltem constitit, vermes humanos, & maxime *tæniam*, de cujus extra humanum corpus existentia olim lis fuit præcipua; constitit, inquam, tæniam constanter observari in canibus, felibus, & etiam avibus (pi-

scibus potissimum plurimis; & extra omne corpus animale in aqua liberari.) *Acta Berolinensia* (*Miscel. Berol.* 1727 p. 42.) habent, tæniam in anseribus inventam. *Exp.* ONYMUS jussu serenissimi Principis Auriaci avem maximam struthio-camelum dissectuit, ejusque tum in cœco, tum in colo tantam copiam latorum lumbricorum in se convolutam invenit, ut libr. $1\frac{1}{2}$ pondere superaret. (*Editor germanicus dissertationis varæ Doeverenianæ* nomen animalis, in quo hæc vermium reperta copia, non addidit; quod hic notandum duxi.) In columbis tænia inventa fuit.

Est quoque magna deprehensa similitudo inter vermes animalium, & vermes alios.

Cel. LINNÆUS testatur in *Syst. Nat.* p. 213., (*Diff. de tænia* p. 93.) se, cum septem Sociis, in Sueciæ quodam loco, tæniam invenisse. (Manca hæc relatio! Invenit LINNÆUS tæniam liberam in palude, aliam vero sub ochra flavente acidulari Jaernensi.)

Commentarius Lipsiensis (*de rebus in Medicina &c. gestis*) 1752 *Vol. 2. part. 1. p. 66.* sic habet: „Fœmina, aliis pluribus symptomatibus vexata, lantos etiam vermes per anum excrevit; quorum etiam numerus nunquam minuebatur, verum potius semper nova eorumdam rejiciebatur copia. *Cl.* UNZERUS, conjectura quadam commotus, existimavit, aquam forte, quotidie ex puteo quodam haustam atque ab Ægra deglutitam, proximam hujus verminosi morbi esse causam. Neque opinio eum fefellit: hujus enim usu intermisso, vermes reliquaque symptomata disparuere. Aquam ipsam postea disquilitavit Auctor (*Cl.* UNZERUS); atque singularem vermium catenam, longitudine duas spithamas æquantem, in ea deprehendit. Cur vero rarissime extra corpus, in aqua, detecti fuerint vermes, diversum eorum habitum forte causam esse adfirmat.

In puteali enim aqua obscuriorem gryseum, parum modo in rubicundum vergentem, colorem ostendunt: ex corpore vero animali eliminati vermes albidiores sunt: uti omnes vermes a chylo hausto eundem colorem adsumunt. (Tæniæ, quas Ego vidi, lacte dilutiori repletæ videbantur; ex disruptis etiam liquor sublacteus, nonnihil viscidior, prodire solet.) Præterea multo minores erant cucurbitini in aqua puteali habitantes; quod etiam a deficiente nutritio chyloso succo deducit *Cl. Auctor.*

LINNÆUS citat etiam MENANDRUM, qui tæniæ detexit in palude.

(TISSOTUS in palude Helvetiæ tæniæ vidit.) Quoad *lumbricos teretes* est sane maxima eorum similitudo cum terrestribus, licet ephippio careant humani; modo in terrestribus ephippium illud constanter observetur. Piscatores, qui lumbricos servare volunt pro piscatura, solent eos arena (humo pinguiori) involvere, & lac adfundere, quo nutriantur. Rufus illorum color tum a lacte sensim in albidum mutatur. Hac ratione moti plures Auctores dicunt, lumbricos terrestres cum teretibus eisdem esse.

Differt quidem longitudo teretium & latorum vermium, qui in animalibus habitant, a longitudine terrestrium & aquosorum. Sed respondent, id observari etiam extra corpus, dum vario nutrimento aluntur; quo in casu & color variet, & longitudo. Ergo hic fieri, quod alibi fit; nempe, pro varia matrice, & domicilio, & nutrimento, animalia omnia & vegetabilia, multum differre.

(v. VAN DOEBEREN, c. 5. *objecl.* 5. — Inlustrari quidem videtur, primo intuitu, his momentis, aliisque, controversa quæstio: interim tamen, si non solum longitudinem augeri, sed & fabricam teretium v. c. humanorum, & lumbricorum terrestrium essentialem diversam esse,

esse, Anatome demonstrari queat; uti saltem *van DOE-
VEREN*, & *REDI*, & *TYSON*, & *VALISNIERI* adfir-
marunt, obpositum denuo tenente *LINNÆO*, *SCOPO-
LIO*, &c.; omnes tum illæ instantiæ non dirimunt du-
bium. *v.* autem paullo ante, *p.* 26., adlata, certiora.)

In edita, hoc anno 1779, *Gottingæ Dissert. Cl.
Dav. Corn. RAUH*, de *ascaride lumbricoide LINNÆI*,
monetur jure optimo, plurima nos adhucdum latere
de structura vermium interna, generationis modo, ge-
nio, vitæ genere. Adducuntur nonnullæ, huc facien-
tes, instantiæ; esse *v. c.* vermes, qui loco saniei al-
bidæ verum sanguinem rubrum vehant; *Nais digitatæ*
MÜLLERI arteriam rubrum, venam album sanguinem
continere; &c. — — — Quod ad *cingulum* dictum
lumbricorum terrestrium, extremo antico propius, ad-
tinet, *LINNÆUS* illud mavult dici *annulum carno-
sum*, rectissime autem *ephippium* dicitur, quoniam
deorsum corpus eo non tegitur. Hoc etsi plerumque
hi instruantur, non tamen perpetuo in hisce adest.
Narravit *AUCTORI Inl. MURRAY*, sibi aliquoties lum-
bricos terrestres obvenisse, quavis ephippii nota desti-
tutos; in ambiguo autem se relinquere, an ab ætate
hic defectus dependeat, quod quodammodo eo proba-
bile fit, quod minoris magnitudinis hi vermes essent,
& ephippium hocce tanto manifestius fit, quo major
vermis existat; an Auctor quærit, ab anni vel coitus
tempore? (Ast vidi omni anni tempore, sed non in
omnibus; quum subin & minimi eo caruerint, subin &
maximi. An non præsentia ephippii vel morbi vel sa-
nietatis vermis indicium quoddam est; ut præsens, vel
absens unum alterumve nunquam non designet; restaret
inquirendum, quemnam? An non læsionem prægressam
notat; nam vulneratis consulto nonnunquam in læso
loco vix non simile quid enascitur?)

Sed nec ephippio omnem lumbricum intestinalem carere, patet ex observationibus *Cl. van PHELSUM & van den BOSCH.* — — — Quum facillime intestinalis ac terrestris lumbricus confundantur, sciendum, *AUCTOR* profequitur, *lumbricum verum* uno extremo esse manifeste obtusum, altero acuminatum: si extenditur, omnino quidem esse teretem; si autem contrahitur, subtus esse planiorem; quin versus obtusius extremum, seu posticum, angulatum; segmentis constare, secundum *LINNÆUM* centum, secundum *Aliorum* computum autem pluribus; ephippio plerumque cingi, eum locum occupante, quem, si deficeret illud, annuli 26tus & sequentes ad 30mum occupaturi essent; setis demum numerosis (*v. Inl. MURRAY, observ. de verm. in lepra, & lumbricorum setis*) constare. — — — Optimam iconem exhibuit *Cel. MURRAY l. c. T. 2.*; *Auctoribus* vero, qui de verme hoc egerunt, colligendis peculiarem operam inpendit *Cel. MÜLLER, Verm. terrest. & fluviatil. histor. Vol. I. P. 2. p. 24.* — — — Sed, præter dicta discrimina externa, quoad sexum & internam structuram multa in lumbrico terrestri alia sunt: hermaphroditici generis esse, dubio vacat. Internam anatomen descripserunt *WILLIS & REDI*, qui etiam testatur, a vermibus figura similibus, in hominum vel animalium intestinis obviis, viscera terrestrium discrepare insigniter; quod ex propria autopsia confirmavit *van DOEVEREN.*

Descriptionis ac diversitatis lumbrici terrestris summa eo redeunt, ut *lumbricus terrestris* vermis teres sit, altero extremo adenuatus, annulatus, octifariam aculeatus (setosus) *Ascaris lumbricoides* autem vermis teres, utrinque adenuatus, rugose annulatus, nudus, ore trinodi: (*TYSON* dixerat: *their mouth is compos'd of*

of three lipps: *Phil. Transact. Vol. 13. p. 155. fig. I. 2. aa.*)

Præter hanc speciem REDI memorat aliam, illi valde similem, ejusdem longitudinis, sed cauda compressa; quam & *Cel. MÜLLER* vidit.

Prætereo hic, exactam quidem, internarum vermis hujus partium expositionem; quam AUCTOR ex REDI præcipue, TYSON, VALLISNERI, & KLEINIO collegit — — — Vivipatos esse vermes dictos, contra AMATUM LUSITANUM, BORELLUM, PLATERUM, PANAROLUM adseritur, moneturque, pro vermium foetibus habuisse AUCTORES illos vascula vermium spermatica.

Hunc vermem, AUCTOR his subnectit omnibus, seu ascaridem lumbricoidem, omnium intestinalium vermium esse maxime vulgarem, sustineo, & vulgo pro vera lumbrici specie, quam *Inl. à LINNÉ* varietatem terrestris vocat, haberi: unde tot contra LINNÆUM insultus; qui, si dicendum quod res est, ad Quemlibet alium æque, ac ad Eum, spectant, quum Ille de verme plane diverso loqueretur. Hic igitur præcise intelligendus, dum Practici Medici *lumbrici teretis* mentionem injiciunt. Tanquam rariorem licet lumbrico vero proposuerit LINNÆUS, hanc ascaridem tamen unice TYSON, VALLISNERI, REDI, PALLAS significant, qui sagacitate industriaque singulari vermium teretium longorum humanorum naturam prosequuti sunt. Declaravit & *Cel. MURRAY* publice in *not. ad ROSENSTEINII Anweis. v. d. Kinderkrankh. Ed. 3. p. 466.*, ad rariore eventus esse referendam verorum lumbricorum ex primis viis rejectionem; & in Prælectionibus sæpius, hucusque nunquam alios teretes longi generis sibi oblatos fuisse, quam ascarides hæc.

An igitur narrata lumbricorum verorum in intestinis humanis conmoratio erroribus vel commentis accensenda? Vetat id jam LINNÆI, ait RAÜH, auctoritas. Et nisi existimandum, in univcrsum in Suecia copiosius, quam alibi, lumbricos veros in intestinis hominum nidulari; saltem agnoscendum, summo Viro aliquoties tamen ex hominibus excretos obvenisse; an casu deglutitos? Copiose in Suecia plebem ascaridibus lumbricoideis corripî, tradit *Cl. HIORTH, forisåtn. af Provinc. Med. berättelser p. 131.* Dubium vero vix est, vermes istos humanos, quos ephippio cinctos conspexerunt *Cl. PHELsum & van den BOSCH*, lumbricos fuisse. Tanto majorem fidem merentur, Quibus utrumque genus teretium vermium longorum una ab hominibus secedens observare datum fuit; sub qua oportunitate comparationis suspicio evanescit omnis, ne in denominandis iis error commissus fuerit. Sic narrat *Inl. ROSENSTEIN*, Infanti quadrienni, emaciato valde & debilitato, post tantillum spiritus frumenti potum quatuor ulnas teniæ & decem vermes ex lumbricorum & ascaridum, illis similibus, genere secessisse. Aliud exemplum retulit *Cl. MONTIN K. Wet. Acad. Handling. 1763 p. 113. &c.* de Virgine nobili, quæ præter fasciolas, vermes cucurbitinos, tænias disruptas; aliquot lumbricos, uti & aliquot ascarides lumbricoïdes per alvum diversis temporibus post medicinam adhibitam exclusit: unde simul adparet, ascarides dictas non semper solas comparere, sed subinde in aliarum specierum comitatu.

— — — Puerilem præcipue ætatem vexant, etfi nec in aliis omnibus desiderentur; inprimis Qui viscosis putrescentibusque cibis utuntur; ut plerumque sunt infimæ sortis homines, & in bellis haud raro Milites;

putridis febribus in hisce vulgo adjunguntur; sed & quibusvis morbis aliis.

Quo frequentiores, eo minores, & ex obposito; ob majorem utique minoremque nutrimenti copiam. Plurimi plerumque simul adsunt. Excretos refert ROSENSTEIN ex Puella intra novem dies vermes tales 90, BENIVENIUS ex Infante septenni 152; ex Puella MOUFETUS 170; ex Sene octuaginta duorum annorum MUSA 500; ex Infante nobili PEREDIA intra aliquot dies millia ferme vermium, & intra quatuor horas quadraginta dejectos narrat.

Intestinum jejunum præcipue obsident — — — intestina sæpius perforant; vel in cavum abdominis, vel in aliud viscus, vel extra abdomen, ulcera in integumentis enato, sese subducentes.

In vitulis, suis domesticis, lupis, tygridibus; piscibus variis fluviatilibus &c. inventos ait PALLAS (in felibus REDI vidit, in gallinis, canibus EGO detexi; ut & in piscibus variis visi); in hepate gadi callariæ, HIORTH; in perca fluviatili FAXE: quæ observata partim jam antea adducta fuerunt. — Piscium tamen esui, subjungit AUCTOR, non eodem jure hic vermis inputari potest, ac tænia; quum iste & vulgatissimus sit iis in locis, in quibus pisces rariorem escam constituunt. Quantum igitur constat, extra corpus animale hisce vermis non occurrit. (Minime tamen id pro evicto adserere vellem; quum, si nulla alia adesset ratio, exemplum tæniæ locum dubitandi excitare queat.)

Mortuos vermes contemplatus *Inl.* MURRAY retulit AUCTORI, extremum trinode rectum, alterum obpositum vero incurvatum, sese plerumque repisse; ut itaque hoc ipsum consuetum videatur.

Refert nunc tentamina, quæ a *Cl. MURRAY* accepit, sequentia, notatu sane digna. Puellæ quinquenni, cui *Cel. VIR* variolas inserere constituerat, ideoque per intervalla aliquot dierum mixturam salinam cum tinctura rhei propinaverat; secessit versus plenum ascaris lumbricoides absque aliis signis vermium, quam frictione narium subinde contingente; quæ, utrum ex petulantia, an coacte fieret, tum incertum erat. Post tres dies exhibitio pulvere anthelmintico, (cur non addita formula?) duos minores vermes ejusdem generis mane excrevit. Unus horum major fuit, alter minor; ambo rigidi; ut videbatur, mortui. Minor circularem intorsionem per binos fere gyros posico sine fecerat. — (quam corporis totius contractionem spiralem rigentem, in vermibus intestinalibus avium gallinacei generis, aëri libero, etsi calenti, expositis, semper & *EGO* observavi) — : quoniam novissime redditi erant, spes adhuc superfuit, vitæ restituendæ. Quod ut fieret, aquæ tepidæ *Cel. MURRAY* eos immisit; paullo post movere se inceperunt, incurvari vario modo, intorqueri, gyros formare, expandi, e. s. p. Retentus uterque in patina figulina; quæ licet non liberum satis spatium motui progressivo concederet, cognosci tamen satis potuit, extremum ore trinodi instructum, esse antierius; quum motus edens vermis semper ab hoc ordiretur, idque crebrius extra superficiem aquæ porrigeret. Refrigescente aqua, eadem ratione in majori verme torpuit motus, conquiescens demum omnino. Rediit vero pristina alacritas, iisdem denuo tepidæ inmersis. Ab aqua tepida eos mollescere, a frigida rigere, ut in aëre libero, deprehendit. Crassities corporis semper mansit eadem & longitudo, nec undulatoria ulla corrugatio superficie locum habuit; quæ omnia contrario modo in lumbricis veris

se

se habent. Sensus subtilissimi eorum testimonium dedit compressio; qua ipsa alicubi adplicata, mox sese inflexerunt, manifestius autem irritatio apice cultri peracta.

Pro peculiaribus, aut pathognomicis vermium horum signis recensentur: tormina, præcipue circa umbilicum, ac subinde subsultus intra abdomen: quorum rationes, aliunde facile obvias, hic prætereo.

Dum similitudine, AUCTOR observat, ducti Medici vermibus teretibus longis hominum fetas lumbri-
corum tribuerent, multas gravesque molestias, vel sola fetarum vi nasci arbitrati sunt: quæ tamen omnia mala, utut verissima, aliam causam agnoscere jam persuasi sumus; utpote quum fetis destituantur vulgatissimi isti teretes. In os eorum trinode, sugendo, adnectendo sibi, terebrando aptissimum, culpam optimo jure rejiciendam ait. — — Spiris, prosequitur, illis perpen-
sionis, quas in aqua tepida vermis format, & nodis artificiosis, quos inter se invicem nexuerunt; mente facile concipitur, quomodo cavum intestini obturare possint. (*) Probabile adeo, ita necti posse mutuo, ut

C 5

no-

(*) Probabilitas opinionis sententiæ, ab AUCTORE hic adlatæ, vix non ad plenam certitudinem deducitur instantiis aliis. Vix fuerunt glires plures, caudarum intortu mutuo adeo invicem nexi, ut impossibilis demum plane evaderet separatio; quod inperitum vulgus nescio pro quo singulari animali habuit, ac novum nomen, *Regis glirium*, *Nat-
tenkönig* excogitavit: v. opus Cl. HALLEN, *Naturgeschichte der vierfüßigen Thiere* 1c. S. 429. — Feles juvenes sex, funiculorum umbilica-
lium

nodos explicare nequeant, sed adjumento copiosi mucici, quem tam vermes ipsi emittunt, quam intestina, compingi arctissime; ita, ut nec flatibus, nec excrementis transitus ullus pateat, unde pertinacissimæ alvi obstructions, vomitiones intensæ, ipse ileus, inflammationes cum suis sequelis.

Fertilitatis vermium horum stupendæ argumentum ex observatione *Cl. TYSON* adfertur, qui in utroque vermibus hujuscemodi ovario 10000 ova numeravit; quorum quidem plurima perire ac excerni, sed & plurima remanere, &, causis imprimis accedentibus ad exclusionem obportunis, animari queunt; quod non adeo raro contingere, antea adductæ circa tantam copiam ex uno homine expulso, docent observationes.

Sensibilitas magna vermium horum beneficium adferre valet *Ægris*, dum aquæ frigidæ aut remediorum antihelminthicorum actio eo magis & promptius illos adficit.

Si-

lium intricacione arctissime connexas, ut coalitæ viderentur, autopta retulit *CARPZOVIVS*, *Poliater Grimmenfis in Saxonia*, v. *Versuch einer Kaugengeschichte* S. 48., monstrosus hicce coalitus in adjecta tabula exhibetur; ubi simul ex *Rediano* opere sistuntur icones vermium, in felium interterraneis habitantium. Idem phænomenon & altera vice cum quinque felibus juvenibus, ab eadem, quo priores, Matre editis, qui in *horto Bosiano Lipsiæ* inter alia rariora adhuc adservantur, contigit. — Mucum etiam intestinale firmissimum evadere posse, docent illæ instantiæ, ubi sub forma tuborum longiorum coherentium, intestinorum figuram exacte referentium, aut sponte, aut remediorum adhibitorum actione, eliminatus fuit.

Similis eventus in *tænia* fuit, aquæ gelidæ inposita; unde *Cel. ROSENSTEIN* consilium cepit, ope medicinæ purgantis, & huic aquæ frigidæ copiosius superpotatæ, *tæniam* ex corpore eliminandi; quod curationis genus & sæpius bono cum successu fuit in usum vocatum. *Ascaride lumbricoide* in corpore præsentē, post fortiora purgantia copiam insignem aquæ frigidæ potatæ valuisse, *van den BOSCH* expertus fuit. Frigidæ actione rigefactus & adhæsiōnis incapax redditus vermis purgantis effectu expellitur. Sensibilitate, sub finem libelli hujus *AUCTOR* ait, adeo hos vermes intestinis ipsis potiores esse, ex remedio haud ita pridem detecto, scilicet setis *Dolichi prurientis LINNÆI* concludo, quam stirpem *Inl. MURRAY Adparat. medicam. Vol. 2. p. 358.* &c. omnium primus in supellectilis medicæ censum adoptavit. Legumen hujus Indiæ utriusque plantæ setis densis a ferrugineo subfuscis & nitidis obducitur, quæ vento separatæ prurimum molestissimum & urentem cuilibet animalium creant, cujus cutim vel pellem tangunt. Hæ ipsæ & vermes hosce rigiditate & acumine suo moleste adficiunt, & cogunt per alvum copiose fecedere. Ne vero simul labem ventriculo & intestinis inducant, miscela earundem fit cum syrupo quodam ad spissitudinem electuarii liquidi, cujus cochleare pro *Thea Infanti* bienni vel trienni, & dupla quantitas *Adulto*, mane, jejuno ventriculo, per aliquot dies exhibetur, subjuncta dosi *rhabbari*. (*) Hactenus excerpta ex *Dissertatione Cl. RAUH*: quæ *Haenianis* circa vermes cogitatis jungenda duxi; — Vitis *Typhothæ* brevioribus lineis non distinctum totum hoc additamentum fuit.

Circa

(*) An rigidulis quoque moleculis, quibus fructus *cynosbatos* gaudent, adtribuere debeo phænomenon

Circa sententiam : vermes, qui in hominum habitant intestinis, non ab intrinseco in illa suscipi, sed produci ex materie quadam, ut ita dicam helmintopoëtica, circumstantiarum aptarum huic fini ope in actum vitamque deducta, legi poterunt adnotata in *Cel. UNZER* opere egregio : *Der Arzt*, B. 2. S. 680. & B. 5. S. 226. &c. Libere fateor, me nunquam non edicturum potius fore, ignotam mihi esse vermium generis, quam quidem per illam theoriam eam expositurum; nisi convincentibus maxime argumentis ad hoc adactus fuero; quod vero vix futurum spero.

Redeamus tandem ad textum *Hænianum!*)

En Vobis parvam *Helminthologiam* (synopsin maximam partem amplioris præstantisque *van Doeverianæ*; in qua plurima continentur scitu sane necessaria, quæ HAENIUS intacta relinquere debuit, quæ nec Ego, ob dudum dictas rationes adferre potui). Quid porro in nobis agant onerosi hi hospites videamus.

Illi autem fugendo, movendo, vellicando &c. Non adsumemus partes *Cl. BIANCHII*, qui vermes distinguit in *naturales & morbosos*: certe, vermes homini naturales esse, adeo absonum est, ut Omnium offendat animos. Causa erroris *BIANCHII* est, quod multi homines vermibus obsessi per omnem vitam nil mali sentiant. Revera in praxi toties vidi homines sanissimos, qui nunquam quid mali multis retro ab annis passi erant, in morbo acuto dein prope crisin vermes

menon expulso ab adsumto illorum *Roob* lumbricis intestinalibus? An idem effectus semper sequitur; nam defuit mihi nunc occasio, plura instituendi tentamina? DE W.

mes teretes excernere : inde tamen non sequitur, hos vermes esse homini naturales. Diathesis ad magnos morbos sæpe in corpore humano latet perpetuo ; nec tamen adesse, negari potest. Videmus Infantes, qui acido laborant sine morbo (aut manifestiori inde exurgente incommodo), foetor acidus in illis sudoris & excrementorum demonstrant præsentiam acidi. An autem, quum bene tamen habeant, acidum illis naturale dici potest ?

Venerandus PRÆCEPTOR paucis illis verbis exposuit totam Pathologiam vermium. Pleraque symptomata clare adeo ex ipsa historia vermium fluunt, ut Vos me exponente vix indigeatis. Pro more tamen breviter exponam.

Illi autem fugendo, &c. Qua ratione vermes hæc omnia patrent ; liquet ex natura tum partium quas obfident, tum animalium ipsorum.

Acta phys. med. N. C. tom. 7. Obs. 129. p. 473. exhibent nobis verum ileum a vermibus ortum, tumorem dein inguinis, pro abscessu habitum, ruptum, teretesque tres vermes notabilis magnitudinis una cum fœcibus exin prodeuntes. Gangræna tum nata artis ope sistebatur, sed finis historię ibidem non habetur ; ut adeo nesciamus, quis finis demum malorum fuerit. (Nullum, recte monuit PECHLINUS, tam peregrinum est symptoma, tamque *δαίμωνιακόν*, quod vermes excitare non possint. Aphonian cum fœcum excretionis involuntaria ex hac causa natam, & vomitu rejecto verme terete curatam refert VAN SWIETEN. Singularis autem inprimis est, dummodo vera, historia, quæ refertur in *Breslau : Sammlung der Natur und Kunst ; 24. Vers. S. 198.* ac in *Edit. germ. Diff. van Doever. p. 243.* quam, quod prolixior sit, hic adferre nequeo. — Monitos autem velim juniores Medicos, ut in morbis, qui subin miri maxime, ametri,

& vix non supernaturales videntur, ad hancce causam respiciant.)

24. Maji 1752. Lugduni Batavorum Medicus VAN DOEVEREN multis Amicis, Medicinæ Studiofis adstantibus, examinavit biennis Infantis cadaver, in quo tumor insolitus abdominis adparuit. In cavo abdominis insueta reperta copia liquoris, cum materia fusca, spissiori, chyloso-fœculenta admista; uncias aliquot æquante. Supra pubim in hoc cavo mox adparuit teretium lumbricorum fasciculus, ex perforato intestino ileo propendens, varie inflexus & contortus: qui fasciculus, examine facto, compositus cernebatur duobus teretibus lumbricis, quorum alter integre in abdominis cavitate extra intestina hærebat; tenuis, & præter propter 5 pollices longus: alter tertia sui parte in ilei latebat cavo, duabus autem tertiis extra ileum in cavo abdominis; octo pollices longus, pennam anserinam crassitie æquans. Foramen in ileo autem digitum minimum facile admittebat. Inde, in eodem intestino, ad duos circiter pedes inferiora versus, alius cernebatur vermis; qui, quod notabile, uno sui extremo per secundum foramen in cavum abdominis penetrabat: altero vero ad duorum pollicum inde distantiam per tertium foramen in cavum prodibat abdominis. Tandem in fine jejuni quartum, æque fere magnum, foramen visum, quartum continens vermem teretem, sat magnum, tam mire contortum, ut laqueum referret: in jejuni præterea principio erat verus volvulus, insignis, susceptum exhibens intestinum, inflammatum a superioribus inferiora versus. Venterculus in sinistra inferiori parte a medio fundi ad cardiacam admodum inflammatus, ut & variæ hinc inde in tubo intestinali inflammationes.

Etiam

Etiam in suecica illa muliere, (cujus historia paulo ante data) vidistis, tæniam tumore abdominis aperto egressam ab erosione & perforatione intestini.

(Inter intestinorum tunicas hærentes vermes *Inl. L. B. de STÖRCK* vidit; & Americanis a vermibus intestina subin perforari *Cel. de JACQUIN, Inlustri van SWIETEN* retulit; & ipse *HIPPOCRATES* id jam observavit, & *HEISTERUS*, & ingens copia *AUCTORUM*, qui citati habentur in *dissert. van DOEVEREN*: ut adeo incassum negarit rem ex theoria *BROUZET*, quam praxis toties, & possibilem, & vere factam esse, demonstravit. — Dubitavit tamen *Celeb. MORGAGNI Epist. 16.*; *ad fin.*, num omnes historiæ, quæ adferuntur ad demonstrandum, vermes perforare in vivis hominibus intestina, id revera demonstrent. Conjicit saltem, vel id inter mortem & sectionem cadaveris contigisse; intestina enim tunc sæpe gangrænosa; vel ulcera præcessisse, aut vulnera: ut *HIPPOCR. Epidem. 7. sub fin.*, *DINII* puero lumbricus magnus ex umbilico, olim vulnerato, exivit.“ Non est, cur limitationem hanc *Cl. MORGAGNI* non admittam; errare autem, Eos multum censeo, qui omnem omnino intestinorum perforationem impossibilem in vivis hominibus, aut animantibus existimant — Perforatio illa sæpius a teretibus, quam aliis vermibus fit; fieri tamen & a tænia, quin & ab ascaridibus & fasciolis posse, docuerunt exempla.)

An effectus vermium clarioribus exemplis demonstratos habere potestis? Nonne simul hinc intelligitis, cur chylum consumant? Multitudine plerumque sua vermes potioem chyli portionem rapiunt; unde corpus emaciatur: sæpe etiam oritur, tum a chyli defectu, tum ab irritatione acri ventriculi, βέλμιος, fames dicta

dicta *canina*. Videtur in Multis, non in Omnibus, illa fames frequentiori alimento sedari (hinc & pejora symptomata adfuntis cibis nonnunquam melius fere, quam medicamentis, curantur, aut palliantur.)

Nervos irritant; unde tanta sæpe mala (inprimis spastica). Nam quid non mali sæpe a læsis ventriculi nervis; ab adfectis nervis intestinorum? Hac irritatione spasmi oriuntur, qui, ut semper, impediunt perspirationem, pallidamque urinam reddunt; quum contracti nervuli per reliquas corporis partes ita constringant vasa minora, ut crassioribus impeditis mera tantum limpida urina transeat.

Epilepsia nasci potest deuteropathica a vermibus rodentibus intestina, & maxime cardiacam; locum illum antea jam vario sub respectu a nobis consideratum.

Verum, ut ab omnibus viarum primarum foribus, ita maxime a vermibus, oriri possunt, consensu nervorum, tusses; qualis erat tussis ferina Infantum, de qua *Commerc. litterar. Norimb. an. 1732* agit; quæ per emetica & anthelmintica curata est.

Vidi dolores acutissimos in latere ad costas infimas, quæ mentirentur pleuritidem, lumbricis ejectis, integrè sanatos.

Nausea & vomitus sæpe hinc nascitur, 1. ab irritatione; ubi enim peregrinum quid vellicat intestina, maximeque ventriculum; vomitus, ut naturæ conatus, oriuntur, quibus hostis ingratus debelletur. 2. Ab ipsis vermium fæcibus, quas illi, tantopere chylum confumentes, necessario intra intestina, vel ventriculum deponunt: quibus putrescentibus, nausea ingens excitari debet. 3. Ab ipsis vermibus nonnullis mortuis, qui putrescentes denuo abominabilem fœtorem generare & vomitus enormes excitare debebunt.

Sæpenumero evenit, ut Ægri non vomant, sed ut os ipsis madefcat, & aquoso humore repleatur, cum anxietate ad præcordia; quod & HIPPOCRATES jam adnotavit.

Eadem de causa oritur *stridor dentium*, maxime in Infantibus; ingratum illud symptoma & horrendum omnibus hominibus. — Causam stridoris dentium a vermibus non aliam capimus, quam nervorum commercium.

Vidimus, a saburra, a bile acriori, a re ingrata oriri sternutationes, ex communicatione intercostalis cum pari quinto. Sic, si Infantes dentiunt laboriose, alvo diffluunt; ob idem nervorum, præter alias rationes, commercium. Dentibus erumpentibus cessat omnis diarrhæa.

Singultus ab eadem irritatione, horripilationes, rigores, pulsus exiles intermittentes, febres, convulsiones (præcipue trachelotetani), tremores, palpitationes cordis. Est talibus album oculorum non instat perlarum; verum aut album nimis, ingrato aspectu, sine pelluciditate aut nitore; vel cæruleum: est etiam membrana cellularis laxa sub oculis tumida. Lingua plerumque albescit, (pastacea sorde obducta; fœtor simul oris specialis, uti a putrescente muco.) Si hæc omnia signa cum tumore abdominis, sæpe variæ extensionis, cum pruritu narium, (cum colore fæcum molliorum subgryseo, lurido; plura adhuc signa *Cel. Tissot* collegit;) jungatis, facile habebitis hominis verminosi diagnofin.

Laudata paullo ante *Commentaria Norimbergensia* memorant, autumnali tempore Militem robustum vegetum, feбри intermittente corripit cœpisse; cujus in paroxysmo prehensus fuit tremoribus involuntariis variarum partium, maxime brachiorum: accessit risus fardosus

nicus; pulsus sæpe intermittens, tremulus, parvus, tamen velox. Emeticum una cum biliosa mucosaque saburra simul expulit vermem teretem ingentem. Expulso eo filebant brevi symptomata, ipsaque febris.

Immo morbos fere omnes sensorii communis & capitis produci posse a vermibus, docent Observata. Deliria, paralyfes, pavores in somno, vertigines, maniam, uterinos furores &c. *v. Eph. N. C. Dec. 2. ann. 5. Adp. obs. 66.*; tinnitum aurium, cœcitatem, aphoniam &c. adnotarunt Observatores. *V. HOFFMANN. Op. Tom. 3. p. 250.* (Plures adhuc ab hac eadem causa natos morbos refert VAN DOEVEREN; ex quo HAENIUS hic enumeratos, & sequentia, ordine excerptit.)

Hinc intelligitis, cur epilepsia sæpe curetur antihelmincticis. Nobilis Neapolitanus FABIVS COLUMNA, Epilepticus, frustra opem medicam expertus, Botanicen demum excolens incidit in radicem phu, sive valerianæ sylvestris; de qua notatum legit, quod epilepsiam curaret: adhibuit eam, curatus est. Nil probabilius, quam latentes intime vermes, aliis remediis inexpugnabiles, cessisse tandem huic medicamini, sicque FABIVM ab epilepsia demum curatum fuisse.

Infans 12 annorum, sanissimus visus, subito corripitur leipothymia, spasimis, convulsione, immo insultu epileptico leviori: insequuta febris quotidiana. Vermes forte causam esse, suspicatus medendi Artifex, aquam, cum qua mercurius decoctus fuerat, propinat. Duo teretes, majores, vermes ejiciuntur; brevi tum exfularunt symptomata. *v. Hist. Acad. reg. sc. Paris. 1706 p. 430.*

Choræa S. Viti, mirabilis nervosorum morborum species, qua homines ad miras gesticulationes, agitatio-

tionès, saltationes, profum inviti, immo quandoque infcii, compelluntur, etiam hoc ex fonte nata, remedio anthelmintico curata fuit. *V. Eph. N. C. Dec. 2. ann. 5. Adp. n. 19.*

Choræa S. Viti laborat Puer per septennium; oleum demum illi propinatur animale Dippelii; quod equidem aduersus epilepsiam laudari solet ut summum remedium. Vi tamen anthelmintica profuisse hic videtur; nam septem lumbrici majores expulsi, tum verò epilepsia curata fuit. *V. Commerc. litt. Norimb. 1734 p. 29.*

(Non possum non monere hac occasione, inani consilio remedia plurima contra hunc illumve morbum laudari, & circumferri, si non determinetur simul, qua ex causa ortus morbus esse debeat, indicato remedio curandus. Id si non observetur, morbus sæpenumero non curatur, sed sensim increfcit, & pejor longe, vel & lethalis redditur; aut novo augetur. Patet hinc, quam egregio & societati utilissimo consilio delati fuerint in novissimis *Dispensatoriis* catalogi illi morborum, cuius remedium formulæ antea subnexi: Medicastris quidem mirum quantum inservientes. Vix non omnes autem *Materiæ medicæ Scriptores*, excepto imprimis *Cel. MURRAY*, illam triverunt semitam, ut generatim edicerent: valet hoc in ictero, illud in cardialgia, e. s. p.: ast, in quanam icteri &c. specie, a quanam causa excitato? Hic nil responsi. —)

Perforationem intestinorum antea jam vidimus: præter adlata exempla recensetur aliud in *Act. phys. med. Vol. i. Obs. 172.*; *HALLERUS* etiam in *Collect. Disp. med. n. 3.* unum retulit. (v. etiam *der Arzt. 6. B. S. 132. &c.* & *VAN SWIETEN Comment. in Aph. 1366* & *J. H. SCHULZ Diff. de lumbricis effractoribus*

bus Halæ 1740 & C. COITH, Diff. de lumbricis, intestino perforato per abdomen egressis. Basil. 1734. — Est res sane periculosa, non tamen semper lethalis. Referuntur etiam exempla resitutorum hominum, quæ perforata fuerunt intestina. Scitis in historia vulnerum nos considerasse magna vulnera intestinorum tenuium ut plurimum lethalia per se esse; haud ita crasforum.

(Pace autem *Cel. de HAEN* dixerim, aliam sane rationem esse intestinorum vulneratorum, aliam a vermibus erosorum: Intestina sane a vermibus per-tebrata esse queunt, quin adhuc id factum sciamus. Interea temporis liquidum chylosum &c. sensim effluens in cavum abdominis, sensim in corruptionem abiens; continua intestinorum irritatio; vermium perforamina egredientium in abdomen, &, quum pabulum ibi non adeo reperiant, uti prius, dum eo undique cincti erant, morsus; foraminum subpurationes, manui auxilium laturæ denegatus accessus; nam quis abdomen discindat, visurus, an non, sævioribus præsentibus symptomatibus, terebrata fors a vermibus, de quorum sæpe ne quidem certo constat existentia, fuerint intestina? — e. s. p. Pessimæ sane symptomatum syndromes, pessimi, incurabiles, lethales effectus generari sic poterunt. Interim nequaquam negarim, quædam horum & vulneratis intestinis obtinere: sed constat utique, evasisse homines, & vulneratis & a vermibus perforatis intestinis; constat & mortuos esse; tum primo tum secundo casu præsentente.)

Tumorem abdominis &c. Tumores hos efficiunt
 1) moles, glomeres vermium, sæpe stupendi; 2) copia glutinosæ materiæ; quam abundantem, & veluti nidos vermibus subministrantem testantur Verminosorum
 vel

vel curationes, vel secta cadavera: & sane, si tota consideretur digestio, propulsio, inmutatio alimentorum vitiata; si, parte potiori a vermibus absumta, reliqua crassior, glutinosiorque conspiciatur; si bilis in his hominibus inertior, adeoque viscositati dividendæ ineptior, consideretur; si denique a debilitata hac tota chylopoëtica machina cruditas alimentorum & lentor natus ponderetur; non opus est, ut hic anxie inquiramus in originem abundantis glutinis: immo a pravo chylo cachexia; obstructions glandularum mesenterii, retardato ibidem chylo crudo: hinc iterum ratio tumoris.

3) Si his jungatis, aërem continuo inter spasmos (spasifice constricta loca) interceptum, rarefactum, posse mire augere hos tumores; capitis facile, & abdomen tumescere debere, & tumorem ipsum ire redireque subito solere; prout major minorve aëris copia inter bina constricta loca intercepta fuerit, iique spasmi diutius aut brevius durarint.

Quin & subiti tumores oriri queunt, mox ubi ad novum alimentum ingestum convolant vermes per agmina, ut objectam hanc prædam devorent. Visi sunt castrenses morbi, in quibus jejuni linquebantur animo; pasti veluti a veneno intumescabant: vermes horum symptomatum causam fuisse, demum deprehensum est.

Ad vermium curationem infinita decantata sunt remedia. Videte collectionem optimorum in *Mat. med.* BOERHAAVII, unde poteritis formulas feligere.

(Tenendum autem est circa remedia anthelmintica, non indiscriminatim omnia exhibenda, quod sub communi classe anthelminticorum collocentur. Adtendendum hic imprimis ad Ægrorum sexum; ætatem; vires; habitum corporis; irritabilitatem; idiosyncrasiam; morbos forte complicatos; statum sanitatis a vermibus magis minusve læsæ; ad clima

quoque; locum naturalem aut habitationis, vermium generationi fors multum faventem; victum, apud Monachos v. c. piscibus frequenter aut unice victitantes; remediorum adhibendorum vires validiores, aut drafficas, &c. Sic, ratione Ægrorum systemate nervoso mobiliori præditorum, in Puella, quæ vermibus laborare credebatur, ab incocto lacti & frequentius adhibito allio, cum mensium anomalia convulsiones productas novi. Adtendendum denique, non omnibus vermibus idem remedium æque noxium aut lethiferum esse: hanc ob rationem diu sæpe incassum adhibentur anthelmintica; quum inter omnia illa nondum verum pro hac specie vermium adhibitum sit antidoton. Sæpius etiam vix non impossibile est, ut homo a vermibus ex integro liberetur, quum tali diætâ, tali aqua uti debeat, quæ nunquam non vermibus denuo generandis adprime inservit.

Vidit *Cel. UNZER*, in suis nonnunquam vermes inter intestinorum tunicas tuto adeo hærentes, ut, eos Expulsurus, ipsa expellere debuisset intestina: iidem vero & in ipsis hominibus eveniunt casus. Ait *Cel. VIR* in Opere utilissimo: *der Arzt*, 6 B. S. 132. scire nos quidem plurima remedia anthelmintica, non æque autem talia, quæ & seminium destruant vermium, genesinque novorum simul ac mucî tenacissimi, in quo hospitantur tuto, & quo ab injuriis multis ingestorum defenduntur; qui præterea mucus, licet vermes nunc non contineat, ipse aptus natus est excitandis iisdem symptomatibus, quin leipothymiis, epilepsiæ, e. f. p. Practicorum hinc erit, indagare, an hoc illudve medicamentum solummodo vermes fuget præsentis, an & ortum inpediat novorum; nidumque destruat. Optime, ait, tentamina talia instituantur in Epilepti-

pticis, Catalepticis, Syncopticis, quorum ex corpore vermes prodiisse antea observatum fuerat: quod si enim maxima ex illorum intestinis copia vermium mucique educta jam remedio quodam fuerit, symptomata autem nihilofecius perdurent pristina; indicio erit, medicinam illam non egisse in vitium digestionis, quo vermium genesis totaque adeo helminthopoësis fovetur, promovetur. (*)

D 4

Id

(*) Ich habe einige Fälle von der Art gehabt, prosequitur C. UNZER, cujus propria consulto hic adfero verba, da ich Epileptischen, ein, andert- halb und zwey Jahre hintereinander, wöchentlich ein oder zweymal so heftige Brechmittel und Purganzen verordnete, womit man andre starke Leute tödtlich hätte vergiften können, und wovon ihnen jedesmal eine unglaubliche Menge zäher Schleim und von Zeit zu Zeit Wurmeester und unnatürliche Dinge abgetrieben worden, ohne daß es sie länger als ein Paar Stunden ein wenig angegriffen hätte: und diese Leute haben gleichwohl, nach einer so langen Zeit, immer denselben Unrath von sich gegeben, und ihre Zufälle behalten. Man begreift, wie dieses möglich sey, wenn die Ursache, wovon sich stets neue Würmer erzeugen, nicht hinweg genommen werden kann: denn so hilft es nichts, daß man sie heut alle abführt, weil in ein Paar Wochen neue Kolonien davon vorhanden sind; ja es ist auch nicht immer möglich, sie alle abzuführen. Ich habe zuweilen bey den Schlächtern Schweine gesehen, bey denen sich eine unzählige Menge Würmer zwischen die

Id etiam in cura anthelmintica notandum, nunquam non ipsi remedio helminthogogo sociari debere, aut subjungi, purgans; id vero fortius esse, & posse & debere purgante, quod adhibendum foret, vermibus non præsentibus. Quum tamen regula nulla sine exceptione sit; quum homines dentur, ab umbra vix non purgantium jam pessime habentes; uti, ex obposito, dantur alii, pro quibus vix drasticum satis parari queat; hinc, ne malarum sequelarum ulla committatur causa, sub initium curæ, nisi aliunde jam de natura Ægri nobis constet, lenius aliquantulum purgans, quam quod vermes illisque essentialis comes, mucus tenax exigent, in usum vocandum, tumque, si quidem liceat, validiora promenda esse, iudicium dicat practicum.)

In Infantibus sæpe felicissimum ac brevissimum remedium est *limatura ferri*, data v. c., pro ratione ætatis ad gr. v—xx omni mane Jejunis: acido plerumque laborant primarum viarum; unde juvat eo pulcrius. Cæterum *amaricantia* omnia sunt anthelmintica, uti decoctum absinthii apud BONNETUM. (Unde & solo felle lucii ac anguillæ ejeti fuerunt vermes.) Rustici nostri sæpe vermes reddunt ab allio infuso cum spiritu vini. In Infantibus glutinosi & verminosi centies cum effectu dedi sequens:

Rad.

die Häute bey Gedärme eingeschoben hatten, worinn sie so sicher lagen, daß man sie nicht hätte austreiben können, ohne selbst die Gedärme mit weg zu purgiren. Dieser Fall ereignet sich auch bey Menschen; u. s. w. Adducit tum instantias plures perforatorum a vermibus intestinorum; quales jam antea vidimus.

Rad. phu,
 filicis maris,
 polyp. querc.
 fol. Alexandrin. aa. ℥sem.
 fem. fanton. ℥vj.

Infunde cum cerevisiæ pinta. Sumat, pro ratione ætatis, jejunus omni die per dies 14, dein autem omni alterno die, ℥j. ij. iij. iv.

Laudatur etiam aqua decoctionis mercurii (*), vitriolum martis, æthiops mineralis, corallina, purgantia aloëtica, mercurialia.

(*) Vires hujus nonnulli Auctores negare voluerunt, uti v. c. *Cl. BURSERIUS*; Aliis autem bonos inde observantibus effectus. Nuper *Cl. WESTON* infusum aquosum mercurii currentis, ceu remedium prophylacticum adversus rabiem in canibus laudavit. *V. Institutiones meas chemicas* §. 820 — 827. — Circa vires mercurii anthelminticas, atque hic enumeratorum remediorum omnium, v. & *VAN SWIETEN* *Comment. in Aphorism. 1371. T. IV. pag. 649. Edit. Paris.*)

Verum aliquando remedia invenimus inopinato. Contigit mihi, ut Gravida corripereetur diarrhæa per triduum, tuncque fœtum feliciter eniteretur, manente diarrhæa. Quum inde non debilitaretur, & lochia bene fluere, pauco rheo & syrupo diacodii ad moderamen illam duxi. Sed rediit sævissima post decimum diem: nec rheum, nec emulsa, nec opiata, nec enemata quidquam juvabant, latebatque fere causa vera mali. Hinc, quum indicatio vitalis urgeret, inducias inpetrare conatus sum *cortice simarubæ cum opio*. Alvus levabatur illico; sed, quod nec illa nec ego cogitaveram, simul tres alvo prodierunt lumbrici teretes. Prosequuta usum remedii iterum vermes excrevit: demum nulli amplius prodibant, & moderata fiebat al-

vus. Quum id animo notarem, expertus idem fui in alia foemina, cui dudum multa frustra dederam contra vermes. Communicavi rem cum amicis Medicis, qui eundem observarunt effectum.

Lac ano inmissum, adlicit vermes deorsum ; (*)
oleum epotum illis adversum, quum obstipet bronchia.

(*) Relatum mihi fuit a fide digno homine, Foeminam ; quæ diu rosionibus in ventriculo, nau-seis aliisque variis symptomatibus torquebatur, curatam demum fuisse, dum lactis calidi vaporem per infundibulum ore hiante, dentibus interjecto bacillo exciperet jejuna ; sensisse siquidem titillationem per œsophagum adscendentem, demum vermem magnum teretem in ipsum usque os prodiisse, qui digitis extractus fuit. Cessarunt factò hoc symptomata : an vero redierint, aut an plures vermes in ventriculo latuerint, rescire non potui.)

Ad ascarides enemata & subpositoria cum vitriolo martis valent.

(*Laudatur & muria salis*, HIPPOCRATI jam commendata. Enemata præferenda sunt, quum subpositoria nonnunquam sursum potius pellant, quam fugent, ascarides ; qui etiã non constanti lege, vel non omnes in recto intestino, quod subpositoriorum actioni præcipue patet, habitant. Exempla autem docuerunt, ascarides ope subpositoriorum ex lardo non salito, in medio excavatorum ad unum omnes, illis adhærentes, eductos fuisse. In *Medical Transactions published by the College of Physicians in London*, Vol. I. p. 54. sq. refertur casus maxime singularis, adsumtarum intra horæ unius intervallum binarum librarum *salis communis*, in binis mensuris aquæ fontanæ solutarum, scopo anthelmintico : sequebatur oppressio pectoris magna, cum succedente vomitu multæ pituitæ, ac levamine; alvus simul, alias obstipata multum,

tum, soluta, excreta maxima glutinis copia & vermes, Sitis ingens cum dysuria torquebat Ægrum; quæ tamen symptomata ope aquæ copiosæ lactisque ebutyrati eatenus mitigata fuerunt, ut remedium continuari potuerit. Morbo demum plane sublato scopo prophylactico homo ille ante novi- ac plenilunium semper adhibuit libram dimidiam salis muriatici, aqua soluti. — Methodum hanc medendi nemini sane repetendam suadeo. — Ægre satis ascarides sæpius e corpore fugari, jam GALENUS monuit.)

Cornu cervi ustum ter quater de die ad scrupulum unum potest purgantibus addi. Commendatur etiam *mercurius niger cum jalapa; vitriolum martis cum resina jalapæ; enemata ex decocto tanaceti cum melle;* ad tæniam *stannum* laudatur; vidi tamen, magna illud copia, sed incassum, fuisse datum: est præterea non tutum adeo remedium, ob arsenicum stanno sæpe adeo admistum. *Fuliginem* contra tæniam datam fuisse, antea dixi. Sæpe juvat, vermibus cunctis præsentibus corpus replere *asa fætida*, unde vermes anguntur & fugantur, subjuncto dein *purgante validiori*, ut prorsum expellantur.

(Hactenus *Haeniana* expositio remediorum anthelminticorum. Multum autem abest, uti Cuivis patet, quin ea comprehendantur omnia, aut potissima, quæ contra vermes fuerunt laudata. Consulendi itaque circa hanc rem omnino *Inl. VAN SWIETEN, Cel. ROSENSTEIN, & VAN DOEVEREN*, queis jungi, si quis plura scire voluerit, Alii in nunc dictis fontibus citati. Proposuit varia huc spectantia egregius *REDI*, quem jam antea laudavi. — Describuntur remediorum quorundam anthelminticorum, inprimis *Helleboræstri maximi* GER. vires in *adpendice* præstantis operis *Cl. BISSET Essay on the medical Constitution of great Britain:* ait *Cel. AUCTOR*, remedium hoc ceu maxime actuosum

sum inter reliqua omnia sibi nota contra lumbricos intestinorum sese deprehendisse. Optandum sane, ut Multorum, qui Anglicum non callent, in gratiam versio bona, latina, aut germanica, operis hujus prodeat.

Remedium contra tæniam *Herrenschwandtianum* adeo decantatum, tamdiu pro arcano habitum, quod nec *Cl. VAN DOEVEREN* notum fuit, constat, referente *Cel. VOGEL*, cui *Auctor HERRENSCHWANDT* compositionem revelavit, & ut publici juris faceret, permisit; constat, inquam, sale absinthii, carbonibus ligni fraxini, & gummi guttæ. An carbonēs, ab humoribus nostris non adficiundi, multum ad vim anthelminticam conferant, vix dixerim: qua sub dosi miscela singulorum componentium fieri debeat, & an sal absinthii vere alkalinum, an, uti in nostris officinis prostat, ope florum sulphuris in naturam mediam partim mutatum, recipiendum sit; *Cel. VOGEL* non addidit. Cardio rei maxime in gummi guttæ, drastico satis medicamine, versari videtur; nam, nec sal absinthii vere alkalinum, nec partim in sal polychrestum mutatum; nec etiam carbonēs fraxineos, seorsim sumta, vermes fugasse, hactenus scio.

Nufferiani remedii tum compositio, tum eo utendi ratio in variis scriptis periodicis, tum & in Editione germanica *Diff. van Doevereniana*, ubi vix non omnia remedia anthelmintica exhibentur, habetur exposita. — Prima descriptio hujus remedii, cujus arcanum a REGE CHRISTIANISSIMO pro 18000 livres a *Dna. NUFFER* emptum, publicique juris redditum fuit, continetur in *Traitement du Tenia, ou Solitaire, pratiqué à Morat en Suisse, examiné & éprouvé à Paris 1775. 40.*

Inl. L. B. de STÜRCK, Ann. med. I. p. 103.
&c. sequens descripsit remedium :

℞. Sal. polychr.

pulv. rad. jalap.

— — valerian. five phu, aa. dr. j.
oxymell. scillit. unc. iv.

M. S. exhibeatur Adultis quater per diem
unc. sem.; Junioribus vero dr. j. aut dr. ij.

„ Unicum, ait *vir INL.*, remedium hoc omnibus Ægris exhibui, nullo habito vermium discrimine, & omnes, qui alio, præter vermes, morbo non laborarunt, inde curati sunt. Vidi sæpius infinitos minimos vermiculos hoc remedio prodiisse. Fœmina 30 annor. hoc remedio adsumto vermem latum, album, 31 uln. longum; & alios plures breviores multo cum glutine alvo rejecit. Ex Puero 10 annor. similis vermis, 12 uln. longus secessit. Quidam hoc remedio utentes vomitu & alvo lumbricos reddiderunt.“

Ego demum Ipse in ascaridibus & teretibus remedium sequens ut efficax, laudare ex propria experientia possum; quo & epilepsia curata fuit, vermium non debens ortum, sed a læsione capitis per frequentiores lapsus producta; quæ sola causa sufficiens detegi potuit; etsi morbus multos post annos primum eruperit.

℞. Asæ foetidæ

castor. aa ʒiij.

camph. ʒij.

⚥ rad. filic. mar.

phu. aa ʒj.

Terebinth. pur. q. s.

M. F. Pil. gr. iij. conspergend. ⚥ phu.

Pilularum harum alternis diebus mane jejuno
ventriculo, & quarta circiter aut quinta pomeridia-

na sumat Verminosus No. v., superpotando phialas duas infusi folior. aurant. amaror. Rad. filic. mar. aa p. æ.; sumat. pug. j. pro sextario aquæ.

Intercalaribus autem diebus utatur sequenti tinctura:

℞. Tinct. Succin. ℥ij. sem.

castor. ℥j. sem.

♁ stillat. absinth. gutt. x.

M. Sumat gutt. xx, bihorio ante prandium; gutt. x. bihorio ante cœnam, ex infusi præcedentis cochleari; superpotando infusum hoc, lege prius dicta. — Purgari corpus poterit quinquiduo elapso ∇. laxat. Disp. Vindob.; tum vero remedium mane non adsumitur.

In *Samuelis ERNST dissertatione de Tænia secunda PLATERI, Basileæ 1743 edita*, remedium sequens ceu optimum in tænia laudatur.

℞. Asæ fœtidæ rec. ℥sem.

mercur. dulc. ℥j.

extract. rhabarb. ℥ij.

myrrhæ gr. xv.

elix. propriet. q. s. f. l. a. pil. gr. j. — Sumat mane ac vesperi decem, & aliquot cochlearia mellis de die: pergat sic per octiduum; dein sumat

℞. Mass. pil. panchymag. Croll.

———— de succino Craton.

aa ℥sem.

F. pil. gr. j.; pro unica dosi.

Remedio hoc vermium cucurbitinorum multæ ulnæ excretæ dicuntur, fere absque torminibus, cum incredibile copia glutinis. Sequuntæ sequentibus diebus reliquæ tæniæ cum multa semper pituita. Stomachicorum usum dein Auctor adhibuit, &c.

Notandum autem circa remedium hoc; non nisi cautiſſime illud adhibendum: nam Multi in ſalivationem incidere, ſumendo per octiduum ſingulis diebus gr. iv. mercurii dulcis, ſine intermedia purgatione: nam, ſi putes, extractum rhei id præcavere; falleris: docuit ſiquidem experientia, in multis hominibus ab eo ſtringi potius alvum, quam ſolvi; quum ſub præparatione extracti vis purgans deſtrui, ſæpius ſaltem, videatur. Hinc, ſi Nonnullos bene purget, bonum; ſi minus, reſina jalappæ poſſet addi, vel loco rhei, vel cum eo.

Pro ſpecifico olim venditatum remedium, deſcriptum in AMATI LUSITANI *Curat. Med. Cent. 3. Nro. 97.* — Præſtans etiam deprehenſum *Boerhaavianum; V. Elem. Chem. T. 2. Proc. 81. V.* circa remedia anthelmintica etiam *der Urzt. 10. B. 5. S. 536.*

In opere *Cel. Andr. DUNCAN Medical caſes &c. Edinb. 1778* refertur *p. 319. caſe XXV.* hiſtoria, ubi lumbrici inteſtinorum expulſi fuerunt ope calomelani & tincturæ jalapæ. Formulæ erant ſequentes:

℞. Calomelanos gr. j.

conſerv. roſar. q. ſ. ; fiat bolus, ſumendus omni hora ſomni; nec non

℞. Tinctur. jalap. ſemunc. j.

ſyrupi ſimplicis unc. ij. M. capiat ſemunc. j. cras mane, & repetatur omni hora, donec ſuperveniat cathariſis.

P. 326. caſe XXV. refertur alia hiſtoria expulſæ tæniæ quinquaginta ulnas longæ, ope pulveris radicis filicis maris, accedente ſimul uſu cathartici. — Formula, ejuſque uſus ſequens, quam refero verbis

AUCTORIS:

Capiat cras, hora ſeptima matutina, pulveris radicis filicis non ramoſæ drachm. j. ex aquæ puræ cyatho; nec non

℞. Calomelanos, gambogiæ, utriusque grana tria. Pulveris cremoris tartari fescunciam, syrupi simplicis quantum sufficiat. M. diligenter subigens, ut fiat electuarium; capiat circiter partem dimidiam cras hora undecima ante meridiem, & postea capiat drachm. j. omni hora, donec supervenerit catharsis. Inungebatur simul oleo campharoto femur dextrum omni nocte hora somni, incipiendo decimo septimo die a remedio primum exhibito, ob adfectionem femoris, cujus magnam debilitatem querebatur Ægra: eandem ob rationem præscripsit etiam *Cel. DUNCAN*, ut acciperet quotidie ictus electricos quatuor ad gradum tertium, eliciendo scintillulas electricas ex femore adfecto. — Prodierunt ex eadem hac Ægra antea jam, ac opem *Cel. VIRI* inploraverat, tæniæ tres, partim integræ, partim magnis portionibus: prima longitudine æquabat ulnas 148., altera 74., tertia 18. Tæniæ hæ fugatæ fuerant imprimis usu pulveris, seu rasuræ, stanni, & tincturæ rhei. — Monet *Cel. DUNCAN*, Gambogiam, quæ vires purgantes in humano corpore exserit, veneni andinstar agere in tæniam: confirmantur hinc, quæ dixi, p. 60. — Instituto examine ex-pulsæ antea descripto remedio tæniæ deprehendit *Cl. DARWIN*, fuisse tæniam latam *Linnæi*. (*)

Usum

(*) Circa vermium in corpore præsentiam bene monuit *Cel. DUNCAN* p. 34. sequentia: „Worms, ait, indeed, in the intestines, are by no means a rare occurrence; yet, as far as my inquiries go, I think I may venture to assert, that, in this country, they are less frequent here than they were formerly, which I am inclined to ascribe to changes which have taken place with respect to diet. Cases are often to be met which they are unquestionably productive of the most threatening and most ano-

ma-

Usum remedii antiveneri *Swieteniani* lumbricis adversum esse, hac occasione adnotandum duxi; ut, incassum adhibitis aliis helminthogogis, illud adhibere queant Practici.

Celeberrimus LEAKE, Medical instructions &c. p. 210. recte observat, æthiopem mineralem non efficacem adeo esse, scopo anthelmintico, quam mercurium ipsum tenuissime adtenuatum ope admistæ conservæ rosarum, aut gummi arabici. Solutionem mercurialem *Plenckianam* lumbricos rotundos expellere observatum fuit.

Ipsè

malous symptoms; yet there can be no doubt, that they are frequently present in the alimentary canal when they are productive of no inconvenience. This sufficiently appears from their being observed to be discharged where there has been no preceeding uneasiness. — — — It is to be observed, that, during febrile affections, worms frequently appear; and, when this is case, there are many who are disposed to consider them as the cause of the fever. This conclusion, however, is, I imagine, often drawn without good reason; an I cannot help thinking, that they are frequently discharged merely in consequence of the fever. It would seem, that, from the morbid affection which exists, probably from the increased heat of the body, their situation becomes disagreeable to them. — — — Our patient (*cujus casus hic fuit relatus a Cl. Viro*) has, even of late, indeed, discharged one, which gives a presumption that there may be still others present. And the action of these on the alimentary canal may either be the cause of some symptoms, or may aggravate them; yet, admitting that, I must own, I do not consider them as forming any dangerous part of the affection; and I do not think that our attempts to cure are to be directed with a view to these.

Ait etiam *Cel. John LEAKE, Medical instructions towards the prevention, and cure of chronic or slow diseases peculiar to Women, the fourth Edit. p. 210.* „Dead worms, in abundance have been evacuated after malignant fevers; a proof that the corruption of the juices, which then prevailed in the body was uncommonly great.“

Ipse vidi scopo anthelmintico diutissime exhibitum fuisse æthiopem mineralem cum admisto cinnamomo, præscripto simul, nescio in quem finem, decocto radic. doronici, quin ullus prodiret vermis, quin lenirentur symptomata. Hinc sententiam admittendam censeo *Leakianam*: quodsi post usum æthiopis mineralis tamen prodeant vermes, adscribendum id potius fore sulphuri, quam mercurio, per sulphur fixato quasi & inertii reddito: — — „*in the first preparation, the mercury by being united to the sulphur becomes fixed and inactive.*“ — An idem iudicium ferendum, prodeuntibus post usum cinnabaris, ubi mercurius arctius adhuc adhæret sulphuri, vermibus?

Præcticum monitum est *Cel. ARMSTRONG, an Account of the diseases most incident to Children &c. Lond. 1777. p. 134.*, anthelmintica nonnulla, v. c. sagapenum, opopanax, aloën &c. adeo amara esse, ut Infantibus ingeri nequeant: præterea, multa ex illis calida nimium esse, quam ut tenellis ejusmodi subjectis tuto exhibeantur. Laudat tamen, ceu remedium efficacissimum adversus ascarides, aloën in lacte solutam.

Testamentum sic dictum *Hiærnicum*, ab HAENIO ante adductum, efficax nonnunquam contra *tæniam*, absolvitur sequentibus: mane sumat Æger pulv. rad. Jalap. cum saccharo, ad scrup. ij., superbibat multam aquam frigidissimam, & post meridiem sumat tincturam cathol. purg. ROTHENII; dosi, pro ætatis ratione viriumque determinanda.

Adtulit *D. BICKER* nescio unde excerptam formulam sequentem præscriptionis *Spigeliæ anthelmicæ*, pro anthelmintico eximia virtutis laudatæ.

℞. Herb. Spigel. anthelm. manip. ij.

Aq. font. ℥ ij.

Coq. ad reman. ℥ j. Colat. add.

Mell.

Mell. depur. unc. ij.

M. cap. cochleat. per trihor.

Ast finem faciamus enumerationi remediorum anthelminticorum; quorum exactior nonnihil historia speciale requirit volumen: fontes plurimorum jam antea fatis indicavi. —

Notandum demum ad caput hoc de vermibus adhuc est, nonnunquam signa nulla vermium adesse, illis licet præsentibus, & vice versa. — Refert *magnus MORGAGNI Ep. 16. §. 38.* historiam fœminæ junioris, in qua, elapso quarto graviditatis mense mortua, semihora post mortem sectio cæsarea instituebatur, cujus ope Infans vivus quidem obtentus, post semihoram tamen, dum baptizatus fuerat, mortuus. In Fœmina hac nulla unquam vermium observabantur symptomata, & tamen „vermes, MORGAGNI ait, plurimi teretes in tenuibus intestinis; quæ, ubi illi erant, & quodam præsertim in loco, subrubebant, ibidemque quasi per vim dilatata protuberabant.“ Mortua Muliere mutatio hæc facta videtur. In cane etiam 60 teniæ inventæ, qui sanissimus semper fuerat.

Puellus, cujus historia refertur *Epist. 31. ex VALSALVA*, signa obtulit interdum lumbricorum; mortuo tamen eo, vermibus inventus nullus. — Casus ejusmodi sæpius occurrunt, & quorumdam testis Ipse fui.


Dum Diatribes hujus altera jam inpressa erat filera, adquire recentissimam sectionem operis *Cl. WIELAND: der teutsche Merkur No. 10. October.* Adducitur in ea p. 96. quæstio sequens, ab *Inl. Regia Academia Scientiarum Havniensi*, pro præmio 100 Thalerorum Danicorum, proposita; cujus resolutio ante finem Augusti 1780 *Excell. Domino Consil. intim. ac Equiti*

Ordinis Danebrogensis, ab HIELMSTIERNE transmit-
tenda est :

„ An seminium vermium intestinalium, *Teniæ*,
„ *Gordii*, *Ascaridis*, *Fasciolæ*, &c. animalibus con-
„ natum, an ab extus intromissum; observationibus &
„ argumentis probare, remediaque in illo casu notare.“

Eo gratius quæsitum hocce mihi nunc occurrit,
quum antea jam, sub initium libelli, monuerim: mul-
tum abesse, quin generationis vermium omne nobis
perspectum & extra controversiam positum sit ne-
gotium. Exopto plurimum, ut rem hanc in proditura
forfan altera opusculi hujus editione inlustratam magis
ac certiolem queam exponere. —)






D E

ICTERO,

&

AD HUNC PERTINENTIBUS
ADFECTIONIBUS FELLEIS.



In sequenti diatribæ *Haenianæ* expositioni *Boerhaaviani* textus imprimis addidi varia, atque inter hæc recentissima, circa bilem instituta tentamina chemica; ut hic junctim haberentur, quæ, in variis operibus ac libellis dispersa, Plures fors latuissent, etsi scitu sane sint non solum utilia, sed & plane requisita. Nam, utut minime ignorem, Nonnullos chemicas partium corporis animalis analyses minus curare, quod ignis menstruorumque vi plurima mutentur,

tur, præsentia antea fugentur, destruantur; alia, novo principiorum connubio, & electiva adtractione, producantur, prius non existentia, aut sane non eadem, qua nunc, dotata indole; his tamen omnibus, utut verissimis; non obstantibus, tenendum erit, chemiam ad inlustranda tum status naturalis, sani, tum præternaturalis, morborum, abstrusa plurima, nec alia ratione evolvenda, mire facere, & hujus ope, dummodo ad leges, queis analysis tota debet regi, nunquam non attendatur, doctrinam pathologicam magis longe promoveri, quam quidem autumare videntur, non solum circumforanei Agyptæ, sed & Medicorum; artem systematice edoctorum, plures.

Adtuli præterea, ut minora varia taceam, recensionem ampliorem theoriæ novæ *Cel. MARCARD* de ictero; in qua, *magnam partem*, quod in multis aliis theoriis desideramus, expositio morbo, non morbus expositioni, adcommodatur. (*)

Continetur, quod *HAENIUS* de Ictero adtulit, maximam quidem partem in commentario ad *paragraphum 773. Boerhaavianarum Institutionum*, ubi *MAGNUS VIR* sequentia summa brevitate proposuit. „ Bilis excretio nimia per superiora, vel „ inferiora, orbat chylopoiesin primario instrumen-
„to;

(*) Junxi simul, quæ *Cel. TOBE*, tractatum *Marcadianum* recensens, circa varia theoriæ illius novæ capita monuit, ut tanto perfectior redderetur accessio hæc ad *Haenianum* codicem. —

„ to; hinc impedit ciborum coctionem, secretionem, fœcum excretionem; producit temperiem acidam, frigus, debilitatem, pallorem, leucophlegmatiam, deliquia. Si vero confecta ineditur fluere in cavum intestini, icterum creat, & simul præcedentia vitia.“

Egit autem BOERHAAVIUS in *Συμπτωματολογία Παθολογίας*, §. 817., denuo de vitiis, bilis genesin, aut excretionem in intestina læsam excipientium: antea quoque §. 788. 789. bilem flavam, vitellinam, porraceam &c. bilem etiam sic dictam atram, examinavit. Commentario hinc in nunc dictos binos paragraphos ipsi Operi *Prælectionum pathologicarum* reservato, adferam in hoc libello, ob analogiam objecti, & ea, quæ *beatus HAENIUS* pro expositione paragraphi prius dicti 817. in codice reliquit, tum ipsum icterum, tum alias adfectiones præternaturales biliosas concernentia: consilium hocce ideo potissimum cepi, ne eisdem rei in binis locis occurreret mentio, in neutro perfecta; quod quidem in Haenianis Prælectionibus factum, diffiteri non licet. — Conjunctam itaque, quatenus commode fieri poterit, paragraphorum adductorum 773. & 717., quatenus eandem rem concernunt; explicationem exhibeo; seorsim additis, quæ suam quæque peculiarem postulant interpretationem.

§. 773. *Bilis excretio nimia per superiora, vel inferiora orbat chylopoiesin primario instrumento. Ut nec saliva excrementitius humor est, ita nec bilis; sed primarium digestionis instrumentum. Quam bilis præstantiam abunde demonstrant tot tantaque viscera, quæ ejus confectioni adlaborant. Namque totum illud ingens hepar, ut hucusque videtur, splen, totum quantum omentum, ramuli exiles pancreatis, me-*

fenterium, ventriculus, pro bile conficienda conlata agunt opera: ipsa intestina vasa habent bibula, præter lacteas venas, quibus ab intestinis & a potiori tenuiorique chyli parte portio absorpta ad hepar ducitur. Uniuntur venæ a splene, pancreate, mesenterio, mesocolo, omento, ventriculo, intestinis reduces omnes in communi vena dicta portarum, &c. (Omissi hic nonnulla anatomica, alibi perfectius exposita.)

Bilis hepatica minus amara, bilis autem vesicaria amarior (acrior) est; crescit amarities tam a stagnatione, quam a peculiari fabrica glandularum vesicæ. Vesicula enim glandulas gerit in membrana sua, arteriis cysticis irrigatas, ut in membrana meatus auditorii. Cervix vesicæ cum poro biliario unita ductum communem constituit, oblique descendente; qui ad angulos acutos adpositus duodeno penetrat ejus exteriorem tunicam, dein hanc inter & alteram descendens, mox perforata & hac, inter secundam & tertiam tunicam longo itinere progressus, foramine rotundo in cavum intestinum liberrime exit. Quo docemur, non omni tempore, non in omni occasione, sed tantum laxis intestinis, bilem hic ab hepate infundi posse: iisdem vero intestinis fortiter contractis neutiquam. (Varia hic adferri possent, & vix non deberent; quæ tamen interim relinquo; præsertim quum Physiologiæ magis intrent pomœria.)

Tantus apparatus insinuat nobis illico, maximam bilis necessitatem & utilitatem. Cujus veritatis nos a posteriori convincunt bilis vel confectio, vel iter impeditum.

Est quippe cystica bilis, arte chemica talis deprehensa, ut resistat acescentibus, sui que admittance & alia omnia facultate acescentibus resistendi inbuat. Saponacea est, abstergens, olea aquæ miscibilia reddit,

refinas, gummata, tenacia quæque resolvit, adtenuat, homogœnea facit, si cum his conteratur: quod Pictores optine norunt, qui tenacia sua (pigmenta) bovilla felle frangunt. Nulla autem nota alkalina est; nulla nota acida: verum deprehenditur potissimum concreta ex oleo, sale, spiritibus & terra, aqua dilutis. Igne non comburitur, nisi prius exsiccata. Est humorum acerrimus, facile putrescens, adeoque penetrabilis, ut, si ad intestina fluere impedita fuerit, insinuet se per sua propria vesiculæ vasa & per hepaticas fistulas in venam cavam; unde sanguinem totum inficit, & colore flavo totum corpus tingit.

Effectus bilis hujus, quando admixta fuerit & contrita cum chylo primum, deinde cum fœcibus, sunt sequentes: adtenuare, resolvere, abstergere; fibras motrices stimulare; diversissima quæque permiscere; acria salina obtundere; coagulata dividere; vias expedire chylo; adpetitum excitare; fermenti vicem gerere; cruda adsimilare coctis; crassa intestina ad expulsionem sollicitare. Quæ omnia bilis cystica plus, hepatica minus, idem tamen unumque unitæ efficiunt; BOERHAAVE, *Instit. med. §. 99.*

(Veniam a Lectoribus obtenturum me spero, si nunc hic inseruero, *recentiora* imprimis, circa bilem capta tentamina & observata, quæ HÆNIUS non novit: gratam rem digressione hac me facturum eo magis confido, quum usus partim sim scriptis, quæ in nostris terris vix Centesimus videt aut noscit; hinc omnino rarissimis. Adferam autem observata illa, sub forma excerptorum promiscua: initium faciant recentissima.

Quamquam neque *Inl.* PRINGLE, nec MACBRIDE, nec ROEDERER, unquam viderint corruptam

ptam bilem cum acidis effervescente, vidit tamen *Cl. WILLINCK*, *specim. med. aditiale, exhibens considerat. bilis physiologic. & pathologic., Lugd. Bat. 1778. 4.*, cum Pluribus aliis, in laboratorio chemico Lugduno-Batavo, bilem bubulam, quæ triennium in lagenâ clausâ steterat, cum omnibus acidis manifeste, sed tamen leniter, effervescentem. Observavit tum simul *Cel. HAHN*, Auctores, qui evolutionem salis alkalini volatilis in bile sensim fieri negarunt, verosimiliter alterutro deceptos fuisse; vel, quod bilem non satis diu servarint; vel, quod in vasis apertis habuerint, e quibus nascens tandem alkali, ni retineatur, facile exhalat denuo & avolat.

Dum bilis paullatim & tranquille corrumpitur, tria inprimis notanda veniunt: *primum* est coloris mutatio: quum enim recentissima ex viridi flavescat, sensim incipit rufescere, luci tamen manens pervia: rubedo hæc sensim etiam intenditur.

Alterum est mutatio odoris; acquirit siquidem nidorem quemdam, & aliquid moscho simile spirat. — Quem odorem in meis experimentis cum humana æque ac piscium & quadrupedum bile, diu adservata, nonnunquam observavi tantum, ut delicatiores Fœminæ inde fuerint adfectæ; sed & in aliis tentaminibus plane non enatus fuit, aut levis adeo, ut vix mereatur adtentionem; etsi circumstantiæ omnes, præter aliam experimentis adhibitam bilem, plane fuerint æquales: quæ diversitas hinc ab alimentis ingestis, crasi substantiarum bilem constituentium, viscerum bilis elaborationi famulantium varia constitutione, &c. oriri poterit. — Verum mephiticum & septicum foetorem tardissime bilis nanciscitur.

Tertium denique est sedimentum quoddam albidum, quod satis cito ad fundum vasis descendit. Atque hæc quidem diu ante evolutionem alkalini salis volatilis accidunt.

Sexdecim uncix recentis bilis bovillæ, caloricentum, aut centum viginti, graduum expositæ, exhibent ut plurimum uncias xij. limpidi phlegmatis, non salini, nec nisi nativum bilis odorem spirantis. Tum, calore aucto, acquiruntur duæ insuper uncix cum dimidia phlegmatis, ad oculum priori similis, sed manifesto moschi odore gravidæ, syrupum violarum colore viridi inficientis; quanquam cæterum nullam alkalinx naturæ dotem exferat: siquidem cum acidis haud effervescit, nec solutionem mercurii sublimati corrosivi dejicit.

Expulsis sic de una libra bilis unciis circiter xiv. cum dimidia phlegmatis, remanet spissa atque materies, crassi balsami formam referens: hæc ex furnulo ligneo, in quo prior operatio fieri potuit, transferri debet in balneum arenæ, ut majorem ignem experiatur. Exhibet liquorem turbidum, flavescens, olei aliquot guttulas vehementem, odore forti, foetido, & omnibus indiciis alkalinx volatilæ naturam declarantem. Adpellari quasi spiritus prior poterit, quem exigua olei pars comitari solet. — His abstractis siccum tandem remanet residuum bilis, porosum, fragile, splendens, nigrum, non amplius retortæ fundo adhærens. Hinc, aucto iterum igne, pellitur spiritus posterior, & oleum brunum: quibus prodeuntibus vapores albidæ, undarum instar, cum inpetu erumpunt, & ex his, in excipulo refrigeratis condensatisque, sal siccum oleoso-alkalinum per strias concrevit.

Utriusque spiritus & salis ficci pondera simul sumpta non excedunt ℥. iv.; neque olei sinceri, quod ex integra bilis libra sic acquiritur, quodque omne aqua levius existit, pondus iv. ℥. majus est. Residuum, e quo nulla ignis vis in arenæ balneo quidquam amplius potest expellere, pondus habet ℥. ij. $\frac{1}{2}$. Hoc, aperto igne resolutum & diligenter exploratum, præbuit ℥. ij. salis fixi; cujus pars fuit de sale communi, pars altera de alkali fixo minerali. Idem, post repetitas ustulationes & elixationes reliquit decem tantum grana terræ, particulas martiales continentis.

Si pondera productorum in summam colligantur, hanc parum vel nihil a pondere bilis adhibitæ distare deprehendimus; unde pronum est colligere, *WILLINK* observat, in bile parum esse æris fixi; nam, quo hujus plus est in aliqua parte corporis fluida vel firma, eo major solet esse jactura, quam inter destillandum facere solemus.

Vera hæc sunt; ast, præter ærem, halitus humidus sub operatione per vasorum juncturas transire, atque sic decremenrum, levius quidem, ponderis adferre posse, *AUCTOR* noster vix negaverit.

Bilis præterea in tentaminibus *Willinkianis*, cum aqua frigida, æque ac calida, intime & æqualissime coivit; nec, præter dilutionem, aliam passâ fuit metamorphosin.

Etsi aqua soluta tenuerit salia media, aut alkalia, sive fixa, sive volatilia, bili tamen amica mansit, eamque plenissime solvit. — Quin immo, aqua nonnihil spiritus vinosi in se habens, bilem sine turbis adsumsit.

Alkohol autem sincerum bili incubuit levius, facto concussu eam profus turbavit, & ita destruxit,

xit, ut sub longiori repositione aliquid albi unguinis præceps datum sit, evanescente quasi sensim bilis pigmento

Alia erat alkalium sincerorum ratio. Nam liquor spontaneo deliquio ex cineribus clavellatis natus, tum & oleum tartari per deliquium, & liquor nitri fixi, cum bile recenti nequaquam coiverunt, sed statim petierunt ima, utcunque commota fuerint: aliquantum lactescebant; præcipue ubi bilem adtingebant; atque in hoc liquorum confinio videbatur quasi stratum saponaceum esse. Quod si vero aqua pura tunc sufficienti copia admisceretur, hæc, utrique liquori amica, plenam reduxit unionem; nisi quod paullatim nubeculæ quædam in rufescente fluido conspicerentur.

Alkali volatile purum ac necessaria solum aquæ copia dilutum, minus quidem, quam fixum, a bile abhorrebat; quippe quam protinus, sine notabili mutatione, subire videbatur; attamen progressu temporis flocculos quosdam excutiebat.

Recens & sana bilis ab acidis statim turbabatur omnibus; magis a fortioribus, minus a debilibus.

Duplicem materiem acida e bile expulserunt; una erat grumosa, albus pulvis, cui vel *albuminosæ* vel *caseosæ* materiæ nomen dare licet, Auctor ait: altera erat balsamum quasi, vel axungia, brevi in aëre solidescens, & resinam quamdam formans.

Axungia hæc in leni calore, dum recens est, mollescit; digitis fortiter adhæret, in tenuissima & longissima fila duci potest; sapore amaro donatur; aquam respuit, etiam ferventem; in spiritu vini autem penitus resolvitur; plerumque colorem habet

atrō - viridem, præfertim, dum solida facta jam est : interdum tamen in resinam ex flavo - rubellam, pel-
lucentem instar succini, convertitur ; denique aqua
semper gravior est.

Alterâ substantia, quæ ab acidis expellitur, prio-
ri levior est, adeo, ut etiam sæpius summum te-
nens, speciem pelliculæ exhibeat ; tandem vero
cadit ad fundum & axungiam illam tegit ; sed le-
vissimo motu per liquidum rursus diffunditur. Hæc
ab axungia illa non tantum colore differt, sed etiam
eo, quod spiritum vini ; perinde ac aquam, re-
spuat ; omninoque similem se monstrat coagulato
sanguinis sero.

In phlegmate bilis duæ semper salium species
deprehensæ, 1) *sal culinare*, quod non tantum
ex cinere bilis elicitur, sed etiam in integra bile
cum acidis tractata, quæcunque hæc fuerint, præ-
fens deprehenditur. 2) *Alkali fixum minerale*,
quod maxime eo elucet, quum, cum acidis variis
concrefcens, diversa salia media, pro diversa aci-
dorum natura exhibeat.

Bilis bubulæ unc. xxxvij. & semis, æquali
aquæ puræ copia dilutis *Cl, HAHNIUS, Prof. Lugd.*
Bat. guttatim instillavit aquam fortem. Orta phæ-
nomena solita. Quum autem jam xix. drachm.
aquæ fortis essent adhibitæ, & liquor per aliquot
dies stetisset, necdum tamen omne pigmentum vi-
ride deposuisset, sed adhuc turbidus & amœne vi-
ridis esset ; exploratus nullam acidi notam exhibuit.
Cum alkalicis nequaquam efferbuit ; & lin-
guæ saporem acidum non inpressit, sed lenem acri-
moniam cum quadam dulcedine. Igitur paulatim
major aquæ fortis adfusa dosis, intervallis sat ma-
gnis, ut accurate æstimari posset proportio acidi ad
per-

perfectam bilis dissolutionem necessaria. Et sane opus fuit tribus integris acidi hujus unciis, ut tandem omnis materies balsamica & albuminosa depelleretur. Balsami unc. ij. & circiter v. drachm. obtentæ. Liquor supernatans decantatus, colatus, inspissatus exhibuit elegantes nitri cubici crystallos, sed non nisi pondere 100 granorum: acidi prædominantis vix manifesta indicia præbuit. — Similia tentamini cum acido vitriolico contigerunt.

Sequitur inde manifeste, bilem non tantum destrui ab acidis, sed vicissim acida sano sensu destruere. Patet enim inde, singulas bilis bubulæ uncias involvere prorsus & perdomare duos aquæ fortis scrupulos, atque ita invertere, ut suo genio prorsum exuantur. — — — Credibile est, bilem duplici nomine in acida agere; primo quoniam verum alkali minerale, licet non magna proportione, semper in se habet; dein & præcipue, quia multum oleosæ materiæ complectitur, quæ majorem cum acidis, quam cum parte salivali bilis adfinitatem habet; ideoque illis nubet, simulque spissitudinem majorem, & quasi balsami consistentiam conciliat.

In vulgus notum est, res vegetabiles & animales tantum non omnes, si motu vitali carent, cito mucorem, ac situm concipere. — — — Una bilis, Auctor ait, huic corruptionis mucidæ legi non est obnoxia; nec tantum sincere non mucefcit, sed etiam aliis rebus, quæ cito solent situm contrahere, admista, mucoris generationem prohibet. Hujus adfert veritas, quum aliis multis testimoniis adstrui potest, tum maxime demonstratur sequenti experimento.

Sumatur saccharum commune & duplo aquæ pondere diluatur. Aqua hæc saccharata in duas
æqua-

æquales partes dividatur, & singulæ seorsim vasis vitreis similibus committantur. Alteri parti admisceatur tunc nonnihil bilis, altera sincera relinquatur vel etiam saliva inbuatur. Hæc posterior brevi repositione mucorem in summitate exhibebit; prior nunquam aliquid ejus oculis exhibebit.

Si aqua saccharo multo gravida & notabiliter viscida cum bile aliquamdiu digeritur, dein per chartam emporeticam trajicitur; longe minori spatio temporis poros chartæ permeat, quam similis aqua saccharo æqualiter inprægnata, ac pari tempore, vel sine additamento, vel cum saliva digesta. — Aloës viscor optime admista bile destruitur.

— In *Actis Moguntinis vol. 2. p. 293.* legimus: gummirefinas, ipsam myrrham & bdellium, a bile solvi; ceram ab eadem, haud secus atque a vitello ovi, liquefieri. — Sinenses bilem in paranda sua eleganti vernice adhibent.

Ad quæstionem: an bilis fermentum adpellari possit? *Cl. Auctor* sequentia adnotavit: *Inl. PRINGLIUS*, ait, ex tentaminibus, quæ circa putredinem instituit, præter alia etiam hoc deduxit dogma: partes animalium in putredinem proclives habere facultatem excitandi motus fermentationis in vegetabilibus huic idoneis, eundemque motum, si forte repressus fuerit, revocandi; atque hanc facultatem in bile omnium esse maximam.

Sententiam, pergit, *Inl. Viri* confirmarunt *MACBRIDE*, & *ROEDERER*. Et certum est, phænomena obiter considerata huic doctrinæ favere. Si enim variæ miscelæ ex aqua, mica panis & carne bubula, aliæ cum felle, aliæ sine eo, parentur, & diligenter observentur, manifestum est, illas, quæ bilem continent, citius fermentare (si modo omnem

omnem motum intestinum cum extricatione bullularum fermentationem adpellare liceat) atque etiam diutius odorem acidulum, utique a septico diversum, conservare, quam reliquas, quæ bile carent; quæ quum lentius bullulas emittere incipiunt, tum vero citius veram mephitim spirant.

Hæc experimenta, a multis Viris fide dignissimis capta & sæpe repetita atque confirmata, sibi semper constant, nec dubitationem, quoad phænomena, relinquunt. Sed utrum conclusio ex visis hisce recte sit deducta, res est altioris indaginis.

Ut igitur ad veritatem propius accedamus, *Cl. WILLINK*, quem loquentem in sequentibus induco, oportet, ait, simplicissimis experimentis inquirere, utrum bilis, in una aliqua re ad fermentationem vinosam & acidam maxime idonea plenum fermenti veri effectum producat, nec ne. Atqui inter omnes hodie constat, materiem saccharinam esse fermentationi aptissimam. Hæc ergo videtur maxime ad dirimendam litem idonea. Ex variis tentaminibus, quæ instituit *Cel. HAHNIUS*, unum, cui interfui, liceat mihi hoc loco commemorare.

Unc. xvj. sacchari communis in duabus aquæ puræ libris solutæ sunt; liquor deinde percolatus in duas partes ad stateram æquales divisus, singulæ lagenæ vitreæ, vitreo epistomio instructæ, commixtæ: uni quidem duas fellis bubuli recentis uncias addendo; alteri nihil. Vasa erant similia & juxta se collocata sine calore artificiali. Cœptum est medio Maji anni 1776. experimentum. Liceat lagenam, in qua saccharum cum bile & aqua hærebat, adpellare *B.*, alteram *A.* —

In *B.* nulla vel odoris vel coloris facta mutatio est usque ad finem Maji. Spumula exigua, quæ

quæ in summo steterat immobilis, Junio demum in-
eunte augeri cœpit. Mox etiam motus intestinus
cum innumeris bullulis adscendentibus adparuit;
odor in vinosum versus: turbari etiam liquor cœ-
pit, & sedimentum aliquod dimittere. Ut igitur
constaret, an sub illo motu vera esset aëris, quem
fixum vocant, seu potius *gas sylvestris Helmon-*
tiani, explicatio, siphunculus bicrurus in locum
epistomii positus, firmatusque est, & hujus extre-
mo adpensa laguncula, in qua quum primo aquam
calcis exeunti halitui obtuliffemus, hanc citissime
lactescentem vidimus; quum dein spiritus salis
ammoniaci causticus in eadem expositus esset, hic
intra aliquot horas non modo facultatem cum aci-
dis effervescendi adquisivit, sed etiam cum exeun-
te halitu intra siphunculum veras crystallos forma-
vit. Quæ quidem ejusmodi sunt, ut primum fer-
mentationis effectum, nempe *gas sylvestris* evolu-
tionem, evidenter demonstrent. Atque motus in-
testinus, quem descripsi, continuatus est per duos
ferme menses, nec decrefcere cœpit nisi sub exitum
Julii; sic tamen, ut meridie semper manifestior,
quam mane & fera vespera, esset.

In vase *A.* nulla spuma, sed merus mucor fra-
cido odore insignis primo mense observari potuit,
motus intestinus adparuit demum xxviii. Julii, quo
etiam die odor mucidus evanuit, & in actiusculum
atque leniter vinosum mutatus est. Ab eo tempo-
re explicari etiam cœpit *gas sylvestre*, quod simi-
libus experimentis comprobatum est.

In utroque liquore motus intestinus duravit per
bimestre fere spatium vasis clausis, lenior tamen
semper in *A.* quam in *B.* Inter initia Septembris,
quum omnia tranquilla essent, videbatur finita fer-
men-

mentatio. Pellucebant fere liquores, color in *B.* intensior, sedimentum notabile erat; in *A.* color dilutior succineus, sedimenti vix aliquid.

Liquores in retortulis mundis calori intra furnulos ligneos expositi, stillarunt quidem singuli *x.* circiter drachm. spiritus ardentis, sed postea non nisi merum phlegma. Ideoque a destillatione remoti sunt, & servati. Quum integrum per annum vasis clausis stetissent, Julio 1777. sequentia exhibuerunt phænomena.

Liquor *A.* tenacem crassi mucoris crustam conceperat, ut etiam situm oleret. Medio Julii superioris anni destillatus nihil omnino spirituosum dedit, sed fatuum & mucorem olens phlegma.

Liquor *B.* nullum omnino situm duxerat, odorem aromaticum assidue spirans; saporem amarum simul & vinosum exhibens. Ex retorta stillavit non quidem ardentem spiritum, sed tamen phlegma leviter amarum & acriusculum.

Residua steterunt in quiete vasis clausis ad mensem Majum hujus (1778.) anni. In *A.* interea iterum crassissimus mucor natus est, & odor fractidus; in *B.* nullus mucor, odor non ingratus. Dum uterque liquor colabatur, vidimus *B.* cito chartam tranantem, *A.* lentissime. Color in *A.* succineus, in *B.* ex bruno ruber.

Hoc experimentum diligentius Consideranti non potest dubium remanere, quin bilis primum fermentationis effectum, scilicet explicationem gas sylvestris, promoveat, & acceleret. Atque hoc in aliis similibus experimentis aptiori tempore inchoatis manifestius etiam erat. Aptius enim eo magis tempus est, quo calor atmosphæræ major: velut anno proximo, quum simile experimentum

quarto Junii cœptum esset, vidimus jam tertio die saccharum, aqua dilutum & bile infectum, evidenter bullulas dare & odorem vinosum spirare; dum æqualis sacchari & aquæ copia octiduo post nullam mutationem exhibebat, præterquam quod situm & mucorem in superficie duxerit.

Certum igitur est, in bile esse vim plasticam, qua motum intestinum in rebus ad fermentandum aptis accelerat.

An autem bilis plenam fermentationis absolutionem juvat, AUCTOR interrogat, & veri fermenti instar perficit? An, præter evolutionem gas sylvestris, generationi spiritus ardentis, aut acidi, favet? Nequaquam hoc videtur: quamvis enim in experimento descripto nonnihil ardentis spiritus genitum fuerit, hoc tamen nil probat: primo, quia perexiguum spiritus vere vinosi natum est, & certe longe minus, quam ex adhibito sacchari pondere parari potest; dein, quoniam in aliis experimentis, etsi odor gratus, aromaticus & sapor leniter vinosus a bile fuerint inducti, tamen nihil prorsus ardentis liquidi per distillationem accepimus. Quæ quum ita sint, adfirmare nobis liceat, bilem cum rebus fermentescibilibus, & maxime dulcibus, confermentare quidem hætenus, ut explicatio subtilis & elasticæ materiæ, cui *gas sylvestris* nomen est, cito contingat; sed tamen plenum fermentationis perfectæ eventum non præstare, quin potius vehementiam fermentatorii motus temperare & impedire, quo minus acidum penitus evolvatur; adeoque condimenti alicujus & veluti balsami vice fungi, quo liquores inbuti diutius, quam naturaliter solent, a mucore & corruptione præserventur.

— Hæc ex diatribæ Cl. WILLINK.

In *tentamine de succis corporis humani accuratius definiendis & ordinandis*, quod *Cl. PANNAJOTA FRIDERICUS HOUTH* in *Univerf. Lugd. Bat.* 1778. defendit, observata circa bilis indolem continentur sequentia.

Bilem (humanam; nam nil quidem additur, sed in univcrsum de succis humanis agitur) per duos annos servatam, nondum tamen corrumpi ex integro, *AUCTOR* vidit. Unde, ait, a veritate aliena esse videntur, quæ passim Medici de citissima bilis corruptione jactitant. Si tandem putrescit, vis ejus septica & foetor insignis est, & odor putrido ovo similis. Si in clauso vase corrumpitur, revera periodum alkalina[m] monstrat, & alkali volatile se adponit. (*)

Bilis recens, calori exposita, multam aquam evaporat, sensimque spissescit; quod remanet, siccum & fragile est; coloris ex nigro flavi, saporis intense amari. Calore illud ductile fit, & liquefcit; in igne promte inflammatur; in aqua perfecte solubile manet, & cum ea satis dilutum pristinam fere bilem repræsentat.

Bilis recentissimæ unc. xx. in furno ligneo leni igne expositæ, primo die dederunt ℥ij. cum ℥iiiβ. limpidi, inodori phlegmatis; secundo die stillarunt ℥iij. & ℥j.; tertio die ℥iv. & ℥vj., priori similis, Quod quarto die prodiit phlegma ℥v. & ℥vij.

(*) Omisi hic varia, miscelam bilis cum aliis substantiis concernentia, alibi jam adlata. — Vinum sibi admisceri etiam non patitur, quum statim turbulenta evadat. — Olea bilis ex integro respuit.

℥vij. odorem moschi exhalabat. Quinto die ejusdem liquoris ℥viiiβ. stillarunt, magis adhuc eundem odorem spargentis. Nil fere amplius moderato hoc igne furnuli lignei expelli poterat. Majori dein calori expositum inter arenas residuum stillavit spiritum & oleum, quibus salis quædam copia hærebat admista. Horum pondus erat ℥j. Remansit carbo & oleum ultimum piceum, quod ob lentorem nequirit transpelli, pondere ℥iij.

Phlegma propemodum mera aqua est; sal non continet; cum acidis effervescit; at singularem odorem ab oleo adtenuato acquirere videtur; quod alias longe majori copia sub destillatione deberet prodire, quum certum sit, oleum bili sat magna copia inesse. — Carbo in aëre sensim albescit; efflorescit instar sodæ, & pondus ejus aliquantulum augetur: intra aliquot septimanas $\frac{1}{2}$ drachm. adtraxit; ustus & elixatus præbet sal duplex & terram; sal nempe commune & alkali fixum. In terra quædam particulæ martiales reperiuntur.

Ab unc. xxxβ. bilis bubulæ ℥iij. aquæ fortis penitus absorptæ, involutæ; ab ℥x. autem ejusdem bilis absorptæ ℥xxij. olei vitrioli rectific., quadruplo aquæ destillatæ diluti: ut adeo, in primo tentamine ℥ij. aquæ fortis, in altero ℥β. olei vitrioli fuerint involutæ.

Substantiæ axungiosæ albæ per acida ex singulis unciis paullo plus ℥j. excussum fuit. Pondus ejus idem fuit, sive acidum vitriolicum, sive aqua fortis adhiberetur; uti ex subducto patet calculo; vi cujus quælibet uncia bilis in priori tentamine dedit grana $33\frac{7}{8}$, in posteriori gr. $33\frac{1}{2}$.

Liquor post hanc præcipitationem a bile residuus, si saturatio accurate facta sit, nullas prædo-

minan-

minantis acoris notas offert, sed lege artis ad le-
nem calorem evaporatus salia quædam media præ-
bet; ac primo quidem semper aliquid salis commu-
nis, quocunque etiam acido ad separationem uta-
mur; deinde verum nitrum cubicum, si aqua forti,
sal vero mirabile, si acido vitriolico usi fuerimus. —
Unde patet, in bile contineri & sal culinare, &
basin hujus, alkali fixum minerale. — Selenitici
aut aluminosi quid in bile etiam sese deprehensisse,
AUCTOR ait, & Alii, v. c. *Cel. CADET*, sal sac-
charo lactis analogum inde obtineri dixerunt. —
Hactenus *observata Houthiana*.

Prodiit *Edinburgi 1777.*, & nunc in *The-
sauro medico &c. Disputationum Edinensium*, a *Cl.
GULIELMO SMELLIO* edito, *Edinburgi 1779. T.
II. p. 453.* denuo typis expressa fuit, *Dissertat.
med. inaug. de Bile*, Auctore *Roberto RAMSAY*.
Continentur in ea experimenta cum bile instituta
xxx. Ex quibus deductæ subjunguntur conclusio-
nes; quas, hinc inde paucioribus verbis descriptas,
hic exhibeo. Bilis non alkalina est, uti putabat
SYLVIUS, non subalkalina, uti rentur recentiores
Physiologi: nam cum acidis non effervescit, non
sal constituit neutrum, nec quidem cum fossilibus
ullo modo coit. — Liquor animalis est non valde
putrescens, & minus saltem, quam caro, sanguis,
vel ejus serum. Ex parte tantum putredini obno-
xia est, ea scilicet, quæ ab acidis vegetabilibus ad-
fufis, vel a salibus neutris additis, e recenti bile
dejicitur; quæ neque ab aqua, neque a spiritu vini
solubilis est. Hæc autem pars bilis, quæ sola pu-
trescens, magna copia bili non inest. (Partem *re-
sinosam* in bile adsumsit *RAMSAY*; resinam vero,

si genuine loqui velis, in animali liquido non adsumendam, demonstravit *Cel. SPIELMANNUS*.) — Bilis, ut vulgo, vix sapo adpellari potest. Qui proprie saponem dicuntur, ex sale & oleo constant; & saponem præcipui ab acido adfuso resolvuntur in oleum & in alkali, cum acido adfuso coiens: sed in bile nihil omnino alkalini cum acido coeuntis invenimus: id etiam, quod ab acido e bile recenti præcipitatur, in aqua solubile est, & licet ex bile putrefacta quiddam resinofum, in spiritu vini, non in aqua, solubile ab acidis fossilibus dejiciatur; tamen, ob absentiam alkali, ne quidem in putrefacta bile adparentis, saponem in bile esse, minime concedimus. Viscidum porro quodcunque, olea inretiens, & cum aqua quodammodo confundens, sæpe sapo bilis adpellatur; quam recte, judicent Chemici. Sed in hunc etiam usum neque satis apta videtur bilis, & siquidem foret, inde saltem non magis recte sapo, quam viscida quævis vegetabilia, & animalia saponem adpellari possunt. (Quum, quæ circa thesin hanc *Ramsfayanam* adferenda forent, nimis excederent terminos, abs commentario eam dimittere malui; in aliam tamen illa omnia reservans occasionem: illud unicum nunc addens, ampliolem nunc nos habere saponum cognitionem, quam *RAMSAY* habuerat.) — Bilis materie trina constare videtur; aquosa; resinosa, spiritu vini, non aqua solubili; viscida, putrescente, neque aqua, neque spiritu vini solvenda. — Primam illarum meram aquam esse, ex experimentis fluere videtur. — Altera, dum aquæ bilis naturali adhuc immiscetur, aqua insuper adfusa facile diluitur vel solvitur. In extracto etiam & præcipitato bilis recentis, dum pars
 resi-

resinosa cum viscida adhuc miscetur, utraque aqua facile solvitur. Quum vero per putredinem diuturnam resinosa pars a viscida penitus separatur, tum magis pure resinosa videtur, & aqua non solubilis evadit. Dotes peculiare ejus restant examinandæ. — Tertia bilis pars, dum cæteris partibus adhuc miscetur, aqua facile solvitur: ubi vero ab acidis vegetabilibus, vel salibus neutris, a recenti bile deijcitur; vel ubi ex extracto, aut præcipitato, per spiritum vini separatur; in aqua neutiquam solubilis est, facile putrescit, & pars bilis sola putrescens videtur: putrescens ab aqua sustineri quodammodo videtur; sed ab ea facile iterum secedit. — Usus bilis in œconomia animali triplex videtur **AUCTORI**: 1) ut alimentorum partium aquearum cum oleosis miscellam adjuvet; 2) ut alimentorum vegetabilium indolem acescentem, ab animalium natura alienam, corrigat & in alkalescentem vertat; 3) ut stimulo suo motum intestinorum peristalticum cieat, & ad fæces alvinas promovendas, & demum expellendas, valeat. — Quod ad primum usum adinet, ait, bilis certe liquor viscidus, uti cætera animalium fluida viscida olei & aquæ miscellam quodammodo adjuvare potest. Sed ad hunc scopum multum conducere bilem, neque experimento nobis constat; neque illud, in quantum fit, ex natura ejus propria saponacea (ex quanam itaque?) pendere nobis videtur. — Quod ad bilis usum secundum, profequitur, satis certa videtur observatio **HELMONTII**; quod, licet in ventriculis animalium vegetabilibus pastorum acidi quiddam semper inveniatur, post bilis tamen adfusionem, nihil omnino acidi vel in intestinis, vel in fæcibus alvinis rejectis, repe-

riri potest. Constat, prosequitur, porro per experimenta antea adlata, acidum quodvis vegetabile, a bile adfusa adeo inmutari, ut neque gustui, neque lac coagulando, acidum jam esse, pateat. Alimenterum igitur indolem acescentem utcunque mutabilis; sed, ut nobis videtur, hoc non fit per miscellam partis cujusdam alkalinae, vel subalkalinae, quae in bile nequaquam deprehenditur; nec quidem per admisionem partis cujusdam alkalescentis, vel putrescentis ex bile: nam, licet ejusmodi aliquid in bile esse deprehendatur, ex ea tamen per adfusionem acidi vegetabilis continuo semper praecipitatur. Porro, licet acida vegetabilia a bile utcunque inmutentur, eadem tamen in totum destrui, vel in materiam protinus alkalescentem statim mutari, non videtur: nam chylus, sive lac animalium vegetabilibus partium, per horas etiam plures, post adfusionem bilis, adhuc acescens est. — Quod ad bilis usum tertium, plures quidem observationes virtutem bilis laxantem sive cathartica, satis certo evincunt; adeo, ut restet tantum indagandum, unde haec virtus. Quum acrimonia quaedam amara bili manifesto insit, licet forte vim ejus cathartica ad acrimoniam illam referre. Simul vero notandum est, bilis amarorem in animalibus phytophagis in dulcedinem blandam perpetuo inmutari, & partem illam cum acidis vegetabilibus chylo inmisceri, vel forte chylum ipsum fieri; unde illam partem bilis amarum cum facibus misceri & excerni, minus probabile videtur. Potius igitur censendum est, illam bilis partem, quae per acida vegetabilia praecipitatur, eam vere esse, quae, in putredinem vergens, intestina praesertim stimulat, & tum sui ipsius, tum

fæcum alimenti dejectionem, promovet. — Hactenus confectaria ex tentaminibus cum bile institutis a Cl. RAMSAY deducta.

Edita fuit *Argentorati* 1767. pulcherrima Dissertatio, sistens *experimenta circa naturam bilis* defensa a D. J. M. RÖDERER, quam debemus imprimis labori *Inl. SPIELMANNI*. Totam vix non oporteret hic inferere, quum omnia notatu sint dignissima, & catena contineantur experimentorum nitidissimorum, quæ compendium non adeo admittunt. Optimum fuerit adtulisse ab ipso AUCTORE concentratam, ut ita dicam, recensioem libelli egregii; quod tamen ipsum, coactus operis *Hænniani* limitibus, invitus in arctiores cancellos redigere debui. —

Experimenta chemica in bile demonstrarunt præsentiam *aquæ*, quam quidem & communis evincit liquidorum natura; — *Serum*, cui pars aquæ debetur; *mucosi* quid, quod & HOFFMANNUS & RAMSAY detexerunt; *gelatinosæ* etiam *seri partes* magnam coagulorum bilis partem faciunt; — *Salia varia*: *sal commune* & *mirabile* adsunt; sed hæc non tam bili propria esse, quam potius, eo quod in communi humorum massa obtineant, per accidens videntur accedere. — *Sal acidum*; quod quidem demonstratur ex genio sanguinis, unde secernitur, per analysin confirmato; & productione salis volatilis sub bilis destillatione, nec non ejus in putredinem nisu; qui nonnisi in substantiis acido gaudentibus locum habet. Acidum hoc, quod ex immutato, vi organismi, vegetabili acido oriri videtur, animalis acidi nomine notum, quum vix ullos

in alkalia falia bilis effectus edat, quod in ipſa diſſertatione latius examinatum fuit, oleo ita obvolutum eſſe adparet, ut in integra bile nullæ plane acidæ vires exiſtere queant. — An *volatile alkali* in bile adſit, adſerere **AUCTOR** nil auſus fuit, quum experimenta id non exhibuerint. Fossilis alkali, ait, ſi quid a reſoluta vi vitæ falis marini parte forte ineſt, perinde oleo ita obductum eſſe oportet, ut ſuæ naturæ leges ſequi non poſſit, recteque adeo bilis neque acida, neque alkalina eſſe dicatur. — *Oleum* bilis intrare compositionem, uberime experimenta loquuntur: illud, quum bilis inodora ſit, & viſcida, unguinoſis adſcribendum erit. Id ipſum autem, verba ſunt **AUCTORIS**, quum tar- do per vaſa, quibus ad hepar advehitur, motu & prævia in cellulis ſtagnatione moram egerit, & quidem evidenter calido loco; hinc corruptionis quidam gradus in eodem obtinuit: inde bilis acrimonia, amarities, color, & ſolubilitas in ſpiritu vini quoad maximam partem pendere videntur. Hoc oleum arctius ſalino principio unitum eſſe, evidens eſt, quum ab aqua bilis ſolutum teneatur, immo in bile hærens aquam promptiſſime ſubeat. Quum autem alkali volatile in bile nullum obtineat, hinc oleum cum acido in eam formam concreviſſe adparet. — *Terra* in bile quoque præſto eſt; quoad maximam partem ſero deberi & *calcareis* adſcribenda videtur. — *Ferrum* bili nullum ineſſe videtur, etſi negare non auſim, **AUCTOR** ait, ejuſmodi forſan adeſſe terram, quæ ignis tortura in ferrum abi- re apta ſit. Videtur itaque *bilis* eſſe ſubſtantia *ex acido animali & oleo unguinoſo* ad certum gradum *rancido* efformata, multa *aqua diluta*, cui & *fe-*
rum

rum (*) & varium *salium* genus, *marinum*, *mira-*
bilis quid, forte & *alkali mineralis* nonnihil &
terra per animalis œconomix rationes inhærent.

Usum bilis AUCTOR sequentibus, quæ denuo
breviora dare debeo, absolvit. Digestionis nego-
tium adjuvat, promovendo motum intestinum; fer-
menti vices obit; saponis siquidem habeat naturam,
hujus etiam, oleosas adsumtorum partes uniendo
cum aquosis chylumque inde efformando, edet
effectus, & efficacius forte, propter sui acrimoniam.
Cibariæ pulvis acorem ab adfusa bile corrigi, post
HELMONTIUM plurimi, maxime ex *Schola Batava*,
Doctores, SYLVII principiis occupati, præeunte
BOERHAAVE contendunt, idque variis in morbis
observatis illustrare, & pabulo præcipue in ani-
malium graminivororum ventriculo acido, in inte-
stinis dulci, probare nituntur: sed quum id ipsum
facilius ex ulteriori fermentationis progressu & co-
piosius adfusus liquidis animalibus liqueat; hinc bi-
lis iste usus minus confirmatus esse videtur: mor-
bi, quos adlegant, minime, acorem massæ ciba-
riæ a bile corrigi, sed ab ejus defectu justum fer-
mentationis modum suspendi, potius probant. —
Acrimonia bilis stimulans intestina, insignes ad
tuendam sanitatem præstat usus. — Fel cavere,
ne mucus intestinalis viscedine sua noceat, hian-
tiumque in tubum intestini vasorum oscula claudat,
facile largior, AUCTOR ait; id modo notatum ve-

G 5

lim,

(*) Dixit jam *Cel. COE*: „the bile seems to be made of
the oily and saline parts of the blood, intimately uni-
ted together and mixed with a due proportion of serum.“
COE, on *biliary concretions*, &c. p. 49.

lim, reliqua in intestinum magna copia confluentia liquida suam & hic symbolam conferre: nec plane nulla esse videtur GLISSONII conjectura, quando lubricari a bile fæcum vias, ipsasque emolliri, ut excerni facilius queant, contendit. — Præterea bilis, quum evitari vix possit, quin cum cibis numerosa insectorum ovula deglutiantur, amarore suo efficit, ut exclusa primarum viarum calore animalcula mox enecentur, atque ita metuendæ a nidulantibus in intestino vermibus noxæ præcaveantur. — Bilis siquidem in ventriculum etiam secundum naturam recipiatur, v. HALLER., *El. Phys. T. VII. p. 307.*, ad excitandam ciborum adpetentiam eam facere, non est improbabile. — Veræ bilis quum in sano sanguine vestigia nulla occurrant; hinc, quidquid de ejus in sanguine usu docetur, invita Natura proferri, nulli dubitamus adserere. Denique omni ex parte officio suo defuncta bilis cum excrementis una, quæ suo colore tingit, a corpore eliminatur. —

Dixerant *Cel.* BOERHAAVE, BAGLIVIVS, HOFFMANNUS, GAUBIUS, Aliique plures, bili competere dotem saponaceam, miscellam oleosorum cum aquosis perficientem. Recentiorum Nonnulli, v. c. *Cl.* KUCHELBECKER, & SCHRÖDER, & RAMSAY contrariam tenuere partem; & ipse *Inl.* GAUBIUS in recentiori *Pathologiæ* editione *Lugd. Bat. 1763. §. 372.* dubius thesin antea propositam nunc repetit. — Plura, ut rem hanc dilucidaret, tentamina *Cel.* SPIELMANNUS instituit, repetens partim *Schröderiana* pericula; miscendo bilem bubulam recentem cum lacte vaccino integerrimo, recentissimo; cum eodem decocto, una cum addita bile; cum eodem coacto; cum emulso amygdalarum; cum

cum oleis, unguinosis & destillatis; cumque resinis: enarratis hisce omnibus subjungit AUCTOR: „quid igitur statuendum? Anne *sapo* est bilis? An ex saponum numero est excludenda? In hanc equidem sententiam primum inclinaveram; nunc vero, dum omnia rite perpendo, dubius iterum hæreo: video enim, multa in utramque partem posse disputari, & esse in his ipsis nostris experimentis nonnulla, quæ pro saponacea bilis indole possis interpretari. Præterea, pro varia, quam adsumferis, saponis definitione, vario modo erit pronuntiandum; possis etiam varias admittere saponum species, quæ non omne oleum omnes & eodem modo solvant; neque contemnenda antiqua fama, quam apud Lotrices & varios Artifices a longo tempore bilis adquisivit. Denique, Quis satis certo novit, an non in vita liquidis animalibus peculiaris quædam sit virtus, undecunque profecta, quæ post mortem exoleseat? Eapropter consultum mihi videtur, in re magni momenti meum suspendere iudicium, & sagacioribus Naturæ Investigatoribus hanc litem dirimendam relinquere. — Hactenus *excerpta* ex adducta antea *Spielmanniana diatribe*, *Experimenta circa naturam bilis exhibente*. —

Ipse SCHRÖDERUS in *Programmatis experimentorum ad veriorem cysticæ bilis indolem captorum sectione I.* (altera non prodiit) *Gottingæ 1764.* edita, experimenta recenset XXIII. quæ cum bile admistisque huic substantiis diversis aliis instituerat. Confectariorum inde deductorum ultimum, huc inprimis pertinens, nam proluxa nimium evaderet ipsorum tentaminum relatio, sequens est.

„ Annon ergo, SCHRÖDERUS ait, cum experimentis minus convenire censendum, illud bili adtributum in chylopoësi officium, quo adinstar saponis illam se habere, tenaciora quæque emollire & adtenuare, pingua aquosis humoribus, potulentis atque ciborum solidorum succis, miscibilia reddere, hisque omnibus in massam homogeneam subigendis inservire, toties adsertum fuit? Quum enim nec ista violentia, qua opus est ad commixtionem aliqualem oleorum & pinguedinum cum bile, vel pura, vel diluta, efficiendam, in officina chyli adhibeatur, neque ea in chylo sit indoles, quæ oleum ex æquali sua mixtione facile dimittat; vix ausim a dissolvente bilis potestate, qua instar saponis in alia lente penetraret, multum efficaciam in conficiendo chylo expectare. Et Quique, arbitror, nisi qui meis forte experimentis omnem fidem denegaverit, facilius mecum sentiet, quum perpenderit, quotuplicia & quam tenacia complura sint alimentorum genera, quæ bene tamen a nobis digeri posse, ex quotidiana observatione quam certissime constat. Non dubito quidem, fore Multos, qui per alia experimenta, etiam sæpe ad confirmandam bilis indolem saponaceam adlegata, quorum vero inter mea hætenus nulla fit mentio, receptam de bilis efficacia doctrinam satis jam esse stabilitam, existiment. Verum, præterquam, quod nec Eorum experimentorum successus, quoad ego comperi, ipseque hætenus pericula feci, meis modo propositis contraria videantur; hoc etiam consuetarium per enarrata mea experimenta satis jam suffulciri crediderim. Sed liceat mihi, ab hisce dubiis hac vice abstinere, quæ alia in scriptione propriis experimentis diluere constitui.“

HÆC SCHRÖDERUS : promissum scriptum non prodiit ; sententiam suam , uti ex ipsius verbis manifesto adparet , dubius proposuit . Quæ vero SPIELMANNUS ad illius experimenta responderit , paullo ante vidimus. —

EXACTE *bilem humanam* , dein *bovillam* , examinavit *Cel. CADET* , cum *Cl. PIA* : en laborum illorum compendium , quod *Cel. VIR* operi maximo ENCYCLOPÉDIE inferi curavit , *T. V. p. 513. Edit. Ebrodunensis 1771. 4.* Referuntur tentamina hæc ipsa & in *Mem. de l'Acad. des Sc. &c. 1767. p. 333. sqq.*

Bilis experimentis adhibita , quin vere foetet , odorem exhalavit fatuum maximeque ingratum . Destillationi ex retorta , calore admoto lenissimo , subjecta magnam primo vim bullularum aërearum dimisit . Obtentum phlegma multum , parum alkali salis volatilis , multum autem olei animalis .

Adfuso humanæ bili acido salis , materies enata salina ; calce viva superaddita , alkali sal volatile dimittens . Rati fuerunt primum Docimastæ cel. , alkali hoc volatile esse posse unum ex principiis constitutivis bilis ; obpositum autem dein patuit , constititque , deberi , ut productum , fermentationi putridæ , nascenti in bile tentaminibus dicata , in corpore humano autem non præsentis . Amplius hoc ipsum deduxit *Cel. CADET* in *binis Dissert. de Bile, inlusri Academiæ Scientiarum Parisinæ exhibitis.*

Quum ægerime haberi posset *bilis humana* & recens , & quantitate requisita , quum etiam metus foret mutatæ necessario per prægressum morbum mortemque indolis bilis ; *fel bovinum* dein fuit examinatum .

Adfusæ libris hujus octo unciaë quatuor acidi muriatici fumantis : sub ipsa miscella ascendit odor hepatis sulphuris, bilis etiam illico coagulata. Coagululum hoc ipsum post aliquot horas fluidum adeo redditum, ut miscella facillime penetrarit per chartam emporeticam; quod bilis pura, ob visciditatem suam magnam, præstare nequit. Remanserunt in filtro drachmæ binæ materiei albæ, gelatinosæ: elota hæc & siccata unice animalis indolis deprehensa fuit; carbonibus ardentibus injecta odorem cornu ambusti dimisit.

Liquor, qui filtrum transierat, evaporationi per aliquod temporis intervallum commissus, materiem præbuit resinosam, calore lenissimo fundendam, inter digitos, ceræ mollis adinstar, cedentem, sigilli inpressi ductus probe recipientem.

Color substantiæ huic saturate niger, lignum album chartamque similem viridi pigmento tingens: (hinc color ille potius adeo saturate virens dicens est, ut adpareat plane niger.)

Liquidum residuum in vase vitreo calore balnei arenæ evaporatum reliquit sal album, quod, microscopio bono examinatum, congeriem exhibuit crystallulorum exiguarum, acicularium, quarum quælibet tres quatuorve lineas longitudine æquare videbatur.

Obtentum præterea sal brunum lamellosum, verum sal muriaticum; carbonibus injectum, salis nunc dicti in morem decrepitans: colorem indeptum fuit a parte quadam pingui, a qua in encheiresi hac difficulter liberatur.

Inter pelliculas nunc recensitas sal cernebatur aliud, crystallis præditum trapezia æmulantibus. Saporem debiliorem sacchari lactis in lingua excitavit.

vit. Sali huic forsan, AUCTOR *Cel.* ait, tribuendus erit sapor ille saccharinus, quem VERHEVENUS in bile sese deprehendisse dixit, dum, in extractum prius redacta, aqua denuo diluitur.

Acidum nitri, uti acidum muriaticum, dedit cum bile substantiam albam, antea dictæ similem; separata inde etiam materies subresinosa, colore flavo solum a priori diversa. Miratus fuit *Cel. CADET*, non retinuisse materiem hanc colorem illum læte herbaceum, quo acidum muriaticum bilem bubulam primum tinxerat. Repetit phænomeni rationem a phlogisto quodam adtenuatissimo, bilis, una cum aliis, principium constituyente, quod ab acido nitroso sub initium evaporationis eripitur; quum in experimento ope acidi muriatici instituto permanferat.

Obtinuit, experimenta urgens, nitrum cubicum, aliudque sal, quod, microscopio examinatum, aciculas numerosas exiguas exhibuit. Præcipitans lixivium matrem, ab operationibus residuum, oleo tartari per deliquium, nasci vidit crystallos trapezoides; sapor saccharinus earum demonstravit, ejusdem esse indolis cum prioribus, acidi salis interventu genitis.

Nitrum cubicum suspicionem excitavit, magnam partem salis alkalini mineralis inter principia bilis recipi, salque hoc, parti pingui unitum, constituere in corpore animali saponem verum; uti producitur unione salis sodæ, seu basi alkalina salis communis, cum oleo quocunque unguinoso.

Ut suspicionis hanc veritatem exploraret, decem libras bilis bovinæ, quas duodecim cystides felleæ subpeditarunt, igne lenissimo inspissavit ad siccitatem usque; tum in crucibulo calcinationi subjecit.

jecit. Remansit materies carbonacea, odore hepatis sulphuris (une odeur d'hépar) donata, quem producta calcinatione perdidit, abiens tum in cinerem gryseum, sodæ, qualis in commercio prostat, simillimum. Elixiviatus cinis hicce præbuit uncias tres salis alkalini, crystallis, quæ ex sodæ sale obtinentur, omnino analogi: obtentum præterea sal, indolem sacchari lactis referens, verumque demum sal muriaticum. Cinis residuus niger erat, a phlogisto arctius adhærente, ægreque calcinatione avellendo. Moleculas inde quasdam adtraxit magnes.

Sequitur, *Cel. CADET* ait, ex hisce tentaminibus:

1) Bilem humanam, fermentationem putridam, spontaneam expertam, alkali largiri volatile, & cum acido muriatico salis ammoniaci constituere speciem. Alkali tamen hoc ipsum volatile naturaliter in corpore humano existere non videtur.

2) Acida mineralia bilem primum coagulant, mox tamen eam reddunt fluidam, adeo quidem, ut facile chartam transeat emporeticam; quod bilis, qualis in corpore deprehenditur, facere nequit.

3) Salia ante dicta acicularia, acidorum opè parata, producta sunt terræ calcareæ, majori mino-
rive quantitate cum diversis acidis junctæ; quo ex connubio salia exsurgunt diversa selenitica; insipida enim sunt, ac partim solummodo ægreque ab aqua bullienti resolvuntur. Terra hæc eadem calcarea ortum dedit sententiæ, quam Physici plures circa genesis calculorum biliariorum & stercoralium foverunt. Habetur in *T. III. des Mémoires de l'Académie Royale de Chirurgie de Paris* descriptio analysos, cui calculum hujus generis subjeci.

HENCKELIUS non abs ratione dixerat, abforbentibus terreis Utentes sæpius obnoxios fieri concretionibus calculosis. Primi ordinis Domina, magnesia alba diutissime usa, ante paucos annos violentissimis doloribus adfecta fuit colicis. *Cel. de VERNAGE & LORRY*, ut opem ferrent accersiti, remedia malo congrua præscripserunt: liberata tandem Ægra fuit dolore, calculo, ovum columbinum magnitudine æquante, per alvum reddito. Analyſis calculi hujus institui, vidique, componi terra calcarea, cujus moleculæ invicem nexæ erant principio oleoso, ejusdem, quale in bileprehenditur, indolis.

4) Crystalli figuræ trapezoidis, ex sero bilis natæ, sapore saccharum lactis referentes, multum etiam facere queunt ad genesis calculorum biliariorum; inprimis singulares illæ, quas *Cel. MORAND* primus observavit, superficiæ suarum splendore, tum diaphaneitate facile cognoscendæ. Legi poterit in *Mémoires de l'Académie des Sciences de Paris*, 1741. examen rei hujus adtentione dignissimum. Autumat *Cel. MORAND*, principia constitutiva bilis nonnunquam decompositionem in corpore experiri, tum vero, ait, partium decompositarum connubia varia producere sane debent varias concretiones, quin &, de qua agitur, calculi speciem.

Ex omnibus cum bile institutis, antea enarratis, tentaminibus elucescit, eam esse saponem verum, principio aqueo valde divitem; compositum vero præterea pinguedine animali; substantia gelatinosa; basi alkalina salis muriatici; portione quadam salis hujus ipsius; sale essentiali, indole ad

faccharum lactis accedente, terra demum calcarea, cui admistum quid est ferri.

Bilis in extractum reducta successu temporis indipiscitur, in vasis clausis, odorem gratum (douce) moschi. Advertit HOMBERGIUS, bilem fermentationi in loco, solis radiis exposito, commissam per bimestre aut trimestre, egregium largiri remedium tollendis maculis (*tannes*) cutim inficientibus. — Hactenus recensio tentaminum a Cl. CADET cum bile institutorum.

Monetur & in ENCYCLOPÉDIE, amarorem bilis non proficisci a sale, sed ab oleo bilis, quod mediante adritu & incalescentia in vasis, quibus conficitur, in filtro (tamis) quod transit, ac in receptaculo, in quo adservatur, rancidum fiat, ac amarum: confirmatur hoc, *Redactor* ait, sequentibus binis observatis. Bilis leonis aliorumque animalium ferorum amarissima est, quum in eorum vasis actionem experiatur fortissimorum agentium (*ressorts*); bilis autem, ex obposito, hominum vitæ sedentariæ deditorum (vasis, visceribus laxis, atonis instructorum) plerumque aquosa deprehenditur ac insipida.

Sufficere hæc poterunt circa *præcipua* RECENTIORUM tentamina & observata de bilis tum principiis constitutivis, tum crasi eorum, analysi chemica & effectibus succi hujus, in œconomia animali insignis sane usus, si legitime constitutus fuerit; plurimorum autem, pessimorumque morborum fonte, si a naturali ac laudabili indole quacunque demum ratione recesserit. Plura cum bile instituta experimenta, quæ, ne in infinitum excurrat sermo, consulto hic prætereo, nosse Qui voluerit, adeat *Magni HALLERI Elem. Physiologiæ, c. de bile*

bile, ubi catalogum inveniet Auctorum de hac re optime meritorum. Redeamus tandem, facta hac longa satis, sed ni fallor, non inutili forsàn Pathologis, Chemicis, Physiologis, digressione, ad textum *Haenianum*.)

Si hanc bilis idæam Vobis præsentem habeatis, mox sensum textus intelligitis: *bilis excretio nimia per superiora vel inferiora*, nempe vomitu frequentissimo, diarrhæis, dysenteriis, *orbat chylopoëjin primario instrumento*.

Si bilis per communem ductum infunditur in duodenum, potest superiora petere; potest & inferiora. Sed communi via & lege petet inferiora; nisi vel plicæ intestini duodeni valvulosæ in cavitate, vel ipsum intestinum vario contortu suo, viam ad inferiora præcludant: tum enim sursum per pylorum bilis ventriculum subibit. Fit sæpe in homine jejunante, ut duodeni via ad jejunum sit inpeditiore a flacciditate intestini & valvularum ad se invicem compositione: unde tunc frequens in Jejunantibus bilis in ventriculum adscensus. Idem contingit in jejunantibus Ægris, de qua re post.

(In jejuno homine constanter bilis in ventriculum funditur; MORGAGNI *Adversar. Anat. III. p. 55.* Ob hanc instantiam monuit HALLERUS, *Not. in Prælect. Acad. BOERH. T. I. p. 370.*, non pro singularibus habendas esse fabricas in piscibus, & quadrupedibus, & avibus quibusdam, quin & in nonnullis hominibus, ubi ductus biliaris in pylorum insertus deprehendebatur. Insignem instantiam exhibuit extispicium CAROLI VI. IMPERATORIS, quod refertur in *Cel. BALDINGER*, opere periodico: *Neues Magazin für Herzte.*)

Si bilis illa copiose secernitur & evacuatur, incipit sanguis viscerum abdominalium destitui illa ma-

terie, quam hepatis pro bilis confectione subministrabant viscera illa: unde fit bilis debilior, parcior, ac minus colorata.

Sane tunc *orbat chylopoësin primario instrumento*; quia mox vidimus, bilem solvere, dividere tenacia; oleosa reddere miscibilia aquosis stimuloque suo intestina ad chyli perfectionem excitare.

Hinc impedit coctionem; tam utili instrumento jam carentem; *secretionem*, quia bilis stimulus agit intestina ad bonam secretionem utilioris, subtilioris partis chyli, utque eam secretam agant per lactea.

Fæcum excretionem; quia etiam portio bilis, admixta fæcibus, stimulat in homine sano crassa intestina, quo, illo stimulo excitata, alvi promoveant excretionem. Hinc tumidum gerunt abdomen Tales, ut patet in Infantibus, in Frigidis, in Cachecticis, quibus bilis deficit. Hi, ut putant, indigent perpetuo purgantibus, nam flagitant ea continuo a Medico, alioqui solamen non habentes: ast mox a finita purgantibus actione eadem adest alvi pertinacia. Si homines tales nil habent, quod contraindicet, unicum remedium est, per saponacea, amara (salia subsaponacea, solventia, tum & ipsam exhibitam bilem, quam *Cel. BOERHAAVE, TRONCHIN, SPIELMANN &c.* tanto cum successu in viscerum infarctibus, obstructionibus, adfectionibus a *GALLIS* sic dictis vaporosis, melancholicis &c. exhibuerunt;) bilis subplere defectum.

Producit temperiem acidam. Vidimus, bilem nec acidam esse, nec alkalinam, sed tamen facile putrescentem; inprimis, dum, uti in intestinis, aër accedere liber queat, ubi facile ad alkalinam naturam accedit. (Revocanda circa hoc in memoriam antea adducta cum bile instituta tentamina), quæ mutatio in morbis acutis tam sæpe fit. Hinc acido generando

tunc

tunc effet omnino obposita. Verum, si diæta accensens, acida, copiosa sit, si ea acida moram trahant in intestinis, nec multum cum humoribus alkalescentibus misceantur; tunc acescentia & acida facile suam servant naturam.

Ubi nunc deficit bilis, jam ostendi, stimulum deficere, quo excitata intestina agant in contenta; tum, ut illa partim bene subacta digestaque lacteorum oscula subire cogant; tum, ut residuas fæces corpore eliminent: ergo temperies acida sensim nascitur; qualem Vobis antea, de varia acrimonia agens, descripsi.

Bilis deficit, etiam si hepar & vesicula fellea fecernant materiem eamque copiosam, sed non eam, quam biliosam vocamus. Sic DIEMERBROEK Aliique testantur, se vidisse bilis vesicam plenam materie excolari, instar aquæ limpidaë. Ipse vidi in Infante vesicam plenam, sed tantum materie aquosa, vix tantillum amarescente. BIANCHI talem bilem tribuit Hydropicis atque Cachecticis: crediderim, id sæpe verum esse; sed vidimus in nosocomio in Hydropicis atque Cachecticis bilem copiosam inpanse flavam; ita, ut generalis lex non sit. (In Fœmina, enormi hydrope ascite laborante, vesica fellea contentam bilem tum quantitate tum qualitate statui naturali conformem exhibuit; etsi Fœmina diu fuisset cachectica, & in abdomine contenta aqua, illa mortua emissa, nam paracenthesin vehementer recusaverat, magna duo vasa terrea inpleret.) Tamen hoc anno (1759.) bilem ex vero Hydropico in vesica vidimus excolorem, insipidam.

Frigus, debilitatem, pallorem, leukophlegmatiam, deliquia; qualia omnia in acida temperie descripsi. Acida enim temperies plerumque habet circulationem tardiozem; habet & sanguinem, si acidum tantum in

viis primis adfit; vel saltem, si non fit acidum austerrum; solutiorem: hinc explicui Vobis, necessario sequi debere calorem naturali minorem, frigus, vires debiles, pallorem & aquæ in incumbente cellulosa adiposaque membrana collectionem.

Quum igitur totum systema (vasorum) debilissimum sit, & sensim acida dispositio in sanguine nata; etiam cor pati incipit a coagulo sanguinis polyposo; quo tandem pessima fiunt animi deliquia.

Immo, etiamsi sanguis nondum sit acore infectus, tamen temperies est debilissima; ergo & debilissimi nervi; pauci ac debiles in his nervis spiritus non sufficiunt ad commotam sanguinis circulationem restitutamque conservandam: unde in illo statu facilia frequentiaque animi deliquia.

Hæc animi deliquia potissimum observantur iis contingere, quibus vulnere inflictio, vesica fellea perforata bilem omnem in cavum effuderit abdomen. Mira tales homines symptomata habent, misereque & brevi intereunt.

(Referre juvat in compendio, ad confirmationem *Haenianæ* hujus sententiæ singularem sane observationem, cujus Testis autopta fuit egregius ac operationes chirurgicas gravissimas insigni dexterritate perficiens *D. MOHRENHEIM*. — Fœmina malæ frugis in quartum mensem gravida, abortum procuratura sumsit decoctum meracum valde sabinæ. Hyperemesis inde magna, per aliquot dies protracta, non sistenda; procuratus abortus; dolor intestinorum summus; vera enteritis; mors. Apertum abdomen exhibuit intestina inflammata; vesicam felleam ruptam, violentia utique emeseos, bilis in abdomen effusa; placenta adcreta ipsi vix non orificio uteri.)

Si vero confecta — — — præcedentia vitia.

(Antequam HAENII hunc in locum adferam commentarios, inferere juvat observationem, a summis in arte Viris frequenter confirmatam, circa pessimos a bile quibusdam in morbis effusæ ultra modum, nascentes in sanguinea massa effectus. Unus instar omnium esse poterit *Cel. HILLARY, Observat. on the changes of the air &c. in the Island ob Barbados, Lond. 1759. p. 151. &c.* „*In the latter stage, ait, of this fever (de febris putrida illa biliosa agit, quæ ANGLIS the yellow fever, seu febris flava, dicitur) the blood is so attenuated and dissolved, that we frequently see it flowing not only out of the nose and mouth but from the eyes, and even through the very pores of the skin: also great quantities of black half-baked, or half-mortified blood is frequently voided, both by vomiting and by stool, with great quantities of yellow an blackish putrid bile by the same ways; and the urine, which was before of a high ictericious colour, is now almost black, and is frequently mixed with a considerable quantity of half-dissolved blood.* „*Videri circa hanc rem poterunt & observata Cel. HUXHAM, PRINGLE, BISSET, &c. ac imprimis, Difsert. de febris maligna bilios, American. Cel. MOULTRIE.*

Etsi vero in *yellow-fever* color corporis flavus sit, unde & nomen primum accepit, eam tamen *vero ictero*, uti Nonnulli voluerunt, non accenseo: rationes in alium locum differre debeo. — Nunc ad Textum *Haenianum.*)

Videtis, inquit, in quot quantorumque morborum intellectum nos ducat hæc de bile consideratio; quod hinc creari vitia mox exposita Textus dicat,

ponte patet; nam vitia illa oriebantur a defectu bilis, nimium per superiora, aut inferiora, evacuata. Perinde autem, quoad hæc vitia, num bilis non conficiatur, an intercipiatur confecta. Ergo ICTERUS modo restat explicandus.

(ICTERUS Græcis dictus fuit ab *ικτις*, mustela sylvestri, oculis flavis, seu colore Ictericorum tinctis. „At supervacuum mihi videtur, ARETÆUS CAPADOX ait, *l. I. c. 15. diuturn.*, unde id nomen icterus tractum fuerit, explicare, præterquam a terrestribus quadrupedibus; quas Græci *Iktidas*, Latini *Viverras*, Aliqui *Martes* vocant, & sylvestris mustelæ species est: his enim bestiis oculi hujuscemodi colore tincti sunt.“

SUIDAS etymologiam vocis ἀπὸ τῶν ἰκτινῶν, seu a *Milvis* deduxit, quod illi quoque ictericiis præditi forent oculis; etsi quidem plures omnino aves, v. c. gallinacei generis &c. talibus gaudeant. Ait PLINIUS *Hist. Nat. l. 30. c. 3.* „Avis *icterus* vocatur a colore, quæ si spectetur, sanari id malum tradunt & avem mori: hanc puto latine vocari galgulum.“

Latinis dicitur *arquatus*, aut *arcuatus morbus*, a similitudine *iridis*, seu *cælestis arcus*, ob varium colorem. — *Regius morbus* nominari pariter consuevit: HORAT. *Art. poët. v. 453. p. 706.*, *Edit. Bentlei.*

„ Ut mala quem scabies aut morbus regius urget.“
 „ *Leçto etiam utendum est*, curam hujus morbi exponens CELSUS ait, *l. III. c. XXIV. p. 185.* *Edit. HALLERIAN. Medic. Princip. T. VIII.*, & *conclavi cultiori, usu, loco, ludis, lascivia, aliis, per quæ mens exhilaratur: ob quæ REGIUS MORBUS dictus videtur.*“ — Aliam rationem linguæ latinæ

tinæ Parens, & doctissimus Romanorum, MARCUS VARRO adfert; ait siquidem PLINIUS *l. 22. c. 24.*, VARRO *regium* cognominatum morbum arquatum tradit, quoniam curetur mulso. "Potulento, Regum mensis inferri solito. — *Aurigo* a flavo & subaureo colore Aliis vocatur, atque voce hac CELSUS & APULEJUS usi fuerunt. Pulchre, etsi quidem non ad leges mineralogicas, aut historico-naturales, dixit ARETÆUS *l. I. c. 15. diuturnor.* „Plane acerbum id malum est, color vero specie horribilis: etenim colore aurum repræsentat: sed non hominem decet, quod in lapide pulchrum fuerit.)

Icterus a GALENO definitur *T. II p. 264.*, bilis refusio in cutim, qua fit, ut superficies tingatur, & lutea fiat, & vitietur cutis, & albæ Illis fiant ventris dejectiones. "Est descriptio potius morbi, quam definitio; addere debuisset: *Et urinæ croceo colore tingentes*; id quod cum albis fæcibus semper observatur.

(Notavit hoc BOERHAAVIUS & in ea specie, quam ob nigricantem, præ saturata flavedine, colorem *melasictorum* vocare consueverunt. „Faciæ color ait, *Consult. Medic. Epist. XVI.* ad nigrum vergebat, caput vero & reliquum corpus colore intense flavo perfundebatur: *in sedibus nullum flavedinis signum; urina autem bile saturata videbatur.*“

Aliam definitionem icteri adtulit ARETÆUS, *l. I. c. XV. diuturn.* „Si bile flava, vitellina, aut crocina, aut nigra cum viridi mista omne corpus a viscere suffusum sit, affectus hic a Græcis *Icterus*, a Latinis *Regius morbus*, sive *Arquatus*, sive *Aurigo* dicitur.)

Color in his hominibus varie flavet, pro majori vel minori copia bilis, vel pro bilis colore in Alio quam in Alio intensius flavæ, natura, vel morbo (hujusque stadio, gradu, intensitate) vel prout hepatica, vel cystica, vel utraque commissa, causam morbi præbent. Color adeo diversus sæpe, ut Auctores distinxerint inter *ictærum flavum & nigrum*.

(ARETÆUS l. c.,) Duæ sunt hujusce labis species: aut enim in flavum croceumque vergit simulque albicat, & virescit; aut in lividum nigrumque declinat. Quam divisionem summam passim sequutos Auctores constat; rerum naturam vero Æstimanti facile patet, infinitos deprehendi recessus, adjectis intercurrentium varietatum vicissitudinibus. In *Ephemerid. Nat. Curios. Cent. V. Obs. XLI. pag. 61.* habetur historia ictæri notabilis Cl. LANZONI descripta. Homo quadragenarius, mediocris habitus, cibus copiosis & potibus generosioribus libere indulgens, pondus cum gravi dolore in dextro latere sensit; hoc declinante tota facies viridi colore usque ad guttur tincta; dextra pars corporis atro colore notabatur, sinistra vero flavescibat; ut notabile fuerit, tres diversos colores in uno Ictærico comparuisse. Urina modo viridis, modo atra; imprimis quæ noctu excernebatur, proxime dicto colore tincta; quæ per diem, viridis. Purgato corpore, ex usu salis absinthii, ad ℥j. per plures dies adhibito, colorum facta metamorphosis: facies enim, quæ prius viridis erat, flava facta est, & pars dextra, antea atra, pariter nunc flavuit; læva autem atrum paulatim induit colorem, atque sic post vigesimum diem color unus, flavus nempe, factus est, qui usu syrapi cichorei cum rheo per plures dies una cum usu corticis peruviani, sensim eva-

evanuit. — In eodem opere, *Cent. III. Obs. LXIV. p. 145.*, Cl. BEHRENS retulit historiam icteri corporis dimidii in Viro nobili, septuagenario majore; qui ab ira, cui graviore, naturæ vitio, obnoxius erat, factus apoplecticus, tum in dextro latere hemiplecticus, ictero simul idem corporis latus obsidente, atque exacte adeo quasi dividente, ut etiam nasi dextra pars icterica foret, sinistra vero colorem naturalem retineret; haud secus ac in Seno quodam podagrico altera quoque nasi mediæ affecta ab ETTMÜLLERO observata fuit; v. ETTMÜLLER *Colleg. pract. Oper. T. II. p. 844.*: fugatus remediis cephalicis, bezoardicis, tinctura Michaelis, venæsectione, intra quatuordecim dies icterus hicce dimidiatus.

Monendum vero duco hac occasione, metamorphoses quasvis coloris sani in subflaventem, flavum, virentem, prasium, porraceum, isatodem, chloroticum, amurcosum &c. non aptissime semper ictero vero & genuino accenseri: colore siquidem solo morbi genius non semper ac inrefragabiliter determinatur. — A morfu boicingæ, aut crotalophosi (*the rattlesnake*) subin totum corpus flavet, a morfu aliorum quorundam serpentum, imprimis viperarum, idem observatum. — Vidit LANZONIUS hominem, in dextra a fele domestica morsum, dolore tumoreque manus magno adfectum, quæ symptomata excepit color corporis ictericus, quadraginta diebus perseverans. — Imperialium Servorum quidam, GALENUS ait, *de loc. adfect. l. 5. c. 8.*, qui viperarum venationi deputatus erat, quum a vipera morsus esset, aliquanto tempore medicamenta, quibus uti consueverat, potabat, quumque universi corporis color mutaretur adeo, ut porri colorem

referret, accedens singula nobis enarravit: cui epota theriaca quam celerrime color secundum naturam restitutus est. — A venenis variis, ab remediis drastice purgantibus icterum, seu colorem potius ictericum, sæpius ortum HOFFMANNUS monet, monentque plures Alii &c. Puellæ menostasia adfectæ chloroticæ, toto corpore colore tinguntur ex albente virente ac flavicante misto; idem in Puerperis, vel subflaminata, vel ametra, lochiorum purgatione, nonnunquam observatur; tum in Cachecticis, tum in Scorbuticis nonnunquam, v. NITZSCH *de Scorbuto* &c. LIND *on the scurvy*: tum in ecchymosibus post lapsum, contusionem, phlebotomen ineptius peractam, sanguine cellulosæ alveolos subeunte; qualem adfectionem in me ipso, errore Chirurghi, lingua quam manupromptioris, diu experiri debui; vel & post nifus majores, e laxatis ruptisque demum vasculis humore prodeunte: in variis speciebus diabroseeos, aut scorbuticæ, aut ab humore acri alio enatæ; post nimia dosi, protractiusque adsumtum opium, e. s. p. — In his omnibus casibus corpus plus minusve icterico tinctum est colore, quin tamen in corpore verus adsit morbus regius. Errarunt itaque, qui instantias hæcæ communi Icteri classi, abs limitatione, exactiorique discrimine accensuerunt, Auctores.

Distinguendum hinc in posterum etiam erit Systematum, Nosographiarumque conditoribus inter *icterum idiopathicum & symptomaticum; cito evanescentem & chronicum; superficiale, ut ita dicam, & interaneum; lotio naturali, aut flavo intensius, (nisi hoc a manifestis causis, v. c. rheo adsumto, sit) tum fecibus naturalibus, aut albensibus, stipatum; nam in his omnibus & typus diversus morbi,*

bi, & curatio diversa hinc instituenda erit ratione; (*) atque, his differentiis neglectis, morbus non solum inepte tractabitur, sed & sedes illius & indoles sæpenumero prorsum cum alio confundetur. “ Ob splenis quoque vitia, GALENUS ait, *de loc. adfect. l. 5. c. 7.* hujusmodi colores eveniunt, sed multo nigriores quam ab hepate: quos, ut clara interpretatione enarrare difficillimum, ita cognoscere facillimum, iis præsertim, qui eos sæpenumero conspexerint. Etenim STESIANUS quum

Me-

(*) Bene hinc monuit *Celeb. TODE*, tractatum recensens *Marcardianum*: „Der Unterschied zwischen einer idiopathischen und symptomatischen, einer flüchtigen und anhaltenden, einer mit ungefärbtem Abgange verknüpften oder nicht verknüpften Selbstucht, ist so auffallend und doch in der Erkenntniß, Beurtheilung, und Behandlung der Krankheit so ausnehmend wichtig, vornehmlich aber in der kritischen Betrachtung der nächsten Ursache derselben so unumgänglich, daß wir nicht ohne Befremden in dem gegenwärtigen Versuche die unterscheidende Bestimmung der Subjekte vermissen. So lange der Verf. nicht näher zeigt, was Selbstucht heißen könne oder nicht, muß er auch die Farbe der Rachetischen, woran keine eingesogene Galle Theil hat, für eine Selbstucht gelten lassen. — In einer solchen Bestimmung aber müssen nicht Ursachen und Entstehungsarten, sondern charakteristische Erscheinung; keine trügliche Nuancen, sondern wirkliche deutlich in die Sinne fallende Symptomen, zum Grunde gelegt werden.

Medicorum iudicium subiisset, nescio quo pacto eorum non pauci abscessum in ipsius hepate consistere crediderunt. Sed postea, quum longo temporis spatio nihil se in melius proficere sentiret, me quoque vocavit. Igitur, simul atque domum, ubi jacebat, fuisset ingressus, adspiciens Eum, hoc, inquam, scias velim, nullum tibi esse in viscere vitium; sed, quid aliud te molestat, nudatis præcordiis declarare conabor. Inveni ergo in profundis musculis abscessum, contracto jam pure, in medio spatio eorum musculorum, qui per transversum incedunt &c. Sic etiam Alios complures scitis me notasse, per colorem declarando, modo jecur, modo splenem esse adfectum; nulla audita præteritorum accidentium narratione, neque etiam per tactum investigato viscerum adfectu. „Hæc GALENUS.

Oculorum albuginæ tunicæ flavedo inter icteri characteres recensetur, atque nuper *Inl. CULLEN* id *abs exceptione* denuo proposuit: verumtamen neque hoc infallibile præbet morbi præsentis indicium. Novi Virum quemdam celeberrimum, Medicinæ Doctorem, qui sanissimus & functionibus corporis omnibus gaudens integerrimis, album tamen oculorum vix non semper flavum habet, oleo olivarum recenti quasi subfusum. Novi quoque Dominam, cui & oculi & facies maximam partem flavent, dum gravida est; utut nec fæcum nec lotii color, nec indicium ullum aliud, icteri vel umbram in corpore prodat præsentem. Monuit quidem *Cel. SIMSON*, tum unice *bili*, ut *causæ*, deberi colorem corporis flavum, si & oculi & lotium hoc colore insusciantur. Tutissimum esse censeo, si pro *icteri veri* præsentia determinanda, præter anamnesin morbum

bum inlustrantem, *oculorum flavedo ac lotii, hujusque dos, lintea inficiendi eodem colore; tum fæcum color subgryseus aut albescens, una cum colore cutis, unguium, icteritio, in unum collecta* recipiantur. — Accedunt his indiciis nonnulla in quibusdam Ægris alia, quæ, tum prout morbus magis minusve proventus est, tum & pro majori minorive succorum corporis inquinorum acrimonia cernuntur varia, magisque vel minus manifesta; (*) v. c. pruritus corporis, amaror saporis, vel & chloro-
pia.

(*) Quorum vero nonnulla morbo præsentī cum multis aliis communia; alia illi magis propria, non tamen eo usque, ut morbus absque illis sit *advaros*; alia illi plane non peculiarīa, sed ab aliis fontibus deducenda. Patet vel ex his, quanta requiratur *ακριβεια* in dignoscendis discernendisque ab invicem morbis; quum non sufficiat, ut obvium quodvis primo intuitu phænomenon adsumatur pro cynosura diagnoseos curationisque morborum, atque tum adfectioni male cognitæ pejor fiat medicina. Obviam fors videbitur Quibusdam monitum hocce, quum artis utique comprehendatur fundamentis: ast & obvium adversus illud ipsum hinc inde committi peccatum, docent historiæ Ægrorum, non magis morbo, quam perversa medendi methodo Mortalium numero ereptorum; aut supervenientis demum alterius Medici, rerum interiora penitius rimantis, ope, ægre, si non sero nimis, ab interitū revulforum. —

pia. Dixerunt siquidem Auctores, Ictericis obiecta flava videri: ast, non in omni ictero id obtinere, frequens observatio, imprimis in *ictero* mox adducendo *leucocholico*, docuit. Hinc in confirmato magis, laxiori potissimum nonnihil tunicarum ophthalmicarum compage, infiltrationem facilius admittente, bileque ipsa adtenuatori, illud ipsum obtinebit; atque tum, ut *Pliniana* phrasi utar, morbum regium in oculis præcipue mirari est, tenuitatem illam densitatemque tunicularum felle subeunte. — Retulit mihi, dum hæc scribo, cathedræ Vindobonensis medico-practicæ decus, Vir acerrimi ingenii, *Cel. STOLL*, Ictericorum quos vidit, vidit autem plurimos, nullum adhuc de chloropia fuisse questum. In provecta etiam solummodo aurigine ipsa colore flavo tincta deprehenduntur ossa & cartilagine; qualia phænomena *Inl. VAN SWIETEN*, in *Comment. ad f. 950.* retulit.

Sed, quod omnino mirum sat est, vidit Vir candidissimus, *Celeb. STOLL* Ictericos, vero & Omnium oculos feriente ictero adfectos, fæces tamen deposuisse a naturalibus colore non abludentes. Ut ergo exin denuo pateat, non unum alterumve solum characterem morbo determinando sufficere, quum vel in certissimis cætera tot occurrant aberrationes. —)

Immo aliquando potest adesse icterus, qui non adpareat. Antea enim patuit, bilem copiosam (nonnunquam) dari in vesica pellucidam, inspidam. Si jam ejus iter impediatur versus duodenum, ingreditur sanguinem, nec conspicitur. Patet hinc saltem, intensiorem vel debiliorem icteri colorem posse differre a bile ipsa; tum secundo, a copia qua refluit in san-

sanguinem. (*) — Icterus oritur ab inflammato hepate, eove obstructo; quibus fit, ut viscus illud quadam sui parte turgens poros biliarios comprimat, vel ductum biliarium, vel cysticum, vel communem. Adeo, ut bilis inpediatur versus duodenum fluere cogaturque sese insinuare in sanguinem; id quod semper fit, quando majorem resistantiam bilis invenit versus duodenum, quam ad vasa hepatis. Oportet ergo illam bilem retroagi per poros biliarios & vincere motum bilis hepaticæ ex acinis versus ductum communem determinatæ, intrare venam cavam & sic cum sanguine communicare. In acinis quidem adsunt extremitates venæ portarum; sed est in illis motus a vasis omnibus systematis venæ portarum ad acinos: ergo bilis reflua, retropressa versus acinos facilius cum venoso sanguine

he-

(*) Hanc vero speciem, distinctionis gratia tum ab *ictero vero flavo*, cujus characteres paullo ante adtuli, tum ab *icteteris diversis nothis* v. c. *Chloroticarum*, *Cachecticorum* &c. &c. de quibus pariter prius jam injeci mentionem, *icteterum* voco *arythnum leucocholicum*, quum bili quidem ortum debeat abnormi, characteribus tamen destituatur plerisque, vel, sub initium inprimis, omnibus, quibus icterus chlorocholicus, prasiocholicus, aut melancholicus ab aliis morbis discriminatur. Monendum vero, icteterum hunc verum leucocholicum rarius multo reliquis occurrere, tumque insignibus chylopoëseos ac hæmatopoëseos aberrationibus, hasque concomitantibus vitiis stipari: ratio ex ipsa ejus indole perspicua.

hepatico communem torrentem venæ cavæ intrabit. Sed præterea *Acta Lips.* 1682. p. 20. & 1683. p. 126., referunt, esse a BOHNIO demonstratum, ex cavo vesicæ felleæ in hepar, in porum biliarium, in intestina; item ex poro hepatico per hepar in vesicam felleam, in ductum cysticum, in intestina, viam esse patulam & facilem: denique & ex poro hepatico in cysticum, ex cystico iterum in hepaticum, patere vias. VERHEYENUS & GLISSONIUS hæc confirmarunt; ut & PERALTUS; qui Tractatus dici potest esse PERALTI & DUVERNEYI: DUVERNEYUS enim secabat corpora dexterrime, & PERALTUS, egregius Pictor, delineabat adcurate demonstrata. — RUYSEHIUS *Advers. anat.* p. II. negat, in homine reperiri cysternam lumbarem; interim tot Alii invenere: ita potest esse etiam de his viis inter hepar & vesiculam. — Ergo omni ex parte vias invenimus, per quas, via ad duodenum intercepta, bilis cystica & hepatica reflue-
re in sanguinem possit.

(Omissa controversia anatomico-physiologica de viis illis ab HAENIO nunc enumeratis, quas, ut per transennam solum id addam, nec omnino negare, quum nonnunquam vere adsint; nec in universum statuere, quum sæpe incassum quærantur; hinc potius cum Viro magno admittere velim, eas jam adesse, jam desiderari; &, si adsint, lusu fors naturæ adesse, quum homines, in quorum cadaveribus omni adhibita cura non detegi possunt, ideo tamen non pejorem vixerint vitam, nec morbo laborarint, qui viarum illarum defectui adscribi posset: ommissa, inquam, latiori disquisitione controversiæ illius, adducam potius nunc ampliorem recensionem egregii operis *Cel. MARCARD, Medicinische Versuche I. Thl. Leipz.* 1778. 8.; qui monstravit, multum abesse, quin

quin diu recepta illa & ab HAENIO, plurimum *Palæophilo*, Aliisque, lubenter adsumta icteri theoria *in univèrsam* sit admittenda. Facile vèro patet, me præcipua hic delibare solum posse capita & seligere ex reliquis *Cel. AUCTORI* observata proptia; quum alias diffusa nimium evaderet recensio dissertationis, cujus lectionem multum suadeo *Tiro-nibus*.

Omniùm primò hæctenus adsumtæ originis icteri theoriæ, *GALENI*, *PECHLINI*, *BIANCHI*, *MORGAGNI*, *MEADII*, *SWIETENII*, *MARQUETTI*, *BERGERI*, *BRUNINGII*, *SYLVII*, unâ cum *nostro ævo passim & a Plerisque recepta*, énumèrantur, recensentur; argumenta earum causam spectantia examinantur; applicatio sit *posterioris* theoriæ ad genesin icteri a calculis systematis cholopœtici, ab hepatitide, variisque aliis causis ad expositionem morbi hujus adsumtis. Hæc superficialia solum *sectionis primæ* sciagraphia.

Monuit tractatum hanc recensens, ut videtur merito, *Cel. TODE*, determinandum *AUCTORI* sub initium fuisse icterum, de quo libellus totus inprimis agit, quum icteri toto cœlo ab invicem diversi occurrant; nec flavus quiscunque plus minusve color *essentiam*, ut ita dicam, unice constituat icteri: sed hoc paullo antea jam tetigi. Communem quidem maxime icteri speciem innuere videtur *MARCARD*; ast regerit *TODE*, minime sese reticere velle, vix fore, ut illi theoria nova applicari maxime queat.

Verissimum etiam est observatum *Todianum*, differentiam icteri genuini a spurio non sola coloris flaventis crasi absolvi, quum subin verus adsit icterus, non tamen saturatius flavo colore corpus tin-

gens, quam in cachecticis cernitur adfectionibus; instantiam maxime insignem pro hac thesi præbet *icterus leucocholicus*.

— — — Bilem hepaticam reforptam vel ex eo capite ut causam icteri adsignari non posse AUCTOR credit, quod nec amaritiem in lingua, nec saturatum colorem, quo cutis, & oculorum albuginea, & lotium tingitur, hepatica bilis, utpote nimis debilis, dilutaque excitare posset: (*) ipsum etiam magnum HALLERUM monuisse, ductu bilifero communi arte obturato, bilem cysticam diffundi videri per ductus hepaticos, inde in venam cavam, tumque per corpus late reliquum: pro bile enim cystica liquorem eum habendum esse, quum in sanguine, lotio, saliva, muco trachæali, sudore, lymphâ abdominali, pinguedine, tunica cellulosa, tunica albuginea oculi & amaritiem majorem, & colorem saturatiorem deprehendere liceat, quam ab hepatica bile possimus expectare.

Subjungere hic omnino convenit, quæ circa sententiam hanc *Marcardianam* adnotavit *Cel. TODE*, *Medicinischchirurg. Biblioth. VII. B. I. St. S. 89. 1c.*, ut nonnihil perfectior reddatur accessio hæc

(*) Ut argumentum debilioris bilis hepaticæ adduxit *Cel. AUCTOR* testimonium *Cl. TACCONI*, qui, ductu cystico obturato, meatu autem hepatico in intestinum tendente aperto, observavit, alvi subsequi obstructionem, ob bilem, quæ tunc sola adfluere potest, fatua dulcedine instructam, wegen der lappisch süßlichen Galle: concinnius autem hic utique pro lappisch positum fuisset abgeschmactt.

hæc ad *Haenianum codicem*; Eorum præsertim in gratiam, qui vel ob linguæ germanicæ inperitiam utrumque opus legere nequeunt, aut curta instructi sunt suppellectili libraria. — Omnium *primo* notandum est, *Cel. TODE* ait, nil magis arbitrarium esse, quam ut veri character icteri quærat in grâdu quodam phænomenorum præternaturalium. Sententia illa: plus vel minus non mutat speciem, omnino etiam circa morbos obtinet, atque in hoc imprimis casu. Ex thesi Marcardiana, Icterici omnes, quibus non prorsum flavent oculi, nec amaro sapore donata est saliva, veri non forent Icterici! — *Tum*, nosse debet *AUCTOR*, icterum in multis casibus ascendere intendique per gradus, symptomata etiam ante dicta non sub initium adeo apprehendi urgentia, uti quidem per decursum morbi productiorem evadunt. — *Tertio* minime constat, cur non & a bile hepatica, magis magisque resorpta ac deposita, demum flavo colore tingerentur oculi, tinctorium fieret lotium, amaraque redderetur saliva! Ipsa utique cystica bilis genealogiam suam a bile repetit hepatica. — *Quarto* certissimum prorsus est, colorem, consistentiam, & acridinem cysticæ bilis non uno eodemque semper gradu donari. Succi nostri vix non omnes metamorphosis maximis obnoxii sunt, ne ipso quidem excepto statu sano. Circumstantiæ saltem, quibus vigentibus nascitur icterus, magnam habebunt actionem in confectionem bilis hepaticæ. Quam non v. c. speciem obfert bilis, dum homini validiori frequentiorique, intra brevius temporis intervallum, emesi subvertitur ventriculus? An non itaque maximo jure suspicari licet, bilem secretam ab hepate, spasmis, calculis, hepatitis, sympathica adfectione &c.

laborante, alterius fore indolis, hinc forsan & profundioris coloris, quam dum naturali constituta est ratione? — *Quinto*, viæ, quas emetiri debet fel hepaticum, undiquæ obstitæ sunt vasis resorbentibus, quæ naturali sane ratione, eodem modo, uti vasa resorbentia cystica, bilem recipiunt cysticam, bilem recipere posse debebunt hepaticam. — *Sexto*, deprehensum fuit, tumores hepaticos, queis obstructæ fuerunt semitæ bilis hepaticæ, ortum præbuisse subsequenti ictero; qualem instantiam *Cl. COLIN DRUMOND* in *Dissert. inaugurali Edinb. 1750.* defensa, adduxit. Suspiciari præterea plurimum licet, hepatidem etiam ex eo capite, quod ductus bilis hepaticos comprimat, genesin fovere icteri. — *Septimo*, datur quædam species icteri, manifesto enascens a bile, magna nimium copia intestina inundante: hujus generis icterus excipit nonnunquam hyperemeses, tum & febres biliosas, atque sic dictam choleram. (An non huic accensendus est icterus verus, pertinax, exandescentis nimium ira mentis æstus nonnunquam sequens?) In omnibus hisce morbis eo certius sequi solet icterus, quo minus per alvum subducitur bilis. Hæc vero icteri species, nascentes a bile in ipsis intestinis resorptæ, quarumque existentia demonstrari valet, etsi ipse *HALLERUS* eam revocet in dubium; hæc, inquam, omnes icteri species *Cl. MARCARD* hic loci prorsum intactas dimisit, dein autem extimis solummodo labris aggressus fuit. Bilis nimia copia effusa nullatenus ex sola advenire potest vesica; sed maximam partem bilis est hepatica. — — — *Octavo*, subpetunt exempla verorum icterorum, ubi cystis fellea aut plane cernebatur vacua, aut hydatidibus (*Bläschen*), vel & latice solummodo aquoso (uti antea jam ex

NIO dixi) referta erat. In Ictérico quodam prorsum desiderabatur vesica fellea. Quæritur jam, an bilis cystica pallida, excolor, fatua, aut plane deficiens, generare queat icterum? Anne operose potius inquiramus subterfugium; an potius viam sequamur ante oculos positam? — *Nono*, occurrunt subin congestiones majores bilis in cystide, abs omni sensibili simul præsentente ictero. — *Decimo*, si quidem Scriptorum quid hic valeat auctoritas, pro ictero a bile hepatica quoque oriente stat Auctoritas *Cl. MONRO junioris*, qui bilem hepaticam pro communi maxime fonte habet icteri.

Argumentis hisce propositis vela contrahit *Cel. TODE*, sufficientia illa sibi videri innuens, quibus moveatur *aletophylus Auctor*, ne in dubium revocet possibilitatem icteri a bile hepatica oriundi. (*) Et Hercle quidem, utut sententia *Marcardiana* naturæ superstructa videatur, nec precario solum hypothesos cujusdam fundamento innixa, minus tamen, quæ præter illam in medium adferri queant, omnia, quorumque partem præcipuam *TODE* tetigit, *AUCTOREM* ob oculos habuisse liquet, quum alias omnino

(*) In textu vero germanico vitium cernitur typographicum, sensum plane reddens obpositum; doch ich breche ab, und glaube unserm wahrheitsliebenden B. Gründe genug an die Hand gegeben zu haben, die Unfähigkeit der Lebergalle zur Hervorbringung der Gelsucht in Zweifel zu ziehen. Ponendum omnino erat: — — — nicht in Zweifel zu ziehen. —

& objectiones ipsas & earum solutiones adtulisset. Multa, quæ subito, aut intra breve temporis intervallum, fieri minus queunt; vel certe fieri, minus manifesto cernuntur; dubio omnem præcludunt locum, dummodo sufficiens accesserit mora: is vero, si unquam, sane dum de ictero a bile hepatica oriundo agitur, casus est. Extra controversiam positum habeo, nasci icterum, modo a *Cl. MARCARD* eleganter proposito, nasci a bile cystica, nasci hoc modo, hoc ex fonte frequentissime: verumenimvero, nasci illum non ex hoc fonte unico, nec eo unice modo, ex æquo pro certo habeo. Rationes vix esse opus, ut adducam reor; quum præter eas, quas *Cel. TODE* adtulit, phænomena icterorum plurimum, indolemque bilis hepaticæ & cysticæ æque, ac morborum jecinoris decursum & exitum, penitus rimando, plures insuper, nec minus graves, queant detegi: unde simul patere poterit, icterum frequentius omnino ex ortu a *Cl. MARCARD* assignato, quam quidem ex theoria *Monroana*, paullo antea a *Cel. TODE*, *No. IO* adducta, prognasci: æque enim excessu peccat sententia, quæ nullum, quam quæ omnem, aut vix non omnem, icterum, a bile repetit hepatica. — Sententiam autem *Marcadianam* circa ineptitudinem hepaticæ bilis ad producendum icterum, pro varia relatione, tum refellit, tum plurimum restringit instantia icteri, quem distinctionis gratia *leucocholicum* vocavi, cujus *HÆNIUS* fecit mentionem, quemque parum adeo, ac *prasiocholicum* aut *chlorocholicum* aut *melancholicum* licet negare, ni contra autopsonian pugnandi sit animus.

Minus demum subscribere possum abs exceptione ulla aut restrictione, ex dictis, conclusioni, quam
Cl.

Cl. VIR capiti septimo sectionis primæ adjunxit: sequela, ait, omnium in hocce capite sub examen revocatorum foret, subponendam esse, ut causam, bilem veram cysticam, sanguini admistam, in omni ictero magis notabili, ubi nempe saturatior adest color cutis ac oculorum.

Audaci & analogiæ omni obposito consilio *ToDE* ait, negasse *AUCTOREM* theoriæ novæ, resorptionem bilis cysticæ fieri in alio ullo loco posse, quam in sola cystide fellea: demonstrandum id Negaturo fuisse impossibilitatem, aut summum a verosimilitudine recessum, sententiæ statuentis obpositum; demonstrandum fuisse, in aliis locis non subpetere analogicos resorptionis apparatus, in ductibus biliferis nulla adesse vasa resorbentia e. f. p.: hæc omnia neglexit *MARCARD*, admittens tamen, nasci posse icterum, a resorpta in cavo abdominali bile, quæ per tunicas cystidis antea sese subduxerat.

Adfert *Cl. MARCARD sect. I. c. 9. & rel.* cogitata sua circa adplicationem theoriæ hæctenus receptæ ad genesin icteri a calculis systematis chylopoëctici, ab hepatitide, e. f. p. Mitto nunc considerationem calculorum; quum dein horum recurrat in codice *Haeniano* mentio.

Hepatitidem partem hepatis concavam obsidentem, tumore excitato ductus biliferos angustiores, ac, si malum fuerit magis proVectum, demum impervios reddere, hinc constantem icteri causam præbere, monetur. Dum, ait, adsumitur, bilem & in hocce casu per hepar penetrare in sanguinem, uti quidem, qui circa hoc negotium sententiam suam fassi sunt, adsumserunt Omnes; tumor ductum communem vel unice, vel maximam sane partem, comprimet, aperto interim manente ductu hepatico.

Naturæ vero congruum magis est, sub inflammatione partis concavæ jecoris in ductum potissimum agere tumorem, qui hepatis, ut sedi inflammationis, est proximus; ut adeo arctissime obturatus foret ductus hepaticus loco supremo; minus, ubi jungitur cum ductu cystico; minime demum angustus redderetur ductus cysticus atque communis, inprimis loco intestino proximo. Hinc jure plane merito suspicari liceret, in ictero, qualis passim evenire solet, bilem cysticam via multo faciliori petituram esse intestinum, quam quidem hepar; quod viscus accedentes ductus aliunde sunt angustiores.

Dixit VALCARENGHI, de hepatitidis speciebus agens, tumorem hepatis veram esse causam icteri, dum morbo huic jungitur; tumidum enim hepar, quale inflammatum est, utique compressurum esse ductus biliferos, atque hinc retenturum ipsam bilem. — Regessit ad hæc cogitata MARCARD, in morbis chronicis hepar nonnunquam intumuisse enormiter, atque magis multo, quam a sola inflammatione intumescere unquam queat, quin tamen vel umbraullius adfuerit icteri, hinc credibile non esse, præsentem modo hepatitide tumorem hepatis causam præbere ictero.

Observat denuo circa hunc locum *Cel. TODE*, nimium dixisse *Cl. MARCARD*, dum in illico adductis casibus *ne umbram quidem* (*nicht der geringste Sauch*) coloris ullius icterici adesse unquam, adserit. Diversitas omnino intercedit inter colorem ictericum perfectissimum, saturatum, & superficiale solum, dilutum, pallidum, qui tamen prorsum abesse, ideo dici nequit. — Ast notandum hic, hepatitide præsentem, ac tumore hepatitidem concomitante, diversam subin rerum esse faciem, quam tamen-
te

te ob morbum chronicum hepate; quod inflammatio hepatica propagetur in ipsos usque ductus biliferos, hinc ductibus ipsis hisce inhæreat morbus, a sola compressione mechanica, quæ hepate in chronicis tumente fit, utique diversus, auxesin abs dubio symptomatum, moli soli tumidi jecoris ascribendorum, adferens. (*) Adfunt & in ductu communi cystico steatomata nonnunquam, tumore simul præsentente, obstructione, induratione, aut scirrhositate hepatis majori minorive; quæ sane, vivente Ægro, detegat mihi magnus Apollo; quæ tamen Medenti in memoriam revocanda sunt, ut in dubiis ac obscuris aliqualem adfundant lucem, uti v. c. in memoriam revocandæ sunt angustationes viarum omnes, quæ per mucum glutinosissimum, spasmum, sarcinata, calculos, &c. queunt excitari. —

Adfert tum *Cel. MARCARD* amplius descriptam historiam morbi ac extispicii IctERICI, quæ inprimis causam

(*) Adtulit *Cel. TODE* ex Diatribe *Cl. DRUMMOND* locum sequentem, icterum natum ab inflammatione tali symptomatice in Hepaticis insufranem. „ Licet hepatitis, seu acuta hepatis inflammatio, sæpe contingat, & quidem facile subsistere possit sine ictero; Nemo tamen, ut opinor, inficias ibit, quin, si inflammatio ad membranas ductus cystici aut communis propagetur, aurigo etiam inter reliqua morbi hujus symptomata evenire possit. Tunicæ enim ductuum inflammatione tumescentes, meatum intercludent; adeoque bilis egressum in duodenum intercipient.“

causam Illi subpeditaverat, ortum morbi hujusce exactius aliquantum disquirendi. Homo sanus, sexaginta septem circiter annos natus, a Lictore verberibus & contusionibus male mulctatus, pessime, eadem die, inde habuit: uti Adstantes Auctori retulerunt, feбри correptus fuit acuta, frequentiori emesi, delirio non interrupto: cutis colore dein tincta obscure flavo; die morbi quinta mors malis imposuit finem. Cadaver aliquot post mortem diebus primum lustratum; præcipua extispicii fuerunt sequentia.

Superficies corporis totius saturate flava; minus tamen nonnihil flavebant extremitates inferiores. Princeps læsio in occipite, in angulo superiori futuræ lambdoidis, ubi cutis multum tumebat, dissecta copiosum laticem sanguinolentum, nonnihil coagulatum, dimittens, cranium ipsum tamen non fractum. — — — Omentum plurimum flavum, cætera non læsum. Lien prægrandis, attamen sanus. Jecur subdurum: facies convexa maximam partem colorem naturalem retinuit; concava vero obscure virens, vix non nigricans. Color hic ad duas fere lineas subiit substantiam jecinoris, propagatus etiam nonnihil ultra marginem ejusdem, quadrantem circiter pollicis faciei concavæ hepatis occupans. Cystis fellea magna, turgida; partes eam ambientes ab eaque tactæ, manifesto satis tinctæ. Canalis cysticus crassissimus, & fungosus; ostium ejus angustissimum, ut pressione validiori nonnisi tantillum quid, guttam unicam nondum constituens, exprimi potuerit. Crassum hoc ipsum erat, tenax; coloris naturalis quidem, ast obscuri multum, odoris non insoliti. — — Liquor pericardii omni nota flavus.

Diebus tribus elapsis scatulam, cui cystidem felleam interea temporis commiserat, quum aliquot milliariibus transferri debuerit, aperiens, vidit lintheum, cystidem ambiens, humidissimum, coloratum; utut canalis adhucdum firmissime foret constrictus, tunicæ etiam nullam plane expertæ fuissent læsionem. — Per easdem bilis transfudare perexit. — Elapsis demum aliquot diebus cystide dissecta in conspectum prodiit bilis spissa, colore laudabili, odore minime putrido, prædita; ductus membranæ non tenues adeo erant, uti alias esse adsolent, sed fungosæ, subcarneæ; crificiûm angustissimum; cætera nec calculus, nec præternaturale aliud quid præsens.

Dubio carere omni, subnectit **AUCTOR**, morbum hunc lethalem fuisse hepatitisem, cujus sedes in parte concava hærebat jecinoris; causa vero, uti fat videtur probabile, maximam partem debebatur læsioni capitis, quod analogicis instantiis ex **Cl. HÜCHSTETTERO**, **SCHMUCKERO**, **BIANCHIO** confirmat; addit tamen, nequaquam pervicaciter sese negare velle, animi pathemata ob inlatam vim, ad genesin mali facere quoque potuisse. Monet demum, in hoc casu sane nil bilis retrogredi potuisse in hepar, quum pressio antea dicta, vix tamen quid expellens, major multo fuerit, quam quæ a partibus ambientibus excitari ulla ratione potuisset. Theoriæ, ait **Addicti**, quæ in ictero bilem per hepar in sanguinem venire statuit, adsumere in hoc casu unice poterunt, icterum hunc natum solummodo fuisse a bile hepatica non excreta. Dubitare me tamen circa hæc multum & non abs gravi ratione, facit color saturate flavus icteri: in cadavere hoc eodem saturate adeo omnia tincta erant, ut causam

nunquam a bile hepatica repetam. — Attamen hoc jam antea disquisitum fuit.

MEAD casum refert icteri majoris, orti post contusionem dextræ corporis parti inlatam: hepar post mortem cernebatur sanum; cystis autem fellea ne valide quidem compressa guttulam dimittebat bilis; ductus adeo coarctatus, ut nec exilissimus inmitti potuerit stylus.

Adplicat jam AUCTOR theoriam expositam causis diversis aliis, ex quibus deduci solet icterus: optime sub initium animadvertit, spissitudinem nimiam bilis cysticæ ac tenacitatem abs ratione, utut frequenter, pro causâ icteri haberi; quum, si spissum nimis fel sit, quam ut vias suas naturales queat subire, reverti etiam per hepar plane non possit; nam, si pro vasis amplioribus fluida satis non sit, quo pacto pertransibit canaliculos multo angustiores, in quos dirimitur in hepate ductus hepaticus? Notat verò hic *Cel. TODÈ*, nondum satis perspectam esse rationem, qua suscipiatur liquidum stagnans: observasse *Cl. LIND*, sanguinem, omnino non ex integro fluidum, egressum in scorbuticis, nonnunquam simul & semel denuo resorberi. — Monere circa convenit, nunquam negligendum esse in horum examine discrimen, inter crasin naturalem, discrasiamque præternaturalem diversorum humorum corporis intercedens: quum v. c. nonnulli, ad gradum quemdam spissitudinis deducti, adeo nunc sint viscosi, ut vix, aut plane non, *in corpore* resolvi, pristinae fluiditati restitui, hinc resorptioni apti evadere, queant. Sed de his alibi latius.

Observat *TODÈ*, AUCTOREM icteri ab hydatidibus oriundi, cujus in III. *Tomo Bibliothecæ medicochirurgicæ* adfertur instantia, non meminisse. —

Frequentiorem omnino adesse occasionem causam hancce in cadaveribus detegendi, quam ut prorsum sicco transire eam liceat pede, ipse censeo.

Glandulas tumentes, aliasque excrefcentias ductum communem obserantes etiam ut causam regressus bilis cysticæ in hepar spectari posse, *Cl. MARCARD* fatetur.

— — — Vidit *TARGIONI TOZZETTI*, hydrophobiam, absque morfu ullo canino natam, insequutum icterum, quo durante *Æger* demum mortuus. Hepar naturali majus: ductui vero cystico inhæsit vermis, ductum ex integro replens, hinc exitum bilis cysticæ ac in hepar adscensum, utique inpediens. Nectit *TODE*, observationem hanc nil tamen pro nova theoria facere — Verum id quidem, ast cautos nos reddit, ac in eruendis causis morborum circumspectos & adtentos; quum ea denuo demonstraretur, quam abstrusi sæpe in corpore lateant morborum fontes, qui haud raro sufficientes satis ob rationes incurabiles sunt, sed & eam nonnunquam ob rationem, quod medendi Artifex vix ultra extimam in causæ typique morbi examine penetrarit superficiem, aut *symptomatum* potius, quam *causæ* morbi, insituerit curationem. —

Cel. HEBERDEN spasmiss icterum ortum debere posse, revocavit in dubium, etsi *SYDENHAMUS* thesin hanc jam ut demonstratam adsumserit; illorum vero in locum calculos substituere conatus fuit, ut causam arquati morbi genericam; quorum *SYDENHAMUS*, hic, ut *AUCTOR* monet, pariter excessu peccans, plane nunquam in suis operibus hoc sub respectu meminit. — Attamen nec demonstravit ullibi *SYDENHAMUS*, calculos malo huic ortum dare plane non posse!

COE eandem vix non, uti HEBERDEN, fovet sententiam; calculos pro causa morbi principe habet, spasmos vero pariter causis illius non accenset. Prætereo hic latius nonnihil examen argumentorum, quibus COE thesin suam defendit, quibusque MARCARD eam impugnat; propriamque statuminat; quum aliunde in subsequentiis denuo recurrat expositio rationis, qua spasmos icterum producere posse, AUCTOR noster statuit. Observat hic, nil obesse, quin spasmi, quibus tot in omnibus aliis motibus corporis ac humorum producuntur aberrationes, arhythmum etiam in cursu fellis excitare queant; experientiam ipsam nobis exhibere plurimos casus icterorum, ubi vix evitare possimus, quin spasmis tribuamus ortum. Icteros hic imprimis excitat Hysteri-carum, SYDENHAMO descriptos, ubi calculi nulla adest suspicio: tum & icteros, animi pathemata subitanea, validiora excipientes. Vidit sic in Domina, quæ una cum curru Albi jamjam mergenda erat, ob terrorem violentum post aliquot dies oriri icterum; denuo evanescentem, quin excretus fuisset calculus, nec amplius redeuntem; nulla etiam remanente præternaturali circa hepar adfectione. Jungit observationi huic *Cel. TODE*, in recensione, aliam Juvenis cætera sanissimi, qui ob perditam magnam vim pecuniæ in olla fortunæ (*Lotterie*) confestim factus fuit ictericus. *Cel.* etiam CULLEN, MONRO ac DRUMOND icteros ejusmodi subitaneos esse possibiles, ex observatis practicis testantur.

Icterum sequentem morsum animantium venenatorum, imprimis viperarum, a spasmis pariter MARCARD repetit. Dixi vero jam antea, distinguendum esse inter verum icterum, & colorem quemvis corporis vel totius, vel partium quarumdam, flavicantem, virentem, prasinum, &c., utut ex integro

gro non negarim, morsus tales ob adfectos nervos sequi posse spasmos, exque his & nasci icterum.

In colicis spasmodicis frequentius jungitur color corporis ictericus. Adfert AUCTOR observationem icteri, dolores colicos, frequentius redeuntes, nunquam non stipantis, & sanatis illis non amplius percipiundi; tum aliam, ubi icterus cum febris certis intervallis alternabat: in neutro autem casu indicium ullum calculi, cui symptoma hoc ipsum potuisset adtribui.

Circa epidemicos icteros monetur, subpeditare eos ipsos argumenta sat gravia pro genesi icteri ex causis spasticis, vel saltem demonstrari illis, calculos non pro causa morbi hujus catholica posse assignari. Confirmare nititur AUCTOR thesin suam observatis ac adfertis *Cl. BRÜNINGII, WAGLERI, HERLITZII* de icteris epidemicis, qui maximo jure dictis causis adtribui posse videbantur. Adfert etiam icterum illum celebrem epidemicum, quo adficiebatur exercitus hispanicus Genuæ, in quo tam proficiuus deprehensus fuit usus saponis, ut omnis omnino, qui in urbe haberi poterat, fuerit consumtus, ne eo quidem excepto, quo indigebant Barbitonfores. Animadvertit hic denuo *TODE*, respiciendum potius esse ad vitiosam cholopoësin, nimiamque bilis effusionem in morbis hujuscemodi, qui fors nonnisi febres biliosæ fuerint. — Animadversio hæc eo majori fundamento inniti mihi videtur, quum frequentiora observata practica docuerint mihi ipsi exhibuerint colorem corporis ictericum, ubi nullam aliam, adhibita licet omni exacto scrutinio, detegere poteram causam, præter vitæ genus miserum, male sanum, cacochymicum. Vidi & nasci icterum, ac nonnunquam abire in hydropem, vel alia vice in febrem veram castrensem,

aut classariam, in hominibus, nunc in locum paludosum, humidum translatis, quum alias aëri ferentiori, puroque forent adsueta: pro veritate posterioris huius observationis eo magis respondere possum, quum, ut *Inl. ZIMMERMANNI* phrasi utar, in proprio corpore eam experiri debui, ubi, ex Aliorum relatis eam lubentius didicissem. — Vidit *BISSET* in feбри flava (*the yellow-fever*) Mortuis in insulis Indiae occidentalis, cutim colore eodem saturate flavo, in viridem tendente, tinctam, quo ipsa bilis, cystide contenta, cernebatur instructa. Facili negotio fel ex cystide per ductus suos in intestinum exprimi poterat, ut adeo nulla adforet obstructio; magna etiam ejus copia reperiebatur in jejuno ac dodecadaetylo, quo latice intestinorum horum non solum tinctum erat cavum internum, sed & ipsarum membranarum illarum penetrata substantia. Colorem flavum repetiit hic *Cel. WARREN* a diacrisi putrida globulorum sanguinis rubrorum. Regessit autem *BISSET*, natum colorem hunc eundem a bile, sanguini admista; quod scilicet bilis, in intestinis praesentis, quid subierit vasa reforbentia, atque horum ope penetrarit in ipsum sanguinem; caeterum emesin, morbum hunc stipantem, maximam partem fecisse ad genesin icteri, quum ea multum bilis ex cystide in hepar, atque tum in massam sanguinis, pulsam fuerit. — Monet circa haec *MARCARD*, expositionem hancce *Bissetianam* sibi pariter non ex integro satisfacere; causarum tamen illico adlatarum priorem facile omnino obtinere potuisse largitur. Objecit illi *Cel. TODE*, non revocasse haec monentem in memoriam, talis icteri originis sese nullibi antea in Tractatu hoc iniecisse mentionem. — Sed adserere utique nunquam poterit

terit AUCTOR, icterum a nulla alia, nisi spastica, nasci posse causa.

Argumentum demum catholicum adhuc adfert MARCARD adversus theoriam, qua statuitur retrogressus fellis per hepar in sanguinem. Regressus hic, ait, non ex facili adeo fieri videtur, uti quidem adsumtum fuerat, dum ductus communis est obstructus; deprehendimus quippe sæpissime, & plerumque in hoc eodem casu, cystidem ob magnam, qua turget, fellis copiam, ad insignem magnitudinem expansam: instantias adducit ex VAN SWIETEN & VALCARENGHI. Manifestum, his addit, est, in hisce casibus bilis regressum per hepar non fuisse magni momenti, nec facilem: agere saltem tum debuisset impedimentum tanta vi, quanta requiritur, receptaculo, quale cystis fellea est, eo usque expandendo.

Sed undenam, quærit ad hunc locum *Cel. TODE*, nascitur vis hæc ipsa expandens? Certe non a vi retropellente ductus communis, sed a secretionem, ac collectionem continuatam bilis, uti analogica instantia expansionis vesicæ urinariæ pariter docet. Refluxum bilis in poros non adeo difficilem esse, demonstravit etiam SAUVAGES in *Nosologia methodica* ex rationibus physicis. — Quum jam *Cel. MARCARD* rejicere velit, prosequitur *TODE*, theoriam a Viris magnis receptam, enervare debuisset argumenta anatomica adeo gravia HALLERI, HUNTERI, MONROI, MECKELII. Demonstrare oportuisset, transitum, quem Anatomici nunc dicti facilem adeo deprehenderunt, ex ductibus biliferis hepatis in venam cavam, locum quidem obtinere posse in cadaveribus, non vero ex æquo in homine vivo sano. Demonstrandum fuisset, vasa lymphatica

tica viarum tum subtiliorum, tum grandiorum biliarium nonnisi bili pallidiori (blasse) recipiundæ apta nata esse. Evincere pariter debuisset, carere ductum hepaticum & communem vasis reforbentibus, ac impossibilem esse icterum verum, sæpiusque occurrentem, oriundum a bile in ipsis intestinis reforpta. Quodsi argumenta hæc omnia theoriarum, a se vel impugnatarum vel non satis dilucidatarum, antea refutasset, tum rerum Periti theoriam novam avide essent lecturi, aut saltem disquisitione exactiori dignam iudicaturi. Hæc *Cel. TODE.*

Nunc ad alteram tractatus Marcardiani sectionem, quæ complectitur tentamen theoriæ novæ geneseos icteri.

Constat Omnibus, qui cadaverum interfuerunt sectionibus, a vesicula fellea tingi posse partes adjacentes colore bilis, quam illa continet, quæ etiam tunicas cystidis profum penetrat: vidit tamen AUCTOR in Infante, externe quoque maculam rotundam flaventem, quæ demum, aperto abdomine, cystidi felleæ deberi cernebatur, longiori solito, hinc sub margine hepatis prominenti, ac in abdominis integumenta vim tingentem exserenti. Similem instantiam legimus in *Actis N. C. 1672.*; aliam adnotavit REVENHORST. (Tertiam Ipse adjungere possum, visam in cadavere Foeminae atrophicæ; ubi macula phialam, quali pro potu Coffeæ utimur, majorem ambitu æquabat, & saturate satis viridem obferebat colorem.)

Patet hinc, bilem in statu naturali jam penetrantissima gaudere indole, quum per tot incumbentia cystidi strata externam superficiem tingere valeat. *Cl. AUCTOR, DE HAEN, FRIEB,*

STAL-

STALFART VAN DER WIEL, TULPIUS, MEDICUS, in hominibus, WEIKHARD in phasiano, grassante inter has aves epidemica lue, (ego in lucis & carpionibus sæpius, tum & in gallinis,) bilem per tunicas cystidis, plerumque tumidissimæ, transfudasse observarunt. Cystis poros habet a fabrica ejus organica diversos, & corporibus omnibus solidis proprios: per hos omnino, adnotante etiam *Inl.* HALLERO, bilis transfudans cavum abdominale subire videtur. — Dum jam bilis præternaturali conditione penetrans magis fit, dum tunicæ cystidis varias ob rationes transitum facilius admittunt, dum vis mechanica in cystidem agit; bilis ex vesicula stillat in cavum abdominis, ibi a vasis resorbentibus excipitur, sanguinem subit, creat icterum. Via hac mihi videtur, AUCTOR ait, icterus omnino in natura produci. (Verum & mihi illud videtur; attamen, non hac sola via icterum produci, & thesin illam non pro catholica adsumendam, ex æquo pro certo habeo. —)

Cl. BRETTING AUCTORI scripsit, suspicari sese, bilem transfudantem ex cystide in cavum abdominis diffundi posse per solam telam cellulofam, &, antequam adhuc in circulationem sanguinis deducatur, creare icteros topicos; quorum exempla in monumentis Medicorum varia occurrunt. Inprimis observantur tales in Subjectis, quæ spasmis magis obnoxia sunt: sed & color flavescens partis hujus illiusve in nonnullis hominibus habitualis cernitur, quin tamen læsio ulla in illis percipiatur sanitatis: (quale exemplum paullo ante de tunica sclerotica oculorum retuli.)

Idæam *Brettingianam*, nimium diductam circulationem cellularem *Bordeuvianam* vocat *Cel. To-*

DE; nec ex ipsa adeo naturæ penetralibus petitam autumat. Etsi daremus, ait, icteros tales topicos nasci; a bile transfudante an non id ipsum fieri posset per circulationem communem? — Adtulisse id, abs ulteriori epicrisi sufficiat. —

Celeberrimus STUART in *Philosoph. Transact. No. CCCCXIV.* casum exposuit vulneratæ cystidis fellæ; lotium tinctum erat colore croceo, ejusdem coloris cernebantur per abdomen nonnullæ maculæ; bilis vix non omnis in abdomen effusa; contenta, ab ea tacta, flavidissima: unde penetrabilitas liquoris hujus denuo confirmatur.

Ægerrime determinari posse, uti monet *TODE*, an in homine vivo transfudet bilis, an vero tota illa cutis variegatio non opus sit unice mortis, an, uti *Criticus* gravis jam dixerat, in *Vivis* abs periculô fieri queat; rationi sane est maxime consentaneum, & nonnisi practica in *Vivis* capta observata hic determinare queunt. —

Instantiæ plures, inter quas eminet urinæ in sanguine manifesta præsentia, dum lotii effluxus obstaculo quodam in urethra præpeditur; quam tamen nemo a regressu lotii per longos ureteres ex vesica in renes, ibique facta admisione ejus ad sanguinis massam deduxerit; (ast, ait *TODE*, etsi visum fuerit *MARCARDIO*, regressum hunc Nemi ni fore probabilem, esse tamen sibimet saltem; ob idæam vero maxime consentaneam, quam *Inl. PETIT* in *Tract. de morb. chirurgicis* hujus rei proposuerat;) argumentum præbent, adsumi non abs ratione posse, vasa plurima resorbentia cystidis fellæ, in statu naturali superfluos unice humores excipientia, conditione morbosa obtinente terminos officii transire bilemque omnem ac integram posse

posse admittere. Renes urinæ secretioni dicati, ipsum tamen subin transmittunt sanguinem. (Observatum sic fuit lac, ab admista exigua sanguinis quantitate, aliam enim non invenio rationem, roseum, quin & sanguinolentum; occurrit talis saliva, talis humor lacrymarum, talisque sudor.)

Resorbentibus autem vasis excepta bilis in systema venosum, inde in massam universam deportatur humorum circulantium. Via hæc ab analogia adeo indicata in sequentibus confirmabitur adhuc variis momentis.

Non probatur **AUCTORI** sententia bilis in hepar, ac per id ipsum in sanguinem, redeuntis — — — FUSE observat hic **TODE**, **AUCTOREM**, etsi iubens adeo in cystide fellea adsumat vasa lymphatica, oblivisci tamen quasi ea in semitis incunabulisque bilis, hinc & oblivisci, resorptionem in hisce ex æquo, uti in cystide, fore possibilem. Hanc solum viam adsumit **MONRO**, cui regressus violentus ex poris in furculos venæ cavæ pariter vero parum similis videtur: ipsique **TODE** videtur resorptio fieri, ubicunque vasa adsunt resorbentia, cum bile stagnante; utut non in omni casu exin sequatur icterus.

Viæ hinc binæ, quarum ope bilis ex vesica in sanguinem deduci queat, quin transeat per hepar, vasa sunt lymphatica resorbentia porique inorganici tunicarum ipsius cystidis biliferæ. (Tertiam, vasorum lacteorum in intestinis, **AUCTOR** adtentione dignam non censuit.) Posterior autem via imprimis obtinebit, cystide maxime dispansa, aut bile plurimum turgida; aut, minus quidem repleta, sed vi externa adveniente compressa; tunicis etiam cystidis ultra modum relaxatis. Qui-

bus in casibus mirum non est, si & post mortem pergat transfusio; pori siquidem, jam adeo ampliati, ut bilem transmittant, post mortem etiam præternaturalem retinebunt diametrum.

Plures longe esse videntur causæ, quibus vasa resorbentia, ut bilem excipiant, coguntur; maximam tamen partem eo redibunt, ut stimulo sollicitata id efficiant. Ambæ illæ rationes una præsentibus esse queunt, tumque effectus eo erit major: eadem expansio cystidis, qua pori ampliantur, aget in fines quoque vasorum resorbentium, eosque, ut adtrahant bilem, coget.

Abs dubio vero actio vasorum resorbentium arhythma frequentior multo iterum excitat, quam bilis ipsius per cystidis tunicas διαπύδουσις: illa siquidem obtinere potest, etsi nimia bilis copia in cystide non adsit, quin & via ex vesicula in intestinum ne minimum quidem impedita. Hinc theoria hæc optime exponit casum, (qui Multis difficilissimus videbatur; quem & HAENIUS in nosocomio sæpe mirabatur,) ubi icterus nascitur ac perseverat, etsi fæces alvinæ colore naturali prorsum tinctæ cernantur; quæ quidem species unice fere remedia exigit roborantia.

Theoriæ sanæ nil magis obpositum monet TODE, quam resorptionem, per expansionem tunicarum receptaculi productam, majorem vasorum lymphaticorum: ipse AUCTOR fatetur, in Hydropicis, tumidissimo licet abdomine, vix guttulam a resorbentibus vasis adsumi. An non idem in vasis cholophoris obtinere, liceret adsumere? — — —

Color flavus fæcum in ictero nonnunquam occurrens, nunc citatus Criticus ait, ex aliis causis valet exponi. Icterus nasci poterit a bile nimia

copia

copia effusa &c. Tum vero nunquam non antea constare deberet, an non rheata in usum fuerint vocata. — Cæterum, prosequitur, omnino vero maxime videtur simile, stimulo quodam, quin ipsa humoris stagnantis acrimonia vasa, resorbentia ad officium suum potius excitari, quam in eo inpediri, quidquid BOERHAAVE, Aliique, adferant in contrarium. Ichor acrior factus vix non facilius resorbetur, quam quidem ipsum pus blandum. (Rationes horum adeo manifestas crediderim, ut expositione non indigeant. Cæterum multiplex experientia adversus solius auctoritatis argumenta statuminantur.)

Adplicat jam *Cel.* AUCTOR theoriam nunc propositam geneseos icteri omnium primo illis casibus, ubi spasmi causam præbent mali; præmittens, laxiori nonnihil vocis sensu spasmos hic loci sese sumere pro omni motu, irritationem, seu stimulum præternaturalem, sequente.

Proprie quidem spasmi voce denotatur restrictio præternaturalis musculorum: locum tamen in omnibus corporis partibus, ubi motus fieri queunt, præternaturalis obtinet agendi vis, quæ sub iisdem circumstantiis cum veris spasmodis fit, & eandem cum illis originem habet causamque. Etsi motibus hisce non adficiantur partes musculosæ, ob similem tamen ortum spasmi quoque dicuntur: atque hoc sensu & in cerebro spasmos nonnunquam adesse, valet admitti; sic & lotium magna copia limpidumque prodiens, spasmodice expulsum dicitur, utut spasmi nulli in corpore reliquo compareant.

Icterus verum a spasmodis nasci posse, ideo ægre admisisse videntur Auctores, quod, secundum receptam hætenus theoriam, vero non vi-

deretur simile, ictero, ex obstructione, uti rebantur, ductus communis nato, spasmus constringere partem solum debere quamdam ductus hujus, quum tamen ductus totus iisdem gauderet fibris, iisdem nervis. Mirum utique videbatur valde, constringi partem eam inprimis debere, quæ foret amplissima, & constringi quidem exactissime, apertos vero remanere ductus multo angustiores cysticos & hepaticos, qui tamen Totum continuum cum ductu communi constituunt. Maxime demum singulare videbatur, casum hunc sæpe satis contingere debere; toties nempe, quoties icterus adesset spasmodicus. Multa adeo hic subponenda esse simul concurrentia **AUCTOR** ait, ut casus tales, etsi quidem non omnino impossibiles eos esse concedat, pro rarissimis & rarioribus multo, habendi sint icteris prodeuntibus ab animi pathematibus, colicis spasticis, aliisque spasms, ut & icteris ipsis epidemicis. Potius, cum **Cl. HEBERDEN**, se plane negaturum fuisse ait, icteros natos a spasms, quam recepturum illam theoriam. Miratur hic **Inl. TODE**, **AUCTOREM** non usum fuisse sententia *Halleriana*, qua irritabilitas dictis ductibus biliferis denegatur: probari sibi pariter addit thesin Critici insignis, qui edixerat, sub spastica constrictione intestini ostium fors unice ductus communis una obserari spasmodorum vi.

Manifestum ex plurimis instantiis, quarum variæ hic enumerantur, imperium nervorum est in systema totum cholopoëticum, ipsamque adeo in cystide contentam bilem. A variis causis bilis in cystide jam colore tingitur viridi, nec in intestinis primum colorem hunc ab admistis aliis liquidis indipiscitur; (quod adplicandum partim erit expositioni

tioni antea adlatæ *Haenianæ*, coloris viridis fæcum virentis in Infantibus;) in aliis casibus bilis non virescit, nec majori copia in vias primas effunditur; ast aliud nascitur phænomenon: bilis intrat sanguinem, cutis colore tingitur icterico.

In utrisque nervi organorum ope cystidis agunt in bilem ea contentam. Qua id fiat ratione in primo casu, non adeo facile exposito: admisceri quid interim videtur, colorem mutans. Minus intricatus alter est. Nervi, quorum tantum in machinam totam imperium, deducti in arythmum, cogere possunt vasa resorbentia, ut & ipsa aliud agant, quam sui, in statu naturali, sit officii; ut hinc pro partibus bilis aquosis, ipsam meram hauriant bilem: instantiam dilucidantem præbet phænomenon analogum in profluvio lotii aquoso, (seu, quam vocem huic adfectioni determinandæ probe congruam censeo, *hydruria*,) a nervorum perturbatione excitato.

Bene hic denuo monuit **TODE**, **AUCTOREM** minus recte actionem nervorum in solam & unicam cystidem considerasse, prætermissa bilis fabrica principe, jecinore. An quippe læsiones cephalicæ in cystidem magis agunt, an in hepar? An non in hepate maxime deprehenduntur effectus pessimi *febris illius flavæ Americanorum*? Hypothetica valde sententia est **AUCTORIS**, **CRITICUS** **HAFNIENSIS** prosequitur, stimulum immediatum, quem in hepar agere posse, manifesto largitus fuerat, resorptionem in viscere hoc eodem producere nullam, mediate tamen producere in cystide fellea. —

Non unicam autem nunc dictam causam esse icteri, nascentis a resorptione per vasa resorbentia bilis, expressæ spasmo paullo post patebit. Examinat nunc AUCTOR causas omnes, quæ spasmi, aut potius stimuli (Reiz) ope, icteros creare queunt.

Sunt icteri, ubi libera bili in intestinum via, quum fæces naturali colore tinctæ: ægre sane his applicanda theoria regredientis per hepar bilis in sanguinem; via enim exitui libera, theoria retrogredientis bilis, & circulationis legibus & ipsis hydraulicis est adversa. Phænomenon autem hoc ipsum ex AUCTORIS theoria facile exponitur, & vix non unice, sive vasorum relaxatio, sive spastica intensio malo præbeat ortum bilis in sanguinem regressui; quod posterius denuo a variis nasci valet fontibus.

Si in ictero nec ductuum biliferorum obstructio, nec calculi, nec læsiones externæ, aliæve in oculos incurrentes, seu materiales, occurrant causæ, quæ stimulo excitato spasmosque generando, agere potuissent; si nec animi præcesserint pathemata; invisibilis in mentem veniet causa spasmorum; dummodo momenta adsiut, statuendi præsentis in corpore spasmos: vel vero relaxata ostia vasorum resorbentium fontes icteri constituent; qui tamen rarissimus erit casus; raro saltem occasio aderit, ut nos convincere præsentia illius queamus; plerumque icteri causis debentur satis manifestis.

Calculi, icteri frequentissima origo, sæpenu-
mero stimulo excitato turbas illas in systemate produ-
cunt bilifero. Huc nequidem refert AUCTOR casus
eos, ubi calculus cystidem turgentem occludit; ubi,
ad-

applicata huic pressione quacunq̄ue , bilis copia vasorum resorbentium minuitur : sed tales innuit circumstantias , ubi ratione minus patula fit actio. — Calculum in cystide adhucdum hærentem liberum , præsentè ictero , stimulo agere , dici valet. Irritabilem autem ad hoc , ut effectus tales producat , cystidem satis esse , extra controversiam videtur positum. TACCONI , WEPFERUS & VALCARENGHI adnotarunt , dolorem in cartilagine xyphoide signum esse peculiare characteristicum calculi cystici : *in parte secunda operis hujus , No. VIII.* retulit AUCTOR extispicium cadaveris Viri autochiria enecti , unde verosimile videtur , calculos quosdam parvos , asperos , bilemque præternaturaliter constitutam , irritatione tunicarum cysticarum , sensationes melancholicos in illo vivente effecisse , quibus motus sibi demum violentas manus intulit. Huc omnino facientia exempla adducuntur ex BARTHOLINO , observatione *Cl. WALTHERI* , qui magnam in ductibus biliferis Puellæ , epilepsia defunctæ , invenit copiam lumbricorum ; & VALCARENGHIO.

In plerisque icteris una adesse spastici quid , nec morbum hunc unice adeo , uti adsumtum passim fuit , ab obpilatione mechanica ductuum biliarium , indeque sequente bilis redundantia , procreari , symptomata innuere videtur , vix non omnem , undecunq̄ue demum ortum , icterum comitans. Observationes siquidem omnes docent , adesse in Ictericis tensionem validam , dispancionem ac obpressionis sensum in latere dextro ; quæ quidem symptomata adeo frequentia & morbo huic propria cernuntur , ut adnumerata fuerint icteri symptomatibus solitis. Auctor icterum majorem paullo his malis carentem nunquam vidit. Sensatio hæc autem , ait ,
minime

minime a causa pendet mechanica, dispendente, & comprimente, sed tensioni tribuenda est spastica. Stimulus, creandis icteris aptus natus, hac sensatione, aut motibus, ea arcte stipatis, icteros videtur producere, aut bilem ad ingressum in sanguinem disponere: causæ præterea quævis occasionales icteri, sive calculi sint, sive vermes, e. f. p., creare videntur, si in nervos alia ratione agant, symptomata alia, non vero icterum. Symptoma hoc ictero vix non essentialia, quum spastica sit indolis, indicare videtur nobis, in ipso illo morbo spastici quid in considerationem venire debere.

Ex dictis, AUCTOR ait, icterorum pleræque causæ considerandæ erunt ut meri stimuli, seu ut meræ irritationes, quarum effectus erit motus spasticus vasorum resorbentium, quorum ope bilis intrat massam humorum circulantium. (Non abs ratione TODE observat, AUCTOREM *spastici* voce nonnunquam minus proprie uti, quum vasis spastice adfectis utique adsit coarctatio luminum illorum; hac vero præsentia, resorptio major, auctior quæ obtinebit?) — Latius hoc deducit expositione effectuum productorum a calculis inhærentibus cystidi ipsi felleæ, aut in partibus ejus collo, ductibus biliariis; tum & expositione icteri, excipientis morsum animalium venenatorum. (Cujus tamen jam antea mentionem injeci.)

In *prima sectione* tractatus hujus demonstraverat AUCTOR, obstructions hepatis, per se singulatim consideratas, non necessarias icterorum causas esse, uti Nonnulli ex theoria adsumpta deducere conati fuerunt; utut minime adserere velit, icterum nunquam oriri posse ab obstructione hepatis. Evincere nunc conatur, obstructions tales, inter alia plurima pessimaque, quibus corpus adficiunt, mala,

mala, causam etiam subpeditare posse inordinati bilis cursus; obstructiones insuper illas ipsas, inter spasmos numerosos alios, quorum præbent scaturigines, efficere quoque posse, ut vasa resorbentia cystidis felleæ spastica ratione agant. Unde itaque & icterus nasci poterit hac ex ratione, & Medenti ad hanc causam etiam erit respiciendum. (Aft in memoriam hic denuo revocanda, quæ paullo antea ex *Cel. TONÆ* circa usum vocis *Spastici* monui.)

Deducit tum, a causa spastica & irritante repetendos esse icteros, qui nonnunquam comitantur sæviores colicas, emeses, vermes in systemate biliariorum vasorum præsentis; bilis ipsius singularem quamdam acriorem indolem; calculos, ipsi adhuc cystidis cavo inhærentes, aut infixos hepatis; qui, si unquam icterum saturatius flaventem excitarunt, ad cuius genesis quoque concurrunt bilis vesicaria, sympathiæ id factum ope hic adferitur, simulque monetur, indubium sane esse, calculos hepaticos, quin contribuatur quid simul vesicula fellea, producere posse arquatam morbum: tum latius diducitur actio hepaticarum quarundam affectionum in cursum bilis cysticæ, indeque orturum icterum; quæ omnia ab irritatione, consensu nervorum, sympathique partium commode **AUCTORI** exponuntur. Instantia hominum spasmis, tum aliis, tum hysteris, laborantium, subitoque colore flavo corpus tinctorum, denuoque, spasmis recedentibus, auriginoso pigmento liberatorum, magnum theoriæ genesos icteri ex causis spasticis robur adferre, **AUCTOR** denuo observat.

Transit tum ad adplicationem theoriæ novæ ad casus illos, ubi icterus non adeo a spasmis or-

tum repetere videtur. Primo loco hic occurrunt obturationes ductuum biliferorum, cujusunque demum sint speciei; sic v. c. inflammationes partis concavæ hepatis producunt icterum; uti antea jam, in *prima sectione*, dictum fuit.

Obstructiones ductuum biliarium omnes, ipsis ductibus inhærentes, rariores, *Auctor* ait, sed plerumque certæ, icterorum causæ sunt. Refert hic ampliorem historiam ex *Transactionibus Anglicanis*, *Cl. AMYAND* observatam; ubi, ut omnia alia relinquam hic intacta, ductus cysticus ex integro erat concretus; hepaticus tamen & communis liberi hiabant in dodecadactylon, fæcibus ad ipsum vix non vitæ finem colore legitimo tinctis. Remittere debeo Lectores ad ipsam diatriben, ut rationes, quas, pro expositione casus hujus, tum *Cl. STUART*, tum *Auctor*, verò magis similes, adtulit, discant & examinent. (*)

Cal-

(*) Retulit etiam *Cl. DRUMOND* casum, a *Cel. TODE* pariter excitatum, Fæminæ, ictero trimestri enecatæ, in qua ductus cysticus concretus plane erat; cystis autem fellea turgebat bile spissa, atra. Quæsi hic tamen omnino posse monet, cur bilis resorpta non fuerit? Qui persistere tamdiu icterus potuerit? — Exempla hujusmodi vero occurrunt plura, ubi bilis tamdiu stagnat, ut vix non picea demum evadat, & solus aquosus latex, chemica plane separatione, a reliquis, crasin hujus succi ingredientibus principiis sejungi videatur: quin species calculorum *spurias* observatas constat, mera bile, in

ex-

Calculi, ductibus inhærentes, omnino irritatione, indeque orto motu spastico, icteros generare queunt: admittit & AUCTOR, causam hanc fors obvenire frequentissimam: sed morbus hic ipse produci etiam valet ab eadem causa, eo, quod ductuum lumina obpilentur.

Recte dixit AUCTOR, calculos felleos adesse posse, quia tamen Æger illis laborans, adfectus fuerit ictero, etsi COE, pluresque Alii, crediderint, effectum hunc causam illam vix non indubie sequi debere: ipse calculum nucem myristicam majorem magnitudine æquantem in cystide hominis deprehendit, qui nunquam regio morbo laboraverat.

Int. TODE quoque addidit, in extispicio Reginae cujusdam copiam magnam calculorum biliarium fuisse inventam, quin tamen icteri ullius umbra in Illa vivente unquam foret detecta.

Vasa resorbentia cystidis relaxata ictero generando apta quoque nata esse; vero valde simile videri AUCTORI videtur. Nasci & poterit arquata adfectio, bile nimium spissa, quam ut per ductus solitos ex vesicula prodeat; ubi nulla alia via supererit, si nascatur icterus, quam ut resorbeatur per vasa cystidis resorbentia.

Ortum

extractum verum inspissata compositas; ignis flammam probe alentes: icterus tum in Nonnullis etiam longius multo duraverat, quam quidem rem theoretice Consideranti fieri posse videtur. —

Ortum demum icteri omnino repetere licet ab obpilationibus cunctis ductus communis in dodecaedactylon, v. c. fæcibus induratis &c.

Quodsi magna bilis in cystide adsit copia, eaque conprimatur, præter resorptionem transfudatio per membranas, receptaculum hoc ipsum constituentes, causam præbere poterit malorum, cujus rei in *primo sectionis hujus capite* injecta fuit mentio.

Transcolatio hæc ipsa fellis per tunicas cystidis locum pariter obtinere poterit, bile varia ratione præternaturaliter adfecta. (Præcipue dum diacrifi putrescente adtenuatur; unde repetendæ erunt, ut plurimum, maculæ, quæ in cadaveribus vicina cystidi, tum & extimam nonnunquam corporis superficiem, cystidi incumbentem, tingere deprehenduntur, quarum antea adlata fuerunt instantiæ. Id saltem ex cadaverum, bilisque varie adfectæ disquisitionibus, didicisse me credo. Bilem vero varia valde ratione in ipsis Ictericis, eodem colore tinctis, esse constitutam, res est extra dubitationis aleam posita, & instantia simul confirmatur, quam tum alias, tum hæc scribens observavi; Ictericis nonnullis salivam esse amaram, felleam, dum Alii, si ex colore solo feratur judicium, multo magis icterici, salivam vel a statu naturali non recessisse, vel insipidiorem adhuc sibi videri, ajunt & adfirmant. —

In septimo sectionis hujus capite enumerat *Cl. MARCARD* Auctores, qui theoriæ novæ idæam quamdam subpeditasse videri possent.

In octavo & ultimo capite enumerantur, quæ theoriam novam geneseos icteri stipare videntur, difficultates, una cum quæstionibus variis, easque

resolvendi tentamine. Hæc omnia, invitus licet relinquere *nunc* intacta debeo.)

Videamus jam pauca, quæ ex *Haenianis* circa icterum ex codice adhuc sunt adferenda, abs additamentis.

Sed fiunt, ait *beatus* AUCTOR, præter dicta, sæpe lapideæ concreciones in hac vesicula fellea, tam in hominibus, quam in animalibus (Historiam harum, uti alio loco monui, in *Symptomatologiam* differre malui, eas una cum reliquis lithiaseos animalis productis relaturus.

§. 817. *Si autem generatio & excretio bilis in intestina lætatur.*

Paucis potero hanc §. exponere, quum pleraque ad §§. 773 & 788 dicta fuerint, aut in parte *symptomatologica* adferentur.

— — I. *Icterus*. Quæsitum fuit, num a bile hepatica an a cystica oriatur icterus?

ANONYMUS AUCTOR *Tom, I. Act. Edimb. No. 33.* multus est in disquirendis rationibus, quæ causam veram icteri patefaciant; putatque rarius hepaticam, plerumque cysticam, in causa esse. Quia nimirum hepatis gustu blandum, tum etiam colore parum admodum flavet. Prætereaque, si inflammatione, si obstructione, si scirrho tumeat alicubi hepatis portio, illa, premento ductus biliarios, simul premit ramos venæ portarum. Qua compressione efficitur id, ut bilis secretio a sanguine venæ portarum ibi loci inpediatur. Ergo neque hac ratione potest icterum producere.

Verum animadvertit idem ANONYMUS AUCTOR, posse tamen casus dari, ubi hepatica bilis levem facere icterum potest; nimirum in hominibus, qui acri bile abundant, qui dicuntur biliosi temperamenti: in his acrior natura bilis, si, vitio quopiam notabili porum

biliarium obstruente, bilis hepatica, quæ supra locum obstructionis est, refluat in sanguinem.

Cæterum icteros oriri, vel quod hepar cava inferiore parte tumens comprimatur ductum cysticum, vel communem, unde itinere bilis flavæ ad duodenum intercepto, bilis per varios canales, quibuscum communicat cum hepate, tum & per venam cysticam in venam portarum, sanguini adfundi & icterum creare potest. Vel secundo icterum oriri, quia calculus obstruit ductum sive cysticum vel communem, ut toties cadavera hæc causam manifestarunt; quamque, ut icterorum causam frequentem, BONNETUS, MORGAGNI in *Adversariis*, aperte demonstraverunt. Addi pro tertia causa potest impedimentum natum in duodeno, quod bilis intra duodenum effusionem impediat; ut meconium v. g., vel alia caseosa in infantibus recens natis; ut in Hystericis aut Hypochondriacis ira, terrore, agitatis, spasmus ad hæc loca natus quandoque facit. Hac theoria natus icterus intelligitur.

(Hæc HAENIUS, de *theoria Marcardiana* nil adhucdum habens cognitum.)

2. *Cachexia biliösa*, quæ stricto sensu icterus quidem non est, sed tamen latiore sensu eo pertinere videtur. - Hæc species obtinere videtur in multis hominibus autumnali tempore febre epidemica intermittente correptis. Vid. *Inl. L. B. in Comment. ad §. 918. cap. de hepaticide.*

3. *Calculus.* (Hujus expositio in SYMPTOMATOLOGIA una cum reliquis tradetur.)

5. *Obstructiones*, in ductu choledochi, vel communi, vel ipsa cystide, dum hæret talis calculus, vel gypsum: qua facta oriuntur icteri sæpe. Dico sæpe. Matronam per quinque integros annos in perpetua cura habui, variis, iisque pessimis, symptomatibus labo-

rantem, sed numquam ictero. Mortuæ aperui cada-
ver. Ex vesicula fellea inmaniter aucta educo plus
quam mille calculos parvos, plerosque quadrangulos.
Plus quam mille facile adsevero; nam magis quam di-
midiam partem Aliis dedi, & ultra 500 adhuc possi-
deo. Ergo obstructio maxima in tota vesicula admo-
dum magna, ita ut pauca copia spissæ bilis, quæ ad-
huc aderat cum lapidibus, in intestina fluere nequive-
rit; nec tamen icterus unquam. Videtur secretio bi-
lis cysticæ in ea tandem cessasse.

Cl. MORGAGNI *Adv. anat.* 3. n. 28. pag. 61.
idem est expertus: „ Et mihi quidem forte contigit,
„ ut *ex neutris* ullam peculiarem noxam, sed ne icte-
„ ricum quidem colorem iis, in quibus comperi, in-
„ ductum esse, observaverim.“ Quod ait *ex neutris*,
est, quod ex una Fæminæ vesica fellea extraxerat 120
calculos; ex alia cystide fellea eduxerat 72 calculos.

6. *Excrementa alvi alba, dura sicca*; in multis
Ictericis, sed non in omnibus: immo excrementa ali-
quando talia sine ullo ictero. In bilis generatione de-
ficiente, vel impedita excretionem, excrementa fiunt
alba, quia bilis eadem colorans deest, vel non ad-
fluit.

(De his jam antea, dum de ictero sermo erat,
pluribus actum: addam tamen hic ex *Haenianis* se-
quentia:)

HIPPOCRATES *Coac. lib. I. cap. I. n. 38.*: Icte-
rici multum fœdati pereunt; sed in *Epidemicis* lethale
casum AFOLLONII describens, ait: „ Dejectio-
„ nes erant variæ. Aut enim nigræ fuerunt, pauçæ,
„ æruginosæ; aut pingues, crudæ, mordaces; non-
„ nunquam & lacteas visus est emisisse.“ Unde in-
telligimus, quandoque adesse icterum lethalem, cum
fæcibus aliquando albis, sæpe variorum colorum.

Tandem albæ fæces non semper præsentem icterum denotant. Lanioni, Viri magno, facie plane venerabili & formosa, adfui verno tempore anni 1746., hepatitide inflammatoria laboranti. Is mox ictericus factus: curatur a febre, ab ictero, manente circa hepatis dolore. Icterus nunquam rediit, sed ab illo tempore ad mortem usque, quæ contigit quindecim mensibus postea, semper albas, argillaceas fæces reddidit liquidas, torminosas plerumque, nisi forte aliquando, non semper, flavedinis tantillum haberent a medicamentis.

Ergo curato ictero, formositas Viri rediit læte rubens cum intersperso candore, & tamen quindecim mensibus continuis posthac albas, argillaceas fæces reddidit, ad mortem usque: causam forte intellexissem, nisi pertinaciter mihi negata fuisset inspectio cadaveris.

An secretio bilis cessavit post icterum? Non videtur: a bilis secretionē impedita cachexia oritur, nam bile nemo inpune caret. Tamen anno posthac pulcherrimus in vultu Viri color erat.

Aliquoties albam argillaceam alvum mihi licuit videre in Puerperis, quas mox a partu alvus nimia, diuturna que corripuisset. Unam Puerperam subpurato utero mortuam aperui; quæ talem albam alvum per plures septimanas habuerat, antequam uteri subpuratio se prodebat, quæ tamen in systemate bilioso vitia nulla haberet: Aliam vidi post talem alvum diuturnam pulcherrime restitutam, neque antea, neque postea ulla icteri signa habentem.

Sunt igitur phænomena in hoc systemate bilioso vix explicanda: in ictero nonnunquam manere excrementa colorata: excrementa alba, nulla bile tincta, diu multumque prodeuntia, citra ullum icterum: certe indicant, haud satis a nobis capi mirabile hoc syste-

ma. Quæ causa, quod homo sumens drachmam v. g. rhei, urinam Ictericorum more ita tinctam habeat, ut flavedine permanente tingat linteum, & maxime matulam terream vitrea crusta obductam: & tamen homo eo tempore non habet ullam flavedinem in toto corpore. Tamen ex communibus principiis concludimus, ferum sanguinis, seu aquam ejus, tingi a rheo hac flavedine, inde talem prodire flavam urinam, idque, si non multum bibat per totam diem, aliquando & sequenti die. Immo fit, ut urina IctERICI non tam tenaciter flavedine inhæreat linteo, & tamen homo flavescat; hic vero in tanta urinæ flavedine nullus in oculis aut alibi color flavus? Quantum est quod nescimus!

Quid quod præfagiant fæces albæ phrenitidem? eamque lethalem? Quo in casu plerumque & urinæ pallidæ, decolores, tenues, adsunt. Mirum phænomenon! indicans forte, quod bilis ultra non secernatur, at in sanguine maneat. Sed cur tunc urinæ inde non colorantur? An ergo potius constrictio spasmodica fit in toto hepate, ut bilis exitus in duodenum, & retrogressus in sanguinem, impediatur?

7. *Adpetitus deletus*: bile enim carens sanguis fit blandior, quam oportet, nec ita succus gastricus stimulat ventriculum ad adpetitum. Hæc una ratio, cur amara vocentur stomachica: certe in tali casu quid juvant.

8. *Ciborum digestio impedita*, quia carens ventriculus hoc stimulo mox exposito, minus se contrahit ad ingesta; minus ea adterit, conminuit, miscet, dividit, adtenuat.

9. *Miscela impedita partium adsumtarum*. Bilis adsumtis alimentis admista in intestinis dividit oleosa, tenacia, eaque reddit miscibilia aquosis, ut ex virtute bilis sæpius demonstratum.

10. *Tympanitis.* (De hac in sequentibus , ubi de hydrope sermo erit , simul agetur.)

Sunt denique venena icterum facientia : qualia numerantur plura apud Auctores , ut aranæ , viperæ. (De his pariter jam antea dictum. — De curatione autem icteri in SYMPTOMATOLOGIA agetur.)

Pag. 116. Lin. 20. , L. , cum aliis magnis Practicis,





